

51. *Borhardus*, nobilis Heros de Oberge, Episcopus 51. electus est ex Decano Hildesheimensis Ecclesie cum consensu totius Capituli. Sub hujus gubernatione de restitutione quarundam arcium, ad Episcopatum cum adjectis territoriis pertinentium, quibus aliquandiu predecessores sui caruissent, inter quosdam Principis Commissarios agi coeptum esse dicebatur; sed nihil inde secutum est, & ipse in sua patientia patienter sustinuit usque ad annos 16: quibus pene completis ipse in castro Sturwolde terminum vite sue adeptus est anno Domini 1573, 23. die Februarii in quadragesima; sepultus cum decenti pompa in Ecclesia Hildesheimensi ante sacrarium summi templi.

52. *Ernestus* Dux Bavarie, filius *Alberti* Ducis, Episcopus *Frisingensis*, electus est unanimi consensu totius capituli Hildesheimensis Ecclesie anno Domini 1573, 7. die Martii in Episcopum Hildesianum.)

(* *Ferdinandus* Dux Bavarie *)



XLIX.

IOHANNIS BVSCHII CANONICI REGVLARIS

LIBRI II.

DE

REFORMATIONE MONASTERIORVM COMPLYRIVM PER SAXONIAM ET VICINAS REGIONES;

ubi supplentur & emendantur jam supra edita à pag. 476. ad 506, & opus magnâ parte, interim repertâ, integratur, ex Manuscripto Kiloniensi.

Incipit liber Reformationum & visitationum plurimorum Monasteriorum utriusque sexus ordinum diversorum; & primò de Patre ordinis Canonorum Regularium, qui non parvam dedit operam pro huiusmodi Reformationibus & visitationibus perficiendis: cuius Dei beneficia sibi exhibita, tanquam ipse hæc Deo cum plurima gratiarum actione enarraret, continuo sublequantur.

CAPITULUM I.



Mercedias Domini in æternum cantabo, &c. vide hoc Tomo pag. 477. lin. 1. pag. eodem lin. 8. locum boni particularis studii civitatis nostræ, scilicet Zwollis. locum particularis boni studii oppidi nostri Zwollensis. lin. 9. Græca leg. *Grammatica*. 14. Græca - *Grammaticam*. 15. summus - *supremus*. 16. Sele - *Cele*. ibid. bibales etiam - *bibales mihi*. (bibales quod Germanis trinkgeld) ibid. cum - *qui vel quin*. 17. respicerent - *respicerem*. 20. vocaveris - *vocareris*. 27. ewechlike - *eweliken*. 28. ratus merito, propter Deum leg. *satis numero, propter Deum &*. 34. vana - *verba*. 35, 36. & adiens Canonicum &c. in ** deliberavi. leg. *& ordinem Canonicorum regularium &c. introire deliberavi*. 42. missus - *admissus*. 44. Huxen - *Herxen*.

CAPITULUM II.

57. post dimidium adde: *anno natiuitatis mee XX*. 58. Heusden - *Huesden*. ibid. Teyla - *Tyela*.

Pag. 478. lin. 14. scripsi Erfordie ad quendam fratrem Ordinis Benedicti leg. *Scripsi ad quendam fratrem Bernardum Ordinis Sancti Benedicti in Erfordia*. 15. Instigabat autem Sathan usq; ad de carnalibus leg. *Instigabar ab inu, timeo, quod à Sathana, jacens in lecto de carnalibus cogitare*. 17. tamen, quod interdum lege tam, quid inde. 25. post etate adde: *annorum plus quam LXX*. 28. versiculum leg. *versiculum responsorium aut versiculum ad horas*. 30. suber - *subar*. 39. post: presentiam adde: *vinum, carnes & albos panes secum pro conventu deferentium*. 40. ad solarium domus. *ad cella solarium*. 42. post: & ego tuus, adde: *Et ex eo tempore usq; in presens semper, quantum in ipso fuit, meum bene fuit in pace, & capi cum eo colloquium celebrare, &*

epus

ejus ad me responſionem, ſicut in corde auditur, perſepe audire. 45. ſuper Evangelium - & ſuper Evangelia in die Epiphanis. 47. notabilibus - ſatis notabilibus. ibid. quosque conſectos - quorum effectum. 52. & quomodo - tunc inquitivi, & quomodo. 57. in ſingulari leg. mihi ſingula. 60. propter me - mihi ſemper. ibid. quam - quomodo. 63. cantabo, quam - cantabo, quia propter melius meum id fecit, & multa ac.

Pag. 479. lin. 4. vivere in fede - viverem in corde. 6. miſit * me - in margine apographi prioris erat ANNO MCCCCXXIV. 7. poſtea leg. pro ejus. 8. Linian leg. Lyman &. 10. poſt Northorn adde: & Martino primo ibidem fratre in reſormatione inſeſito. 12. exaltationis - exaltationem. 15. enarrarem fortius, perveniens leg. enarrando, formalius pervenirem. 17. manus - manu.

CAPITULUM III.

24. Franckenberg - Francksborch. ibid. Huſs - Huls. 26. de mandato &c. usq; ad ubi magnus. hæc ita leguntur in MSC. Quatuor fratres alii ante nos ibi pro aſſumptione ejus & inceptione fuerant tranſmiſſi; ſed ad Monasteria ſua redierunt; & nos primos ibi inſeſtivimus de mandato venerabilis Capituli noſtri generalis per Patrem IOHANNEM VOS in Windesem Priorem illac tranſmiſſi. Magnus ibi. 28. in feſto B. Mariæ - in feſtis B. Mariæ, præſertim viſitationis & trium Regum. 30. mobilibus - monilibus. 31. incluſo cuidam &c. oſtenſa, ut Colonia de ligno bene polito eam fieri procuraret & in Bodingen deportaret. 40. reſervabant plures &c. - reſervabant, plurima inde beneficia & plures beneficiatos inde volentes conſtituere. 44. ampliare &c. ampliare, de pecunia ibidem clauſa ad Papam deſtinavit. 48. perſonas usq; ad in ſtatum - perfectam ejus faceret translationem in ordinem. 50. duos - adhuc ibidem exiſtentes, ad ſuam citavit præſentiam, ut ſi quid haberent aut dicere poſſent in contrarium commiſſionis ejus, quare dicta capella erigi non deberet aut poſſet in ordinem Canonicorum regularium, libere opponerent. 54. ſi nobiſcum ex libris &c. - ſi ex libris noſtris nobiſcum cantare vellent, bene admitteremus: alias de cantandis ſe non intrmitterent; & ita ab eis omnino fuimus liberati. 57. feſſas - feſſos. 58. Domus etiam dotis - domum dotis & cæteras officinas.

Pag. 480. lin. 3. ab interim - ab intra. 10. poſt Coloniensẽ adde: Ego autem dixi Patri ARNOLDO HVLS Priori ibidem noſtro, quod id vix liceret in tali Dominica tale officium prætermittere; qui reſpondit: Archiepiſcopus mandavit, cui in hujusmodi oportet obedire. 12. Nuſſienſe - Nuſſienſe. 20. quamvis ab interim in MSto Quamvis autem adverſitates ibi in principio non habuimus ab extra ab hominibus. 24. animum - animam. 29. in Bodingen adde: in criftino natiuitatis S. Iohannis Baptiſta.

CAPITULUM IV.

35. Conniani non eſt in MSC. forte pro eo legendum vicini. 38. in Friſia - in Friſia inter Sacerdotes. 41. Abbatem virum doctum. 42. Helen - Harlem. 48. Quam - quando. 57. Pauci tamen duo vel tres - Pauci tamen duo vel tres, ut ibi remanerent, impetrarunt, quia ſenes, & mulieres quondam ſuæ, ut in infirmitatibus ſibi ſervirent, ad tempus retinuerunt. 62. Iacobum Oem &c. leg. ita: Iacobum Oem de Windesem, poſt Priorem in Thabor, & rectorẽ Monialium in Bronopia, Genardum Weſep, Iohannem Lap, Sacerdotes de Monte & Engelbertum Tentinel.

Pag. 481. lin. 2. Poſt Gerhardi adde: de Zwollis in Monte profeſſo. 4. Teyla ut ſupra Tyela. 11. poſt Diœceſin dele punctum. ibid. & ille de Defolt - & Dominus Rodolphus de Defolt, quem civitates Daventria, Zwollis & Campis cum ſibi adhærentibus. 12. ille de Culenborch - Dominus Zvederus de Culenborch. 13. Prior ergo Diricus Clivis. 17. in ſanctitate - in ſimplicitate. 23. & validum frigus ibidem invaluit.

CAPITULUM V.

31. De Monasterio Beata Maria in Sion, quomodo fundatum ſit & reformatum. 33. in Beverwick - circa oppidum Beverwick. 37. Vornken - Wormken. ibid. Ericus - Diricus. 50. poſt, de Dor-draco, adde: divitem ſatis matrem habentem, qua frequenter in ſuis neceſſitatibus eis ſubveniebat. 31. de præfatis fratribus - fratres de his, qui de domo Domini Rotgheri in Velua reſeſſerunt, Nendonem & Henricum cognatos de Harderwick. 53. & ſtatuta - ad ſtatim. 55. Affendelfi.

Pag. 481. lin. 1. vitam & converſationem &c. ſequentia ita leguntur in MSto: in bona pace & quiete viventes, ab aliis intus vel extra conturbentur, ac ſtrictioris vite prætextu ad diſcordiam & inquietudinem provocentur, cum ſepe Deus non ſit in cauſa, ſed propriis animorum ſuorum motibus & inſinctibus per id ſatisfacere conentur. Quidam enim inde ſe tranſerunt, in ſcandalum remanentium & extraneorum id audientium, diſcordiam in domo relinquentes. 8. priorum - Priorem. 9. ad ordinem &c. - ad ordinem Iohannitarum in Friſiam, videlicet S. Iohannis. 12. ſe ipſum in carcere occidit. Ibid. Iſti capitanei fuerunt egreſſionis eorum, qui à conſortio fratrum bonorum de congregationibus Montis S. Hieronymi in Velua, & eorum in Zwollis & Davenportia reſeſſerunt; & videmus, quod mercedem iniquitatis ſuæ reportaverunt. 15. poſt fuſcepimus, adde: nobis competenter bene obtemperantes.

tes. Sed post discessum nostrum sub alio Priore in reprobum sensum se dederunt, quia sapientes erant in oculis suis, & in simplici obedientia Prælatorum suorum non permanserunt. 19. Sextum capitulum de Monasterio in Bodike (est in MSto capitulum trigefimum secundum.) 30. Iohannem Danielis. 38. Esingen. 45. Clovekorne aut Bernardus Prior in Hamersleve. 47. Habent nunc - habuerunt tunc. 57. Nortbornenses. 58. Priorem - patrem. ibid. Laicos - Laicos. 62. Hartzenhagen. 61. Furstengarden - Kirfengaerden.

Pag. 483. lin. 1. Pabebergensis - Paderburgensis. 2. Mersbaeb. ibid. Arbogasti. 4. Zwaibenbeim. Franckendale & Heidenfelt omittuntur in MSto. 4. leg. reformatione. 17. De Monasterio in Molenbeke (est in MSto capitulum trigefimum tertium.) 21. Prior Arnoldus leg. Pater Arnoldus. 23. quod - qui. 26. post : & equorum, adde : bene tamen aptanda & purganda. His praxivis & debite consideratis, oportebat tamen. 27. post, Archidiaconi, adde : Domine illius Monialis & vicariorum. 48. magna & parva - unum valde magnum & alia minora. 59. (Bodike) leg. in Molenbecke. 60. multam in salutem - multis in salutem ; demum omnino combustum.

Pag. 484. lin. 2. De Monasterio in Dalem (est in MSto capit. trigefimum quartum.) 9. fecerint professionem - jam sunt professi. 15. inter septa - intra septa Monasterii tamen. 18. laicis in suis - laicos cum suis officinis inferius cum pecoribus & aliis officiis volens remanere. Plurima habent pecora, oves & boves, equos & asinos, porcos & vaccas in multo numero. Prior de Richenberge & ego in Sultz Prior, circa festum Meynulpbi in die S. Francisci invenimus ibi XXIV. tunnas, spissi lactis ovium & vaccarum plenas, & ipsum Monasterium in bona disciplina & regulari observantia, & in temporalium bonorum bona excrecentia. Oves habent circa duo millia, vaccas ducentas, equos quadraginta novem. Omnia igitur Monasteria in campis situata, agros & prata circa se habentia, prater porcorum multitudinem & animalium nutrimentum, plures ad se possunt laicos recipere, animas suas salvare cupientes, & singula certa opera sibi convenientia distribuire ; qui fideles sunt fratribus suis, & Monasterio sine mercede exteriori solite servientes. 20. de quindena in quindenam, hoc est, alternatis dominicis. 25. De Monasterio in Volkerinbusen (est in MSC. Capit. trigefimum quintum.) 27. Padebergensis - Paderburnensis. 38. ad capitulum generale, tunc proxime celebratum, id retulimus. 39. Fratres de Molenbeke, ibi inventos. 40. sibi - ad id. 45. primi Prioris in novo Monasterio pertinet. 49. in stallum suum in choro. lin. ultima post, Monasterio, addit MSt. Videlicet hac subiecta : novem vaccas fetas, duos tauros, septem capras, octo equos, novem porcos pingues, viginti unum porcos communes, duas serophas, curram & carrucam subserratos, duas bigas variis utensilibus onustas, sex pernas lardi, XII. pelles bovinas ad calciscos inde faciendos, bmsium, butyrum, caseos, oleum, almucia, superpellicia & variam suppellectilem.

Pag. 485. lin. 2. De monasterio in Zegeberge (est in MSto Capit. trigefimum sextum.) 4. in Hollatia, ad quatuor milliaria ultra Lubike. 10. intra divina - dominicis & . 11. tertiam - tertias. 12. post sermonem ASPERGES & introitum misse cantare. 16. primos ejus reformatores - plures in reformatores. ibid. Primus Prior eorum fuit Hermannus, in Ludinkerka Monasterio ordinis nostri professus. 23. Et quia multo tempore bis vel ter in anno id sibi contigit, ut Episcopus ad examen tale vocaretur, & semper contrarium invenit, hoc ipse diutius sustinere nolens, in vitis plurimis intus & foris, Prioratum resignavit. 35. cappa cooperta & inclinato capite. 36. manibus - motibus suis. 46. advenientibus - ibi inventis. 50. quod - quia. 52. in suo sensu - in sensu non.

Pag. 486. lin. 6. tunc nollet eorum esse Prior. Prior ergo de Windesen remisit laicum illum, qui pro electione venenit, ut responsum conventus super premissa reportaret. Qui morum faciens, infra XXX. dies non fuit reversus. Prior ergo de Windesen scripsit mihi in Brunopiam, ut consentirem in electionem ante finem termini deliberationis: ne secundo oporteret eos ad electionem procedere. Tunc ego cum notario & testibus dixi: in electionem illam de me factam consentio, dummodo responsum conventus mihi placuerit. Tandem nuncius fuit reversus, responsum deferens per ambages, putantes, pro Duce & Lubicensibus non deservire, cum quibus habueram judiciales actiones & impetitiones. Tantum intellexi, quod ad propositionem meam volebant consentire. 13. capitulum - capitulariter. 18. electus - iterum electus. 25. ut conventus ille consentiat: hæc ita leguntur in MSto: ut placeat, quod Prior eorum Prior fiat in Zegeberge, si ipse velit Prioratum hinc assumere, tunc faciam, qua hortamini & rogatis, quia mihi idem est, ubicunque &c. Negavit ille dare consensum, & ita uterque mansit, ubi fuit. 30. absolutus est, & ad Monasterium suum in Bodike remissus. 31. in Windesen conventualem, qui novum chorum ibidem edificavit cum subsidio Civium Lubicensium, ut separari magis possint à secularibus viris & feminis, ad parochiam pertinentibus. Pater iste etiam sollicitus est pro aliis monasteriis ordinis nostri reformandis, videlicet in Bardesholme, & in Ebelholt.

Pag. 488. lin. 21. Undecimum capit. De reformatione Monasterii B. Mariæ in Wittenborch, (est in MSto Capit. vigefimum nonum.) 25. nec forte leg. nisi forte. 26. Beghardos - Bachardos. ibid. etiam turbari - inde exturbari. 29. post, institutionem, adde: Monasterium ipsum prius castrum fuit, unde multe depraedationes saepe fiebant; praesertim cum circa se silvam haberent, in monte sitam, in qua homines à se captos ad arborem in silva condensa ligabant, manibus & brachiis retrorsum constrictis; lignum ad quantitatem digiti in ora eorum intra dentes superiores & inferiores imponentes, ut clamare non possent, & ita eos stantes dimittebant: qui ita sine cibo & potu diu

per-

permanentes, moriebantur, & corpora eorum exsiccabantur, nisi casu aliquis superveniens eos à vinculis illis absolveret. 31. in Windensēnensi capitulo generali - in Monasteriis, capitulo generali de Windesem unitis. 38. Harderwis - de Harderwick, post Priorem in Thabor, ac per decem annos rectorem Monialium in Depnevne, & fratrem Gherardum Goch, post Priorem in Rubea valle, & per viginti pene annos procuratorem in Windesem. 51. Post eum, cum in Sultam - Postquam frater Iohannes Busch in Sultam. 53. Postquam præfati Priores - MStum ita: Post Patrem Godfridum, qui XIV. annos Prior ibi fuisse, fratrem Rotgerum de Hervordia natum, filium conventus, in Priorem sibi elegerunt, qui X. annis eis præfuit; & post eum fratrem Iohannem Gotsingen, in Richenberg conventualem, qui de tecto domus in illorum allodio corruens, membrum valde collisit; unde & mortuus fuit. Post hunc fratrem Iohannem Bilveide, conventus sui conventualem elegerunt in Priorem, qui Priorem sui officium per annos pene septem satis strenue gubernavit.

Pag. 489. lin. 2. affectans - conservans. 4. Prioribidem - primus Prior ibidem in Reformatione. 7. utriusque sexus per Saxoniam diversarum diocesum, Hildesbemensis, Halberstadensis, Verdensis & Ducatus Brunsvicensis. ibid. eas - eos.

Pag. 490. lin. 10. Duodec. capitul. De Monasterio in Richenberg. (est in MSto capit. trigesimum). 14. XXIX. in MSto. quarto decimo. 16. fratres suos primos - primò fratres suos posuit in Priorem & reformatores. 19. Post pecorum suorum addit MSto. quia ultra mille oves habent, & equos, vaccas & porcos in magno numero. Habent etiam sedecim vivaria, de quibus ultra propriam necessitatem centum aut ducentos florenos Rhenenses saepe annuatim comparare solent de piscibus. Apes etiam habent quam plures, de quibus non parvum fructum mellis & cera consequuntur. Molendina habent, pro frumentis conterendis, quæ aquis fluentibus volvantur, & MOLENDINVM PRO LIGNIS ET ASSERIBVS SERRANDIS. Diversos etiam habent laicos officiales & officinas, videlicet fabros ferrarios, carpentarios, sartores, sutores, rufos, pistores, braxatores, ligneta magna in montibus & vallibus, decimas & mansos in locis diversis: agros quoque circa Monasterium, quos per proprios suos colunt laicos; unde blada cum propriis equis convehunt ad Monasterium & in horreis reponunt. Butyrum etiam & caseos de lacte ovium & vaccarum laici eorum conficiunt in tanto numero, ut præter caseos, quos ipsi consumunt, aliquas caseorum tunnas aliquando vendant aliis. 23. post solenne pon. comma. 27. Cremer de monte S. Agneis. 30. Hinricum, Allardum - Ruricum, Allerdum. 35. Vrendeswelp - Wrenderwel. 36. XIV. annis - X. annis.

Pag. 491. lin. 23. Decimum tertium Capitul. est in MSto capitulum VI. 31. per multas civitatis plateas - MStum ita: sub plateis in terra ducitur ad diversos puteos, per quos aqua exhauritur in diversis locis platearum; & inde braxatores multi optimam braxant cerevisiam, quæ circumquaque per regionem transvehitur ad potandum. 33. post Michaelis adde: quorum tres modii faciunt unam tunnam, allecum in quantitate. 34. rapiens - rapientes. 35. levantes, multos saepe conterruerunt. 36. post - prius. 39. exorcismata. 40. aquæ - aquas. 41. columnis autem rotundis - & columnas in utroque latere altas, magnas & rotundas cum capella B. Mariae in ejus orientali latere dextro, consecrans eandem Ecclesiam in honorem S. Bartholomæi. 44. Post, quam alii Apostoli, adde: Ecclesiam quoque asseribus testudinavit & petris contexit. Exin locum ipsum per se ad tempus incoluit. 45. & presbyteris - pro presbyteris. 50. (intro) intertulimus - inde tulimus. 51. S. Godehardi eam vocantes, (ecce piam fraudem) quia Dominus Bruningus, licet vir sanctus fuerit, nondum tamen erat canonizatus. (voluit dicere, non erat canonizatus) Sepulchrum quoque ejus elevatum terra coaquavimus, cujus sarcophagum, quod super corpus ejus in alto positum fuerat, ante chorum collocavimus, ad palmam manus à terra elevatum propter cancellos, sub quibus jacere non potuit, propter ejus à terra modicam elevationem. Corpus igitur ejus jacet sub cancellis in medio Ecclesia, in sepulchro, lapidibus infra, supra & à lateribus bene murato. 60. quinquaginta - quadraginta duos.

Pag. 492. lin. 21. post verba: ad observantiam regularem perducendos, additur in MSto: Prior ergo de Wittenborech dedit mihi solidum pro bibalibus, & clericum socium, dicens mihi: Vos eritis cum eis. Potius sederem in COMMODO (in einer Stube) aliquo, ubi nec solem nec lunam viderem toto tempore, quo ibi eritis: sic illos companos cognosco. Hoc dixi præter (leg. propter) spiritus sui pusillanimitatem; mihi autem crevit cor in ventre. Pestilentia etiam regnabat in tota terra, præsertim in Hildesbemensi. Quando perrexi versus Wittenborech, efficiebar pestilenticus: quando vi versus Hildesheim, videbatur mihi, quod hausi novum bonum aërem recentem; & ita consideravi, quod Domino Deo placuit, ut ita in Sultam pergerem. Veni autem ad Sultam in vesperum, & à Præposito Domino Iohanne Driborch in coquina sua fui satis benigne receptus. Tunc supervenit Sacerdos, Dominus ALBERTVS BONS DORP, dicens: Domini & fratres Monasterii jam de civitate venerunt, pleni cerevisia EMICENSI (Eimbeccensi) sedentes ante Ecclesiam in Paradiso. Si Pater iste ad eos venerit, occidit eum. Præpositus autem vir senex sexagenarius dixit: locum non habeo pro eo, nisi quod in dormitorio cum uno fratre competenter bene voluntatis dormiat, IOHANNE ENGELKEN. Et cogitavi: istud bonum est nuncium in principio. Quia vero lectus nimis angustus erat, nocte illa dormivi in cella fratris illius super cistam ibidem stantem. Mane tunc venit officialis Domini Hildesbemensis cum uno Canonico Ecclesia majoris, Domino Borchardo de Hardenbergh, & præsentaverunt me conventui pro eorum in regulari observantia informatione; & ita me compulsi receperunt.

Kkkkk

CAPIT.

Quomodo fratres propria resignaverint, & ad reformationem in choro, in refectorio, se disposuerint, & de fugitivis.

Cumque per integram septimanam cum eis conversatus fuisset, vidi, quod nec in choro, nec in refectorio, dormitorio, claustro aliquam seruauerunt disciplinam: sed infra gloria Patri, gloriam hymnorum, collectas & alia cantica unus sedebat, alius stabat, tertius ambulabat; unus ad orientem, alius ad occidentem, ad austrum sive aquilonem se vertebat. 26. non pertinebant. & interim nihil eis dixi de his, quae ad reformationem pertinebant. 30. in summo - majoris Ecclesiae. 36. & post capitulum profundum silentium - & profundum post completorium usq; ad primas silentium. 38. leg. aliquid post benedicite: in MSto ita: legimus primo benedicite stando, dein ad mensam sedimus; Præpositus, si affuit, in capite mense; si non, tunc ego, & alii ab utroque latere. Et ante comestionem legi sacra scriptura passum bonum: Et dein post benedicite, quando mihi videbatur, licentiam dedi loquendi, & aliquid boni de scripturis, sanctis conferendi; & satis mihi in cunctis obediebant, quia non cum austeritate & præcepto, sed cum pietate & rogatu, quod volebam, iis insinuabam. Comestione peracta legimus gratias similiter stando. Dixi etiam, ut in choro alternatis vicibus starent & sederent infra psalmos, chorus hebdomadarii primum psalmum, chorus alter secundum psalmum, & ita ulterius. 41. benedicite ante mensas stando. 42. ad mensam sedentes ea exuerent - & antequam ad mensam se locarent, ea exuerent. 44. in refectorio - in choro, & refectorio, & in conventu. 52. Magnus Episcopus. ibid. canonicissimi - canonici sui. 54. officialis curia Episcopalis. ibid. agendorum - omnium, quae ab eis desideravi pro reformatione sancta perficiendum. 55. Zwanenflügel - Zwanevogel. 58. post, severus, adde: ne forte inciderent in manus ejus; qui media nocte perversos & inobedientes fratres tollere poterat de monasterio, per nos requisitus, & in castro eos incipere & corrigere. 60. S. Georgii prope Goslarium.

Pag. 493. lin. 1. reformationem in Richenberg didicerant - propter reformationem se translulerant in Richenberg. 3. post verba: ad meliora provocantes, adduntur in MSto sequentia: Unde & non longe post unum constitui in Priorem & alium in procuratorem. Frater Hermannus Leo cum procurator fuisset ad tempus, talem fecit de omnibus receptis & expositis rationem, ut omnes fratres de bona computatione ejus omnino essent contenti, quamvis omni anno singuli portiones suas de pecuniis & frumentis sicut proprietarii consueverunt sublevare, & in propriis bursis reponere. Computatione facta in crastinum duxit me ad cellam suam, ostendens mihi sub lecto suo bursam plenam pecuniis, ut aestimo, plus quam sexaginta talenta, quae hoc anno per prudentiam suam superaverat. Idoneus igitur & multum utilis fuit procurator, & bonus mechanicus ultra omnes homines, qui habitabant tunc in terra nostra. Unde & de ejus consilio dormitorium nostrum, quod erat quasi stabulum porcorum, nunc amantissimum est super omnia dormitoria totius patriae; & transitum de dormitorio ad necessarium, undique aquis præterfluentibus circumseptum, adificavimus, & in ipso NECESSARIO (Secessu) nullus odor malus; quia in medio inter sedes in quadrum positas caminum magnum fecit, omnes malos humores & odores ad se trahentem & superius emittentem. Sed & FORMAS in choro juxta ordinis nostri consuetudines ipse paravit. Et habuit fratrem Iohannem Bodiker, quasi COVERTINVM suum, in omnibus coadjutorem, nihil unquam faciens sine nostro consilio & bona voluntate. Et quia nos tres, ego Præpositus, Iohannes Bodiker Prior & Hermannus Leo procurator semper unanimis fuimus & per omnia concordēs: nemo nobis poterat resistere, & in facie & retro dorsum nullus nostrum trium aliquem vituperavit seu ipsi detraxit, sed magis laudavit & magnificavit. Ergo semper profecimus intus & extra coram Deo & hominibus, & cuncti pariter bonam nostram laudabant reformationem. Habuimus Canonicos majoris Ecclesiae, etiam Præpositum & Decanum, & aliarum Ecclesiarum Canonicos; Monasteriorum diversorum Abbates, Præpositos, Priores & Fratres, Proconsules, Consules, divites & pauperes, mediocres & totius patriae primores aliquando nobiscum ad mensam prudentes seu canantes: qui satis laudare non poterant laudabilem vitam nostram & sanctam conversationem. Tunc enim nullum Monasterium in & prope Hildesheim fuerat reformatum, nisi Caribursense ad occidentem civitatis, & Cistercienses etiam, ad quartale milliaria constituti. Unde & Reformatio Monasterii Sultensis occasio fuit & initium multorum aliorum Monasteriorum, per terram postmodum bene reformatorum. Sed revertamur ad propositum primae nostrae narrationis. Consideravi enim, quamdiu antiqui fratres in Sultra simul ibidem permanerent, &c. 8. Treen - Troen, qui fuerat in Sultra Præpositus. 10. absentiam à Monasterio. 11. & interrogabant me. Tunc Domini interrogabant me. 12. fornicationis - in fornicationem castros. 16. scalam - scalam. 17. ascendit - transcendit. 18. Clerico - tunc Clerico in carcere. ibid. ivit in civitatem &c. lege: sine licentia nostra reversus fuit ad civitatem. 21. si tamen carcerem intraret - quod vespere iret in Sultram ad carcerem valde strictum sine lumine & lectisterniis. 41. Sic iterum invenerint - Si contrarium inveneritis, tunc eos corrigere poteritis: quia melius in seculo se habebunt humano timore, quam nunc se habent in Monasterio. 48. Antiquus resignat Præpositus &c.

CAPITULUM IIX.

Quomodo fratres habitum & cantum reformatum assumerunt, & ego Præpositus factus fui, & plures fratres investivi.

51. bonam tamen habuit ad reformationem satis inclinationem ac voluntatem.

Pag. 494. lin. 9. & dimisi vobis - & illum vobis dimisi. 10. Officialem suum Dominum Rolandum, & Dominum Borchardum de Hardenberg, majoris Ecclesie Canonicum. 11. Quod cum omni persecerunt diligentia, more statutorum nostrorum, per Priorem & Seniores in Ecclesiam usque ad gradum Sanctuarii me inducentes, & oratione completa in genibus, ad stallum Præpositi me reduxerunt, & deinde in domum capituli. 16. requieret. 22. contra leg. gratis. 25. In Hildensheim etiam Sabbato &c. hæc ita habentur in MSto: In Hildensem & per Saxoniam hebdomadationis servatur Dominica post Michaelis, proxima pro defunctis. Et sabbato post communes aurea cantatur missa ab omnibus Prælatiis, Canonicis, secularibus & religiosis cujuscunque ordinis, Benedictinensibus, Canonicis regularibus, Prædicatoribus, Minoribus totius civitatis, de B. Virgine Maria in organis, qua per tres seu quatuor horas vix potest terminari propter caudas magnas, quas cantando & organizando protrahere tunc consueverunt. 30. etiam pullus affatus. 31. & quatuor solidi Lubecenses dantur. Hæc est præsentia omnium Prælatorum. 42. cantualibus - conventualibus. 43. libros, more ordinis nostri notatos & virgulatos. 44. miste conversum ordinis sui Cisterciensis, de Camp Monasterio circa Missiam eis transmissum, sarcorem magistralem, multum affabilem & ad bona inducentem. 46. primo tunicam longam albam, deinde subtile superpellicium & almucium, nobis de Wittenborg concessa, qua ante non potuimus præparare. Omnibus igitur fratribus sic indutis, & antiquis vestibus, scorlicis nigris seu griseis tunicis longis exutis, ad chorum processimus. 57. ac demum Prior - deinde cum Præpositum Hallis ad Novum Opus susceperam, post Patrem Arnoldum Gandersem Prior factus fui.

Pag. 495. lin. 1. Archidiaconatum nostrum circa XX. villarum. 8. strictissime observavit. Deinde electus fuit & confirmatus Prior Monasterii B. Mariae in Wittenborg ordinis & capituli nostri, Hildeshemensis diocesis: quod usq; hodie in omni disciplina & caritate & pace nititur conservare, & in vera capituli nostri generalis unione. 12. de antiquis fratribus -

CAPITULUM IX.

De antiquis fratribus, quomodo postmodum reformationi se opposuerunt.

20. Broel - Brakel. 23. per fortes - per vim. 32. quem leg. qui. 40. ut tali modo - ut tali animo, & tam perversa voluntate impediendi reformationem. 48. Dux Otto - Dux Otto Brunsvicensis & Lunenburgensis nuncium miserat unum de Spiegelberge, qui similia nobis proposuit. 52. Tunc lecta fuit usq; ad litera - lecta igitur litera. in edito est: in tentunico (f. tentorio) legendum: teutonico. 62. retro intrarem - per retro in Ecclesiam intrarem.

Pag. 496. lin. 1. Vix autem in Ecclesiam. lege: Cum id facere vellet, vir in Ecclesia consistens, clamavit, ut paulisper expectaret, donec ipse prius exiret. 2. in culinam - in ecclesiam. ibid. cum quibusdam civibus cognatis suis. Civibus mandavit Consulatus, ut ad statim exirent sub pena omnium honorum suorum & corporum. Procurator noster Hermannus Leo clauserat omnia ostia firmissime, & noluit eis aperire, ut exirent. Tandem ego dixi interrogatus, ut eos exire permitteret, & fecit sic. 4. in scorlicis sine capuciis. 5. & latera - ad latera. 6. paritet - pariter. 8. ut in suum monasterium intrare deberent - ut fratres illi antiqui in suo deberent Monasterio permanere; & ideo nihil &c. responderunt. 12. Abbatem de Marienrode, qui mecum sapius certa Monasteria visitavit. 18. à Præposito - foras à populo. 21. Croen & Burchardo - Troen & Borchardo Algermissen. 22. Attelum - Hottulum. 23. Hinrico - Friderico. 27. Exierunt - Prandio igitur facto exierunt. 30. eos intertulisset - inde eos abstulisset. 33. quia fuerant in Monasterio, & inde voluntarie exierunt. 34. Quomodo capitulo -

CAPITULUM X.

Quomodo Monasterium generali Capitulo de Windesem fuit incorporatum; & de banno in Hildesheim fulminato, quomodo Sultenses in eo se habuerunt.

40. de Defolt postulatus. 41. de Culenborg confirmatus Episcopus. ibid. Patri de Windesem - Wilhelmo Priori in Windesem. 46. victum - ritum. 56. capitulo - à capitulo. 62. intencum mecum.

Pag. 497. lin. 5. Cisterciensis, ad quartale miliaris à civitate habitantes. 14. Post nostram requisitionem - hujusmodi requisitione facta. 21. amicis - canonicis. 23. inveni Proconsulem medio bacularium in foro - inveni in foro Proconsulem, in jure Bacalarium. 44. aliquam -

Kkkkk &

ali-

aliquando. 48. Etiam &c. leg. Circa Epiphaniam Domini requisiti fuimus, & ideo. 50. ubi volebant: & ita cives non poterant intelligere, utrum cantaremus vel non. Tempore autem interdicti clausis januis horas in choro persolvere soleamus: jam janua semper fuerunt aperta. Manifeste enim non repugnauimus contra cives, sed tum cautelose omnia fecimus, ut & mandatis Apostolicis pareremus, & contra cives non insurgeremus, cum Monachis repugnando. 52. Doctore Taken in Magdeburg - Magistro Henrico Take (alias Toke) in Magdeburg, Sacra pagina egregio Doctore. 55. asserere. forte voluit dicere ascia pro securi. 57. Iohannes Zwanevogel. 59. sanum sapiens - satius sapiens. 60. non esse - nec esse. 61. cantelam - cautelam. ibid. transgressores, significans, eos verè fuisse excommunicatos. In quatuor festis principalioribus, & in die Sacramenti, & per octavam ejus omnes INTERDICTI ad divina possunt admitti, EXCOMMUNICATIS exclusis.

Pag. 498. lin. 2. Mane igitur tunc - In die ergo Pascha. 3. & in organis summae missae - in MSto ita: & quia cives in orientali parte civitatis commorantes libenter Ecclesiam nostram solent visitare, praesertim diebus celebribus in missis & vesperis, etiam propter indulgentias, idcirco tempore summae missae ludi fecimus in organis, ut vel sic non animadvertent, quod interdictum servaremus. 4. Prandio facto, boni quasi prima. 15. de fratribus &c.

CAPITULUM XI.

De fratribus reformationi se opponentibus, & quomodo ad majorem Praeposituram fui vocatus, & de Prioribus mihi in officio in Sulda succedentibus.

18. Magis - magna. 19. Unus enim frater Wilhelmus nomine in abitu. 20. intrudere, si non continuo ejus adimplerem voluntatem. 22. post - primus. ibid. Ioduyt, Ioduyt. 24. solvens sibi ollam - solvens ei pecuniam pro olla sua & filiorum suorum aenea, quam in coquinam nostram concesserunt. 25. foras cellam - foris cellam stans. 28. qui pugnent pro nobis. Frater enim ejus carnalis & amici ejus non erant de minimis in civitate. 29. Alius ibidem frater Fridericus Peimis. 31. Sulda - Sulcia. 36. reformatore - informator noster & reformatore. 38. mortuus fuit - interfectus est. 39. si istud praescivissem, - si istud scivissem, quod vos dominium totum in Monasterio nostro essetis habiturus, quid cura fuisset. 42. oporteret vos. 43. Quartus dixit: ego Patrem occidere nolo, sed consilium bene probarem, quo tanquam à se ipso occideretur. 49. per annos plusquam 31. - ultra XXXIII. annos. 52. obiit leg. abiit. 54. cum fratribus - per fratres de Sulda & de Richenberg, per Priorem de Richenberg Henricum Cremer, & per me ibidem missos. 59. professus - procurator.

Pag. 499. lin. 1. XIX. annis - XIV. annis. 3. reformavi - reformantur,

Pag. 500. lin. 15. CAPIT. XIII. In MSto est

CAPITULUM XII.

De reformatione Monasterii Novi Operis prope Hallis in principio.

20. in quo Praepositus - haec & sequentia constituunt in MSto

CAPITULUM XIII.

De tribus ejus solennibus processionibus, & quomodo ordinatus ibi fui in Praepositum, permanens Prior in Sulda.

Ipsam vero Capitulum sic ibi incipit: Praefatum Monasterium plures habet solennes processiones, & in processibus stationes. 21. In die Palmarum Praepositus, postquam palmas in Ecclesia benedixit, Ecclesia cum conventu suo processionaliter egreditur in campum extra caemeterium inter civitatem & Monasterium ad locum, ad hoc paratum, tectum pro crucifixo in eo deponendo. 23. quibus tunc palmas - quod in Novo Opere, & non in Parochiis suis palmas solent benedicere. 25. & ego tunc ibi Praepositus - sed ego stationem tenui, & CRUCIFIXVM PERCVTIENS cantavi: percutiam pastorem & dispergentur oves gregis. 27. omnes fratres sericis cappis aureis seu argenteis. 28. cussinoque. 30. super eam - in lato campo. ibid. coram se stantibus - chorus contra chorus cum crucibus & vexillis in opposito suo stantibus. 32. Fratribus & clericis - Fratres enim & Clerici ac Presbyteri praesentes, salve festa dies, victima Paschali laudes ibi tunc decantant. 33. cantilenas & cantica teutonica. 34. sequitur processionem - cum tali processione & omni populo vadit ad Ecclesiam. 36. omni clero & populo - conventuque & omni populo, cum sequens, in Ecclesia cantum ibi convenientem prosequitur, & in organis cantus assumitur, donec, omnibus ad talem festivitatem convenientibus finitis, Praepositus surgens ad chorus vadit, & ad missam summam devotissime celebrandam se disponit, in organo majore officium Missae decantando. Tertia processio in die celebratur S. Alexandri Martyris, cujus corpus in sarcophago deauro & deargentato, lapidibus pretiosis intextis, foras per caemeterium à presbyteris, ad hoc deputatis, circumfertur; Praepositus Novi Operis, Montis Sereni & de S. Mauritio cum variis suis almucis, & conventu Novi Operis personaliter subsequenter, omni populo civitatis utriusque sexus hinc inde

inde concurrente, pro Patroni totius Archidiaconatus reverentia. Dies enim illa per Archidiaconatum celebrari merito solet, mandari & denunciari. Unus autem Præpositorum alterius Monasterii tunc ibi summam solet cantare missam, sicut econtra infestitatibus suorum faciunt Patronorum, dum per alium Præpositorum summam faciunt decantari missam. 45. Monasterium igitur ad Novum Opus præfatum &c. Hæc & sequentia sunt in MSto pars capituli superioris, nimirum XII. 47. Gerner - Cremer. ibid. in Monte Sereno ordinis nostri. 48. vocati per Archiepiscopum. 51. Cumque fratres - Cumque Præpositus & fratres de mandato Domini Archiepiscopi in reformationem suam nobis confessissent. 52. Bodeken - Bodiker. 57. Ad cuius instantiam, cum jam prædicti fratres inde revocati fuissent, alios notabiles & religiosos fratres de domibus nostris illac remisimus. 60. Iohannem Winter de Richenberge, sacerdotem professum.

Pag. 501. lin. 1. Cum ergo supervenissem - Cum ergo rogatus ad eos de Sulta venissem, quod principalem in me habebant confidentiam, & meis consiliis libentissime paruerunt: contigit Principes terrarum, Ducem videlicet Saxonie Fridericum & Langravium Thuringie Wilhelmum, graves inter se habentes discordias de terrarum suarum divisione, quia fratres erant, pariter convenire in Hallu & in Novo opere cum Archiepiscopo Magdeburgensi, de Marsborg, de Misina & aliis Episcopis; cum Marchione Friderico de Brandeburg Electore Imperii, & aliis Principibus terre, Langravio Hassia & ceteris Comitibus, usque ad triginta PRINCIPES, præter Abbates & Præpositos diversorum ordinum, milites & Barones, totiusque provincie majores. 10. Respondit Dominus Basso Præpositus Halberstadenfis. 14. ipsorum - istorum. 18. Præposito Halberstadenfi præfato. 23. à Præposito meo Nicolao. 24. susceptionem meæ literas - susceptionis literas. ibid. quam - Quem. 26. Regulam nostram. 28. qui nollent, quod legerent - alias juxta tenorem scheda illius, quam aperte & distinctè legit coram omnibus, perpetuam reciperent à Monasterio licentiam, & tunc post mensem illum scirent se perpetuo à Monasterio demembratos. 33. procurator sive Camerarius. 35. Everhardum Lotben. 37. finaliter permanserunt. 41. ita ut - & tamen. ibid. Spies - Spier. 42. acquiesceret - acquievit. 42. Videntes post hæc - Hæc & sequentia sunt pars capit. XIII. in MSto, ubi ita legitur: Fratres nostri, Prior, Supprior & Vestiarius, & alii eis associati, videntes, sine capite debite reformato perfectam non posse subsequi reformationem, apud Præpositum Nicolaum Spier Novi Operis, virum senem, magnum & corpulentum insteterunt, ut voluntarie Præposituram resignaret, & aliam virum bene reformatum locum suum permitteret subintrare. 53. gubernare non sufficeret, qui in jure & externis non esset expertus. 62. regimen & curam pastorem in Sulta plusquam per annum in commendis ab ipsis & à visitatoribus mihi conservans.

Pag. 502. lin. 1. Præpositus autem hoc modo factus. Similibus verbis, ut modo apparebit, incipit

CAPITULUM XIV.

Quod Præpositus factus Archidiaconatus renovavi & synodum servavi.

Præpositus factus, hoc modo fui inbronisatus. 3. me inclinare fecerunt - me in genibus positum recitare fecerunt. 5. sic jacens, almucio vario, sicut Episcopi & Canonici Majoris Ecclesie portare solent, amictus. 7. Præposito Mariæ - Magistro Everhardo, Baculario Sacre Theologie, Præposito ad Beatae Virginem in civitate Magdeburg, ordinis Pramonstratensis. 10. stare - starent, sed propter fratres domus primi essent, ut sequerentur. Deinde Plebani civitatis & pauci seniorum etiam obedientiam mihi fecerunt: reliqui omnes fratres ad dormitorium recesserunt. Tunc dixi Doctori Thoma ego sedens in domo Capituli: eatis ad eos, & reducatu exercitum. Tunc Doctor Thomas & Magister Everhardus cum aliis dormitorium intrantes, bonis verbis eos reduxerunt in Capitulum; quibus dixi; carissimi fratres, ego in nullo volo vos gravare. Si placet vobis, ut mihi obedientiam promittatis & nobiscum maneatis, libenter vos habeo: si non placet vobis, ut maneatis, accipiat licentiam perpetuam sicut alii quidam fratres fecerunt. Tunc singuli ad obedientiam mihi præstandam accesserunt, paucis exceptis, qui licentiam absentia acceperunt. Præfati etiam patres voluerunt, quod almucium nostrum varium, sicut Archiepiscopus & Canonici majoris Ecclesie Magdeburgensis deferunt, in magnis festivitibus & processionibus ego etiam deferre deberem; & feci sic, quia inter illos Præpositos de Monte Sereno & ad S. Mauritium Præpositus Novi Operis locum semper obtinuit eminentiorem, quia major Prælatus. 15. cantum autem nostrum - Hæc & sequentia in MSto reperiuntur in capitulo XII. 19. divina - omnia. 28. Promissi autem XX. florenos - Propterea tam late eis respondi, ne mihi imputarent, quod in proprio cantu non permanserunt, sed potius Domino Magdeburgensi. 36. in hodiernum diem - per annos plusquam XXV. 37. similiter & ordinantiam - statuta, ordinaria, & ceremonialia nostra servantes. 38. Præpositus ergo factus ibidem - Hæc in Capitulo XIV. ita leguntur: Postquam ergo ad plenam perveni Monasterii auctoritatem. 40. interrogatus - à Proconsule interrogatus. 41. quod & feci; sicut Præpositus Montis Sereni in recessu meo inde mihi in mensa sua dixit: verè novum mundum, sicut prædixisti, hic perfecisti. 42. valentem prædicatorem - prædicatorem, virum eloquentem, zelum Dei habentem, vitia & peccata usque ad plenam populi emendationem corripientem, Dei Præcepta prædicantem, & nisi opere ea persicerent, à singulis præceptis non cessantem. Diem festum ita cele-

celebrari mandavit, quod omnes rerum venalium venditores diebus celebribus fenestras suas clauderent, & nihil venale exponerent, qui ante nos diebus celebribus, sicut ferialibus, cuncta venalia in fenestris suis exponerent. *Quae* praedicator noster predicavit, ea in ambone per mandatum praecepti observari. *Emendatio* populi Hallensis per nos & nostrum praedictorem facta, ubique percurrebuit, ita, ut Doctor quidam ordinis Minorum in civitate Nuenbergenfi &c. 49. ita ut Hallis usurarii, se tamen nescientes usurarios. 51. & alia plura similia - multae etiam alia Dei mandata ad ejus praedicationem non solum Hallenses, sed & tota patria diligentissime curabant observare. *NB. Sequentia usque ad capitulum XIX. non habentur in edito. Synodum ego ipse, quia Archidiaconus loci eram, personaliter servavi; quod in memoria hominum non fuit, ut Praepositus Novi Operis per se synodum servasset. Proconsules igitur & multi divites & docti audientes, me ibidem praesidere, ad Ecclesiam confluebant. Sedi ergo cappam indutus, stolam habens in collo sacerdotalem. Officialis mihi ad dexteram, & unus Plebanorum seniorum ad sinistram confidentes. Alii sacerdotes omnes superpellicis induti, ad circulum in utroque latere chori sedebant. Mensa tecta, duobus ceris accensis, cum scrinio reliquiarum stabat ante nos. Interrogavi stans Archipresbyterum, an tempus esset servandi synodum: qui respondit: etiam. Et adieci: quid agendum est hic in synodo? Respondit: hic legi debent statuta synodalia, & emendari emendanda. Tunc dixi: confirmo hanc synodum sanctam in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, signum faciens sanctae Crucis. Responderunt: Amen. Tunc posui me ad sedendam, & omnes Presbyteri mecum. Deinde sermonem feci in Latino de statu, vita & moribus Clericorum. Quo finito, officialis seu ejus Notarius statuta legit synodalia, quae non erant unius lateris, sed X. aut XII. puncta, quae per juratos in synodis accusari solent. Quibus lectis dixi Archipresbytero, quid hic in synodo esset agendum? Respondit: hic debent emendari emendanda. Si ergo hic debent emendari & corrigi emendanda, oportet, quod hic sciatur; & non sum Deus, ut sciam, quae facta sunt, nisi dicantur mihi. Debet ergo unusquisque vestrum hic venire ad medium & dicere: Domine Pater, hoc & hoc ego feci contra mandata & statuta Praelatorum meorum; vel debet unus ab aliis proclamari. Interrogavi singulos, & non poterant respondere, timentes, quod cum eis facere vellem, ut in Capitulis sit omnium religiosorum. Tunc dixi Archipresbytero: Domine, vox dedistis consilium, date auxilium & dicatis nobis, quomodo hic debent emendari emendanda. Qui perdidit colorem suum, puto, quod habuit concubinam secum in domo. Cumque nemo mihi poterat respondere, tandem unus plebanus juris Bacalarius dixit: Domine Pater, antiqua statuta synodalia nobis lecta, servavimus. Vos autem nova edidistis statuta, etiam jam nobis lecta. Si quis eorum transgressor fuerit, illum in sequenti synodo corrigere potestis & emendare. Tunc dixi: si ita vobis videtur, ego sum contentus. Duos tunc habui officiales: unus octo annis officialis noster fuerat in jure Bacalarius, volens recedere. Alter per me in officialem assumptus, non multo post in jure doctus. Interrogavi eos vespere praecedenti: quid esset agendum in synodo? Respondit Bacalarius: Cras legi debent statuta synodalia. Tunc dixi: quid jus dicit Canonicum, quod ibi sit agendum? Et ambo tacuerunt. Ego videns, quod tacuerunt, subintuli: ego pro stoppini vobiscum volo vadere, quod illa dictio synodus in jure Canonico non habetur, nec in decretalibus, nec in sexto, nec in Clementinis, nec in Decretis. Videntes autem, quod ita constanter id dixi, putabant, quod Doctores in Hildeshem id determinassent, quia plures ibi solent esse Doctores. Ideo illo vespere nihil poterant respondere, & ita tunc vespere in collatione victoriam obtinui. Mane autem facto erubuerunt ambo, quod id nescierunt: quoniam illa dictio synodus sapissime habetur in jure, forsitan plus, quam centies. Praepositus Halberstadensis frater Archiepiscopi in castro plara ostendit mihi in jure loca, ubi synodus habetur, quamvis ego id bene scivi; sed quia statim mihi non responderunt, ideo insecutus eos fui. Eodem vespere ego statuta composui, quae, ut mihi videbatur, Presbyteris in Archidiaconatu nostro bene convenirent; quae tunc in crastino feci pronunciari, & mandavi observari.

CAPITULUM XV.

Quomodo synodum cum Laicis in quatuor sedibus servari, & Archidiaconatum circumvivi.

Expeditis hoc modo Plebanis, mandavi, ut officia chori Hallis in Ecclesia B. Mariae Virginis, ubi synodum tenui, aperirentur, quae claudi jusseram, ne Laici excessus Presbyterorum & Pastorum audirent; & tunc jurati accusatores & alii Laici de civitate & villis convicinis introierunt. Dixi ergo cunctis audientibus, Clero & populo: Hic jam magnae compulsatae sunt campanae, hic nobiliores hujus terrae, videlicet Presbyteri, superpellicis induti, convenerunt; hic Dominus meus Praepositus omnium vestrum Praelatus praesens est, me ipsum designans. Hic agi debent mirabilia; hic discerni & dijudicari debet, quis bonus seu malus sit Christianus. Accusatoribus igitur & caeteris Villanis de parochiis convicinis ante nos ad chorum ingressis, legi feci ea, quae in synodis solent accusari. Deinde dixi accusatoribus: fecistis vos juramentum, quod omnia vultis rugare & accusare, quae a parochianis vestris contra Dei & Ecclesiae Sanctae mandata facta noveritis. Responderunt: quod sic. Interrogavi tunc unum rusticum juratum: servaverunt omnes parochiani vestri Dei & Sanctae Ecclesiae mandata? Respondit: nescio aliud. Et dixi: sunt omnes in villa vestra fideles &

& boni Christiani, dies celebres festivantes, non auguriatrics & cætera. Respondit: utique. Tunc dixi: estis vos bonus Christianus, tunc dicatis *Pater noster* in Teutonico; qui statim cunctis audientibus legit coram nobis *Pater noster* & *ave Maria* in bono Teutonico. Dixi: legatis etiam *Credo in Deum*; & legit *credo* per totum in bono Teutonico satis expressè. Cui dixi: Vos creditis, quod Deus judicaturus est vivos & mortuos. Erunt in iudicio extremo omnes mortui vel omnes viventes? Respondit: hoc ego nescio, an ibi omnes vivent, vel omnes ibi erunt mortui; sed hoc scio, quod Deus ibi judicaturus erit vivos & mortuos. Tunc dixi: omnes, qui tunc mortui sunt & qui tunc vivunt, Deus ibi iudicabit. Dixi ulterius: vos dixistis, quod creditis carnis resurrectionem. Vos videmini XL. aut quinquaginta annorum. Pater vester & proavus vester mortui sunt: etiam mater vestra, avia vestra & proavia vestra & cæteræ omnes, eas præcedentes, mortuæ sunt. Si sepulchra eorum aperirentur, nihil in eis inveniretur, nisi forsitan pars costæ aut cerebri seu aliqujus ossis, quia in pulverem forsitan eorum corpora essent redacta; creditis, quod omnes præfati defuncti, & eorum parentes, ante centum annos defuncti, eadem corpora & membra in die extremo sint retepturi, quæ, dum viverent in terris, habuerunt? idem caput, eosdem oculos, brachia, manus, carnem, cutem & capillos? Qui ait: Credo, quod Deus est omnipotens: si velit, bene fiet; & credo, quod velit. Dixi ulterius: Vita æterna quamdiu durat? bene per centum annos? Respondit: quid dicitis? durat enim plus quam per centum millia annorum. Tunc dixi: eatis, bene dixistis: do vobis licentiam abeundi. Hæc audiens Proconsul & alii quam plures, dixerunt: Si Dominus noster Præpositus ita exactè nos interrogasset, tam formaliter ei respondere non potuissimus. Interrogavi in prandio, quia cum Plebano ad B. Virginem omnes Plebani pransi sumus: quomodo rusticus ille tam formaliter scivit respondere. Qui dixerunt, quod Plebanus eorum ipsis injunxit, ut nullum secum in tabernis prandere seu convivari permitterent, nisi prius *Pater noster*, *ave Maria* & *credo in Deum* diceret: & tunc inter se de iis mutuo conferebant; & ita ea perfectè dicere & intelligere didicerunt. Ministri Civitatis Hallensis semper eorum sunt accusatores, qui singillatim dicere solent, etiam adjurati: ego nihil scio de convicinis meis. Si quid percepero contra mandata Dei & Ecclesiæ Sanctæ commissum, libenter dicam, ubi debeo. Tunc ego dixi: ego darem decem florenos, quod sic esset, quod nemo Hallensium contra Dei & Ecclesiæ mandata aliquid *rugandum* commisisset. Præpositus Novi Operis quatuor sedes habet synodales, videlicet, *Halls*, *Braecstede*, *Sorbeke* & *Colme*. Cum in Braecstede venissem ad servandam synodum, interrogavi Plebanos in circuitu Chori sedentes: quæ est forma baptizandi pueros? Respondit Archipresbyter: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen*. Venit ad me mulier, quærens: an infantem à se baptizatum posset in cœmeterio sepelire? Cui dixi: quid dixistis, baptizando eum? Respondit: effudi trina vice aquam super caput ejus, dicens: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Respondi: si nihil aliud dixistis, tunc extra cœmeterium sepelite eum, quia non est baptizatus; & agite pœnitentiam de animæ ejus occisione. Sic enim dicere debuistis: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Interrogavi ibi in synodo Sacerdotem unum, cujus erat Ecclesia synodalis, quæ essent verba consecrationis corporis Dominici? qui respondere trepidavit. Cui clamavit Archipresbyter, in opposito ejus sedens: quinque verba, quinque verba. Cui dixi: taceatis vos. Tunc secundo Plebanos interrogatus ait: si haberem librum, bene scirem. Accepi ergo missale, sedens ante altare coram reliquiis, stola circumamictus. Ipse vero ante me genua flectens, monstravit mihi hæc in Canone verba: panem sanctum vitæ æternæ & calicem salutis perpetuæ. Cui mandavi, ut iret sessum. Post finem synodi retinui eum in Ecclesia, omnibus aliis inde egressis, & jussi, ut legeret Canonem me audiente, tanquam si celebraret, & signa faceret consueta. Qui fecit omnia, sicut Presbyteri sæculares facere consueverunt. Quo facto accessi ad mensam, quia omnes sacerdotes nos expectabant in domo hujus Plebani. Prandio facto ivi cum eo ad pomerium suum, interrogans, quomodo deliberasset, quæ essent verba consecrationis corporis Dominici? respondit: fiat corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, quæ Sacerdos dicit in manuum elevatione ante consecrationem; sicut Beata Virgo Maria per verbum: *fiat mihi secundum verbum tuum*, concepit Dei Filium. Tunc dixi sibi, quod non celebraret, antequam ad me in Novum Opus veniret: tunc sibi dicere vellem, quomodo & quid servare deberet. Commisi autem fratri meo sacerdoti, ut ibi maneret, & ibi in crastinum celebraret, & novas hostias pro infirmis consecraret, & hostias ibi inventas ipse reciperet, prout essent. Tam subito enim & improvisè non poteram diffinire, an hostiæ illæ essent consecratæ. Certiorem ergo viam elegi. Formam tenuit Ecclesiæ, intentionem habuit consecrandi: sed per quæ verba consecrare debuit, ignoravit. Veni posthæc *Erfordiam*, de hac materia conferens cum certis doctoribus. Quidam dixerunt, quod consecravit: alii autem, quod non consecravit, quia, per quæ verba consecrari debuit, ignoravit. Doctor *Jacobus in Carthusia*, qui multos pro fide Catholica, pro conservatione religionis, pro statu secularium libros scripsit, & Doctores in Erfordia sanio,

faniores concluderunt, quod consecravit, quia intentionem habuit consecrandi & faciendi, quæ sancta mater Ecclesia intendit, & verba protulit, per quæ fit consecratio, quamvis illa ignoravit. Peccavit tamen, quod id scire debuit; & instructor suus etiam peccavit, quia non debite eum informavit. In eadem synodo rustici per me interrogati, dixerunt *Pater noster, ave Maria, & credo in Deum* in bono Teutonico, ut veros se Christianos publica voce profiterentur. Hæc & multa alia in diversis synodis judicia exercui, quæ ante me ibidem interrogari fuerunt inaudita. Sed oportebat mandatis nostris, quorum Prælati fui, obedire in singulis oppidis, villis, castris, nostræ jurisdictioni subiectis; præsertim cum scirent, quod *Dominus Magdeburgensis Fridericus* omnia, quæ dixi, feci, mandavi & attentavi, approbaret, cognoscens me in veritate ambulare, quæ Dei sunt, querere, & proximorum salutem, non proprium commodum, laudem seu utilitatem affectare. Circumivi interdum in curru nostro totum pene Archidiaconatum nostrum Ecclesias visitans, quomodo Ecclesiæ sacramenta, baptisterium videlicet, corpus Christi & sacram unctiorem, chrisma & sacrum oleum custodirent, & quam vitam Plebani & Presbyteri haberent, inquirens, & quomodo communis populus, viri & femine, præcepta Dei & Sanctæ matris Ecclesiæ servarent, perscrutando; & ubi defectum aliquem reperi, continuo emendavi.

CAPITULUM XVI.

De quibusdam notabilibus, quæ in Hallis tunc feci.

Consuetudo Hallis erat ultra hominum memoriam, ut venerabile Sacramentum, corpus Dominicum, in die S. Marci Evangelistæ foras muros per circuitum civitatis in magna processione totius Cleri & populi circumferretur. Quatuor sunt in circuitu parochiæ, & quinta foras inter Novum Opus & civitatem. Hi omnes cum suis ciboriis & sacramentis, unus statim post alium, oppidum circumierunt, & omnis populus virorum & mulierum sequebatur, hoc modo: Plebanus enim ad S. Mauritium, qui in fine civitatis moratur, cum suo conventu Canonicorum Regularium venerabile Sacramentum suum in magna & mirificè facta monstrantia cum Parochianis suis deferebat in medium civitatis circa forum ad Ecclesiam B. Mariæ Virginis. Ibi Plebanus ad Sanctam Gertrudem occurrit cum sua monstrantia & corpore Dominico & suis Parochianis. Tunc Plebanus ad B. Virginem, cujus parochialis Ecclesia in corde civitatis est, ubi alii præfati Plebani cum suis monstrantiis convenerant, etiam suam accepit monstrantiam cum venerabili Sacramento, mirificè etiam valde compositam, auro, argento & tabernaculis gravidam & ornatam. Isti pariter exierunt ad Novum Opus extra civitatem, & circa portam oppidi occurrit eis Plebanus ad S. Odolricum cum sua monstrantia & suo sacramento cum suis parochianis. Hi quatuor in civitate habitabant. Plebanus ad S. Laurentium extra oppidum prope Monasterium suam etiam asportavit monstrantiam cum venerabili sacramento. Omnes isti primò venerunt cum suis Sacramentis & Parochianis ad Novum Opus cum magna solennitate; ubi Missâ ab omnibus devotissimè percantatâ, exierunt inde per circuitum foras muros civitatis, & quatuor majores Plebani legerunt initia quatuor Evangeliorum, singuli in singulis angulis stationum, & ita in civitatem redierunt, unusquisque ad suam Ecclesiam cum suo sacramento & suis parochianis. Consulatus Hallensis dedit Præposito Novi Operis de illa processione unam *slopam vini* melioris, quod Hallis trahitur: dedit etiam Priori Novi Operis, Scholastico ibidem & omnibus Plebanis certam vini mensuram. Omnes processioni interfuerunt præter Præpositum: sed ille licentiavit ad omnia, ideo portionem etiam meliorem recepit. Animadverti, quod hæc venerabilis Sacramenti delatio in monstrantiis diversis, pariter incedentibus, fidei Catholicæ multum esset nociva, imò & contraria; tanquam singuli Plebani, sicut singulas habent monstrantias, sic etiam singuli proprium haberent Deum, & unum non esset corpus Dominicum, quod in diversis monstrantiis portaretur. Mandavi igitur Plebanis per totam civitatem, quod non nisi unum sacramentum & unam monstrantiam per civitatem & per circuitum ejus portare deberent. Hoc audientes Plebanus & conventus ad Sanctum Mauritium, volebant, ut suam monstrantiam operosè factam solum deferre deberent. Respondi, quod non: sed suam populo sequente ad Ecclesiam Beatæ Virginis deferrent monstrantiam cum venerabili sacramento, & ibi eam relinquerent, & omnis populus civitatis cum Plebanis sequeretur corpus Dominicum in monstrantia Beatæ Virginis positum, quæ pretiosior erat cæteris omnibus. In reditu omnis populus sequeretur corpus Dominicum per portam S. Mauritii usque ad B. Virginem, & tunc Plebanus ad S. Mauritium cum suo conventu resumta, monstrantia sua, cum venerabili sacramento & suis parochianis in suam rediret Ecclesiam. Oportebat autem, ut omnes Plebani mihi obedirent, quia omnes in Archidiaconatu nostro obedientiam in sua investitura mihi promiserunt. Consulatus autem & omnes cives communiter valde male de hoc erant contenti, quod illam longo tempore laudabilem habitam consuetudinem, cujus contrarium non erat in hominum memoria, ita subito volebam in-

frin-

fringere. Miserunt ergo ad me Marscalcum suum, rogantes, ut ad eorum pratorium dignarer accedere, quod specialia mecum haberent conferre. Cui respondi: ego ad eos volo venire aut aliquem mittere. Marscalcus dixit, quod meam presentiam summè affectarent, & ita recessit. Dixi tunc Camerario meo, ut ipse ad Consulatam iret. Qui respondit: intellexi, fore valde necessarium, ut ego personaliter irem. Acquievi tandem illis. Cum ad Consulatam in consilium eorum venissem, Proconsul & omnes assurgentes mihi, locum eminentiorem super se mihi dederunt, rogantes, ut sederem; vellent mecum sedere. Tunc Proconsul dixit mihi: Venerabilis Domine Præposita, regratiamur vobis, quod personaliter ad nos venistis. Si enim non venissetis, cives quidam, accensis animis in furorem versi, primò in domum meam intrare voluerunt, & ibi in cellario vina mea bibere, & quæ bibere non possent, extracto *ducillo* per pavementum diffundere. Deinde ad Monasterium vestrum volebant accedere, & vinis vestris similiter fecisse. Concordavimus ibi tam de venerabili sacramento corporis Christi portando per circuitum civitatis in una duntaxat monstrantia, quam etiam de monstrantia, in qua corpus Christi clausum stat per annum; quod regi debet, ne populus communis, locum illum circumiens, videre possit hostiam sanctam, nisi infra octavas sacramenti, juxta Domini Cardinalis mandatum. Nam de cætero, nisi tantum illo anno, nunquam, nisi una monstrantia cum corpore Dominico per civitatem intus & foras portabatur: singuli autem Plebani per vices suas corpus Dominicum in monstrantia B. Virginis deferebant, & Evangeliorum initia more suo in stationibus sibi consuetis legebant. *Nuptialiter copulandi, in ambone proclamari non solebant.* Quod audiens, omnibus inhibui Plebanis & eorum Capellanis, ne aliquos matrimonialiter copulare præsumerent, nisi prius in Ecclesia publicè fuissent terna vice proclamati. Consulatam, antiquum volens morem conservare, id prohibuit, & suis civibus mandavit, ut sine proclamationibus suis matrimonialiter facerent copulari. Sed Plebani & Presbyteri propter nostram prohibitionem id facere non audebant. Venit enim quidam Consul *de Dote*; quem Proconsul interrogavit, dicens: forte fuistis apud Plebanum, ut filiam vestram, quam nuptui vultis tradere, Plebanus in ambone proclamet. Respondit: verum est; alias Plebani nolunt eos copulare propter Præpositi nostri Novi Operis prohibitionem. Cui dixit: vos scitis, quod Consulatam id prohibuit. Remansit ergo filia sua ultra quartale anni, ut æstimo innupta. Tandem obtinui voluntatem meam, ut nullæ personæ de cætero matrimonialiter copularentur, nisi ter in ambone fuissent proclamata. Ad instantiam tamen Consulatam, aut Advocatorum seu Marscalcorum Domini Magdeburgensis interdum acquievi, ut ultima proclamatio in domo fieret nuptiarum, aut in Ecclesia, horâ vesperarum: sed primæ proclamationes fiebant in Dominicis. Nullus etiam in Presbyterum ordinatus, sive secularis sive religiosus, Ordinum etiam Mendicantium, Minorum, Prædicatorum sive servorum B. Mariæ nuncupatorum vel Carmelitarum, *primam suam Missam legere poterat* Hallis aut cantare, nisi me prius salutasset, & diem sibi assignasset, quo primam suam missam celebraret.

CAPITULUM XVII.

Quomodo coëgi Presbyteros & Altaristas, Dominicis & Festis ut interessent processionibus per circuitum; in vesperis utrisque præsentessent in magnis festis; & de usuris Iudæorum.

Diebus celebribus Altaristarum (*) mane missa celebrata suis in altaribus, brevibus in vestimentis, singuli de Ecclesia recesserunt, & ibi tota die non revertebantur. Hoc ego videns, omnes ad Præposituram nostram convocavi; quibus & dixi, quod singulis Dominicis & Festis Processionum diebus in Ecclesia sua matrice præsentessent se exhiberent, & cum Plebano & secularibus cœmeterium processionaliter circumirent. In majoribus etiam Festis, Christi videlicet & Beate Virginis, Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Palmarum, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi, Dedicationis, omnium Sanctorum, Patronorum suorum & similibus, Assumptionis Beate Mariæ & omnium Festorum ejus, missæ & Vesperis interesse deberent, & in superpelliciis suis in Sanctuario ad latus summi altaris in *formis* ibidem præparatis residerent. Rogavi enim Magistrum fabricæ (**) Ecclesiæ B. Mariæ Virginis Hallis *Nicolaum Osse*, postea Proconsulem, ut sedes novas ibi in sanctuario fieri procuraret cum suis *formis*, quatenus sacerdotes omnes ipsius Ecclesiæ in Missis & vesperis Festorum præscriptorum, pro ipsorum Festorum majori solennitate, ibidem superpelliciatii residerent. Qui causam audiens, quare eas fieri desideravi, libentissime annuit. Presbyteri ergo ad me vocati, uno ore responderunt: *vos non vultis, ut famulas & ancillas in domibus nobiscum commorantes habeamus*: oportet ergo nos in domibus nostris ad coquendos cibos nostros mare, missis nostris finitis remanere. Quibus dixi: vos scitis & prædicatis, quod in majoribus festis

(*) Altaristarum, qui in minoribus altaribus aut capellis missas celebrant.

(**) xdilem.

festis viri & fœminæ ad missas & vesp̄as in Ecclesia debent esse præsentes; & vos inde vultis vos absentare? Non est spes, quod vobis dabo ad hoc licentiam. Disponatis ita res vestras, quod omnes in matrice vestra Ecclesia tunc etiam semper sitis præsentes. Nolo vos ad hoc coartare, ut cum scholaribus cantare debeatis, nisi proprio arbitrio id volueritis: sed ut pro Festorum solennitatibus in vestris superpelliciis ibidem sedeatis, non otiosa loquentes, sed orationibus vacantes aut horas persolventes, & exemplum bonum populo exhibentes. Volumus etiam, ut Dominicis diebus & in Festis Processionum cum Plebanis & Capellanis, cum scholaribus superpelliciatis & omni populo utriusque sexus per cœmeterii circuitum processionibus interesse debeatis in superpelliceis vestris, quatenus exemplo vestro bono populi omnes ad devotionem & similiter faciendum excitentur. Prædicator meus Hallis in ambone populum ad præmissa facienda hoc modo informavit, dicens: Dominus Deus noster Iesus Christus vexillo Sanctæ Crucis infernum confregit, & nos à potestate Diaboli liberavit. In signum illius vexillum Sanctæ Crucis Dominicis diebus à Clero & populo per cœmeterium differtur: Sequuntur primò scholares in superpelliciis; deinde Altaristæ, Cappellani, Terminarii & Plebanus: quem Proconsules & Consules sequentur; deinde viri totius parochiæ præsentes. Ultimæ erunt fœminæ totius civitatis. Quicumque sub vexillo Christi pugnaverit adversus Diabolum, ab inferno liberabitur, & in Paradisum cœlestem introducetur. Hanc itaque consuetudinem Processionum Hallenses per annos plus quam viginti, usque in præsentem diem, tam Presbyteri & Clerici, quam viri & fœminæ, diligentissime observant, ita, ut, cum primi in processione ad Ecclesiam revertuntur, tunc ultimi vix adhuc omnes exierunt. Presbyteri etiam & Altaristæ semper in Festis majoribus ad Ecclesiam in Missis & Vesperis, in suis superpelliciis diligenter satis conveniunt, & solennitates illas sua præsentia in cordibus hominum solenniores efficiunt. *Judæi Hallis ante Christi nativitatem habitaverant*, sicut scriptura in lapidibus monumentorum ipsorum scripta & sculpta demonstrat, quod cœmeterium multorum monumentorum cum suis sculptis literis Iudaicis usque in præsens ostendit Iudaicam scripturam legere & intelligere scientibus. Prædicator autem noster contra usuram Iudæorum, sicut & Christianorum publicè prædicavit, dicens de usuris Iudæorum: Tu Christiane, tu futor, tu factor, tu venditor carniū, pisciū, & aliarum quarumcunque rerum venalium; vides Iudæum in foro seu ante ostium domus tuæ stantem, calceos, panes tuos, *calopedes* & similia emere volentem: & venit ad eum mulier dicens: ô bonè Iudæe, vos habetis tunicam meam aut togam, aut simile aliquid. Pauper sum, & adhuc non possum eam redimere; & dat ei unum talentum, te vidente & audiente, dicens: hæc est pecunia usuræ vobis per me promissa; hanc accipiat, ut vestem meam liberè possim recipere, quando capitalem summam, mihi à vobis concessam, rehabere potuero. Hoc tu Christiane audis & vides; & Iudæus cum illa pecunia emit à te panes, carnes, calceos & similia: Cum igitur manifesta hoc sit usura, oportet, si vis salvari, ut mulieri illam restituas pecuniam, non Iudæo; alioquin ibis cum pecunia illa in infernum, quia injusta sunt bona, & dominium in usuris in usurarium non transfertur. Hæc & his similia prædicator noster de usurariis Iudæis prædicavit: & tunc Christiani nihil amplius Iudæis vendere voluerunt; & quando per plateas eorum transierunt, tunc mensas suas aut asseres sibi mutuo percusserunt, ut Iudæorum per plateas transitum intelligerent, & à communione se abstraherent. Prædicator noster hoc percipiens, publicè prædicavit: *Possitis dicere, unde Iudæi debent vivere, si de usuris vivere non debent?* Respondit: ad opera rusticana eos ponere debetis & mechanica; ut in horto fodere, plateas purgare, & ad opera similia; & pro illa pecunia potestis iis vendere vitæ & victûs necessaria. Quia ergo *Judæi Hallis id facere recusabant*, ideo communis populus nihil eis vendere volebat. Tandem consulatus Hallensis mecum fuit in sententia & eos invitos de civitate expulerunt, Archiepiscopo Friderico malem hoc contento, quia lucrum nullum postmodum ab eis recepit. Proconsules tamen ad nostram & Prædicatoris nostri instantiam eos amplius non admiserunt, & de synagoga Iudæorum capellam fecerunt Beatæ Mariæ Virginis usque in præsentem diem.

CAPITULUM XVIII.

Quomodo Presbyteri, suspectas mulieres habentes, correcti sunt, & de pacto, quod cum Deo feci, quando Monasteria in Sulta & Novi Operis reformare debueram.

In synodis juxta determinationem Sanctæ matris Ecclesiæ prohibui, ut Sacerdotes, suspectas secum habentes mulieres cohabitantes, à se repellerent; & ubi tales pariter habitare percepi, id ulterius non permisi. Fama referente ad me pervenit de quodam Presbytero in Archidiaconatu nostro, quod cum famula sua dormiret. Quem cum famula sua ad nostram citavi præsentiam; cumque ambo venissent ad nos, illum jussi ad claustrum nostrum intra-

intrare, *Abrā* sua foras remanente. Tunc dixi Plebano: Domine, vos soletis, ut audiui, cum famula vestra dormire. Qui omnino id negavit; cumque instarem, quod unque id verum esset, negavit iterum cum juramento, quod non fecisset. Cum igitur veritatem rei ab eo verbis extorquere non valerem, dixi: Domine, scitis *Pater noster*, tunc legatis, ut audiam illud. Qui illud per totum expressè mihi legit. Quo finito, dixi: maneat vos hîc in Monasterio, ego solus volo foras exire. Et inveniens ibi famulam suam, dixi: audiui, quod vos cum Domino vestro soletis dormire. Quæ respondit: ego tantum agere habeo cum vaccis, vitulis, porcis & pecoribus, quod id mihi non vacat. Cui dixi: Dominus vester ita verum (*) mihi dixit, sicut est *Pater noster*. Si aliter mihi dixeritis, tunc de diœcesi Magdeburgensi vos expellam. Quæ admirata dixit: Dominus meus Plebanus dixit ita verum vobis, sicut est *Pater noster*. Respondi: quod sic. Tunc ait: ultimum, quod me cognovit, fuit in carnisprivio; & circa Dominicam *Reminiscere* ista illam interrogavi. Accessi ergo ad Plebanum, intra septa Monasterii adhuc stantem, dicens: famula vestra dicit, quod in carnisprivio ultimò cognovistis eam. Respondit: dicit hoc famula mea. Dixi: etiam. Tunc ait: Venerabilis Pater, verum dicit; est culpa mea. Parcatis oro mihi: libenter me dare volo ad emendam juxta voluntatem vestram. Cui cum admiratione iratus respondi: statim jurastis, vos id non fecisse; jam recognoscitis. Vos nullam habetis conscientiam; nec Deum timetis nec homines reveremini. Vix scitis, quod animam habetis, eo quod manifesta audetis perjurare. Correxì ergo eum in bursa per ceram & aliam pœnitentiam, quia secretam pœnitentiam non perfecisset. Alius quidam Plebanus in eodem Archidiaconatu nostro accusatus fuit apud me, quod famula sua de eo puerum genuisset. Citavi ergo eum, super objiciendis responsurum. Qui in termino comparens, delictum suum recognovit. Injunxi ei pro pœnitentia, quod *per dies octo in nostro maneret monasterio, ita, quod ambitum nostrum interim non exiret: ibi dormiret, ibi comederet, ibi horas suas legeret.* Quam pœnitentiam assumens opere complevit. Advenerunt ad nos plures hinc inde, sicut semper, Sacerdotes & Laici; qui in tali eum pœnitentia videntes coartatum, mirabantur, dicentes: quod talem non leviter egissent pœnitentiam; omnem potius aliam, etiam pecuniariam, egissent pœnitentiam. Officialis noster plurimum etiam instetit, ut aliam pateretur sibi injungi pœnitentiam; ut duo vasa *cerevisiæ Nuembergensis* nobis daret, quæ optima est in terra illa. Sed in hoc non consensit, hominum erubescens potius eligens sustinere, quam pecuniam exponere. Permanit ergo in eadem pœnitentia usque in finem. Mandavi per totum Archidiaconatum omnibus Plebanis, suspectas secum habentes famulas, ut eas à se sub certis pœnis dimitterent. Quidam autem eorum potius elegerunt Ecclesias suas quam famulas suas dimittere. Ecclesias enim suas sine rectore relinquentes, cum famulabus suis inde recesserunt. Venit ergo ad me miles quidam de Ducatu Saxonix terræ Misinensis, dicens: Domine Pater, vos mandastis, quod Plebani famulas suas sive concubinas suas relinquere deberent. Sunt autem duæ vel tres Ecclesiæ in terra nostra Misinensi, unde Plebani propter mandatum vestrum recesserunt cum suis concubinis, & Ecclesiæ illæ sine Pastore remanserunt. Populus igitur illarum Ecclesiarum missas non habent nec sermones, nec alia divina, sed vadunt quasi sine Deo sicut gentiles. Melius esset, quod permetteretis, ut Plebani suas retinerent concubinas, quam ut populus ille tanquam gentilis efficeretur: hoc enim esset minus malum. Si nolueritis consentire, tunc oportet, quod Dominus Magdeburgensis Archiepiscopus, & Dux Saxonix Marchio Misinensis de remedio illis provideant opportuno. Et quia in præmissis eidem non consensi, pro tunc mansit, sicut fuit. Cum ego ad *Sultram*, & postmodum ad *Novum Opus* primùm pro ipsorum reformatione Monasteriorum intravi, dixi ad Dominum: Domine Deus meus, ad istorum Monasteriorum reformationem mihi cooperare. Ego enim mercedem inde non requiro, nec hîc nec in futuro, sed magis confusionem & abjectionem. Quicquid tamen ad hoc facere poterò, non quiescam, ut per hoc non ego, sed tu lauderis, & in cordibus multorum tu inde magnificeris. Hoc enim gaudium meum est internum, quod ego creatura tua & portio exilis operum tuorum aliquid facere poterò, quod novi in veritate tibi placere. Ego enim non pro mercede sicut mercenarius, sed pro tua gloria, in multorum cordibus cognoscenda & magnificanda, sicut filius libentissime faciam, & sustinebo, quæcunque per me fieri volueris, & per benignissimam tuam bonitatem mihi & super me venire ordinaveris; quia certissime scio, nihil mihi posse evenire & occurrere faciendum aut patiendum sine tua speciali provisione & providentia, pro animæ meæ salute perpetua. Communiter ergo, ubi reformare monasteria cœpi & tentavi, effectum bonum consecutus sum: quamvis in principio speciales frequenter passus fui adversitates; quæ tamen signa fuerunt futuræ prosperitatis. Dominus autem semper mecum fuit tanquam bellator fortis, præstans mihi victoriam, usque ad Archiepiscopum Magdeburgensem Fridericum, cujus mecum gesta & finalis conclusio statim subsequuntur.

(*) Dixit mihi *Pater noster* ita verum. sicut est.

Quomodo Præposituram resignavi, & quæ postea feci & dixi.

Pag. 502. lin. 59. ac Prælatos ordinis nostri - ac Prælatos ibidem notus cum laude fuisset; & Ecclesie Lateranensis Monasterii, videlicet ordinis nostri Canonice Regularium, ac totius Provincialis Capituli eorum fraternitatem recepisset: & literas, quas ad Curiam Romanam misi contra quendam Doctorem Almania, & Hallis ante legatum, pro tunc Papa cubicularium, eidem Papa Martino Quinto tradita fuerant ad legendum, quas & eidem Doctori dedit ad legendum, continentibus, quomodo idem Doctor Hallis existens partem tenuit non reformatorem.

Pag. 503. lin. 11. ita ut me de officio - Causas enim varios cepit inquirere, quomodo me ab officio Præpositura Novi Operis posset deponere. 13. Ordinis Præmonstratensis Magistrum Everhardum, per eum desiderans, ut officium Præpositura vellem resignare. 15. quia tunc in vesperum erat. Mane consilia, vespere literas. In crastino tunc respondi Præposito, quod diceret Archiepiscopo: 17. pro reformatione - pro ordinis sui ibidem reformatione. 18. quod vellem resignare, sicut me intellexit. 21. Priorem meum. 22. per me ipsum. 27. quasi - qua si. ibid. accipientes - acciperetis. 33. male cum eo stetitsem. 36. duobus Plebanis. 37. Respondi ergo - cui finaliter respondi. 39. Everhardum Lochte. 41. rursus - responsus. 43. postquam cum Patribus fuisset locutus, senserunt omnes, quod causam legitimam non habuit contra me depositionis seu resignationis: ideo non possent mihi quicquam ad hoc consulere, sed facerem, prout mihi ipsi videretur. Tunc remisi duos Patres ordinis nostri ad Archiepiscopum. - 46. Dominus Magdeburgensis - Nos plurimum pro vobis apud eum instemimus, multa valde allegantes in contrarium: sed videtur nobis, quod à proposito suo isto flecti non possis. Dicatis quod vultis resignare. 52. tunc nullo modo damus ad hoc consensum. Videns autem Dominus Magdeburgensis, quod aliud responsum habere non poterat à conventu, tandem me vocavit, dicens mihi in conventus presentia: Fratres vestri dicunt: si onus Præpositura portare non poteritis, tunc vos volunt inde habere supportatum: sin autem, tunc nullo modo ad hoc consentire volunt. Ego vero considerans, Archiepiscopum non posse quiescere, nisi voluntatem suam obtinuerit, surrexi, dicens. 57. omnem auctoritatem super conventum & super Archidiaconatum. 60. summum gaudium, quod heri Præpositus sui multis, jam singularis incedo. 61. mihi dicens - clamans per plateas.

Pag. 504. Hoc esset summum meum gaudium, si cum tanto opprobrio fuisset publicè ad mortem condemnatus sine causa & culpa mea, vitamque aeternam sine omni impedimento ad statim evolando fuisset adeptus. 6. huiusmodi desiderantem. Si ante resignationem hinc recessissetis, Dominus Magdeburgensis summè desiderasset, quod vos rehabere potuisset: & Dominus IACOBUS HARTMANNI Doctor Decretorum, senior studii Erfordiensis, sexaginta florenos mihi dare voluisset, ut Archiepiscopo Magdeburgensi in pramissis me opposuisset, & procurator meus in hac causa esse voluisset & advocatus; & multa alia mihi promisit. Fratres etiam Novi Operis pene omnes valde contristati fuerunt de mea resignatione, exceptis duobus aut tribus, qui partem Archiepiscopi ob ejus favorem tenuerunt: de quo postmodum plurimum dolentes, literas excusationis & indulgentiæ mihi scripserunt, dicens, seductos per alios se fuisse. Ego autem bona conscientia fratres illos, quos super animam meam suscepi regendos, deserere nullatenus potuisset, nisi per superiorem tunc meum ad id tali modo fuisset coactus. Unde Deo gratias infinitas, quod bona conscientia à tam grandi cura animarum fui liberatus. Sicut Domino Deo in oratione mea proposueram, ut in reformationibus me adjuvaret, non quarens mihi mercedem nec hic nec in futuro, sed potius confusionem, hoc pene jam neglexeram: sed Dominus Deus ad memoriam mihi & in effectum jam id perduxit. Semper enim in reformationibus effectum optatum juxta intentum meum consecutus sum: sed Magdeburgensis Archiepiscopus contra me pro tunc prevaluit. Unde postmodum tam valde doluit, ut audivi, quod duos meliores caballos &c. 11. de mea resignatione cogitasset. Dominus etiam Magdeburgensis Iohannes de Bavaria, modernus Archiepiscopus, dixit Præposito majoris Ecclesie Halberstadenensis, & in Richenberg & Hamersleve prioribus, me quoque audiente: iste Pater de Sulca sine omni culpa sua de Præpositura Novi Operis est eiectus. Et dixit ad conventum Novi Operis in mea absentia: Vos male fecistis, illum bonum Patrem Iohannem in Sulca sic à vobis propellendo. Qui statim responderunt: erat valde nobis omnibus contrarium: sed non potuimus impedire. Tunc dixit Archiepiscopus: tres aut quatuor fuerunt, qui Dominum Fridericum Archiepiscopum ad hoc induxerunt, eos nominatim exprimendo: sed parcat illis Deus! Ego autem dixi: non acciperem modo mille florenos, quod illud factum non fuisset; quia grandi onere liberatus, ad gremium matris mee Windesem introiens, cum gaudio non parvo fui susceptus, non sine fructu notabili, quia librum de Viris Illustribus Domus & Ordinis nostri interim conscripsi, qui alias per me scriptus non fuisset. Electum etiam membrum venemabile Capituli generalis & domus nostræ Windesem tentus & reputatus fui, & iterum in Priorem electus, & in visitatorem sapius multorum Monasteriorum ordinis nostri ordinatus. Hac id circo dignum duxi annexere, ut posteri nostri agnoscant, quod Deus neminem deserit, in veritate ambulantem, & Dei honorem super omnia & animarum salutem quarentem: quamvis benigna sua providentia talem velit etiam aliquando pati adversa, ut discat esse ambidexter, & in prosperis & in adversis proficere

vere & anima sua salutem operari; quod bono homini omnia, quae sibi accidunt, cooperantur in bonum, & ubique, quocunque loco se verteat, permanet bonus. 19. statim surrexi - statim ob reverentiam ejus in omnium praesentia surrexi & inclinavi. 23. Principalem auctoritatem - auctoritatem Papalem literariorum, visitandi omnia Monasteria. 25. in Saxonia - per Saxoniam, Misniam & Thuringiam. 26. ac sententiis absolvendi - ac sententiis absolvendi; prout in literis, nobis desuper datis, & sigillo suo dependente firmatis, plenius continetur.

CAPITULUM XX.

De institutione Capituli Provincialis Novi Operis.

Provinciale Capitulum Novi Operis omni anno Dominica post exaltationem S. Crucis celebrandum, primo à Reverendissimo Domino Cardinali *Nicolao de Cusa* est institutum: quod ego, tunc Praepositus ibidem, cum Doctore Paulo, ad S. Mauritium Hallis Praeposito, & conventu Novi Operis, ac fratribus de S. Mauritio: Praeposito quoque in *Etersborg* in Thuringia, & Praeposito in *Hedersleve*, per aliquot annos continuando servavi, juxta omnem modum & formam, sicut servatur in Windesem tempore Capituli generalis, sub Archiepiscopo Magdeburgensi *Friderico*. Cum autem officium Praepositurae Novi Operis resignassem, idem Capitulum Provinciale per plures annos fuit intermissum: aut, quod successores mei ibidem modum id observandi nescierunt, aut affectum ad hoc bonum non habuerunt. Pater vero *Rutgerus*, quondam ibi Prior meus, cujus ego Praepositus; cum post Prioratum de *Wittenborg* ibi redisset, officium habens Prioris sub Praeposito *Johanne Ruel*; una cum fratre *Hermanno de Renen*, Plebano ad Beatam Virginem Hallis, miserunt Officiale suum ad Curiam Romanam, & magna ac notabilia privilegia ibidem impetraverunt; videlicet Capituli sui Provincialis confirmationem, & quod idem Capitulum uti & gaudere possit omnibus privilegiis, indulgentiis & gratiis, Capitulo de Windesem à quocunque datis & concessis, etiam pro omnibus personis utriusque sexus, eidem Capitulo provinciali incorporatis & incorporandis. Insuper & conservatorium obtinuerunt perpetuum pro omnibus Monasteriis sibi unitis & uniendis, & pro cunctis Presbyteris & Clericis, in Archidiaconatu suo constitutis, exponentes in pecunia, ut intellexi, CCC florenos. Privilegiis ita, ut praefertur, in curia expeditis, executio & promotio eorum pro provinciali Capitulo celebrando intermissa fuit usque ad tempora Domini *Johannis de Bavaria* Magdeburgensis Archiepiscopi. Reverendissimus autem iste Archiepiscopus Dominus *Johannes*, intelligens à Patribus Saxoniae in *Richenberg*, in *Sulta* & in *Hammersleve*, Prioribus Ordinis Canonorum Regularium, nullam alicujus Monasterii Reformationem diu in vigore posse subsistere sine alicujus Capituli generalis seu provincialis unione; placuit Domino Magdeburgensi & dictis Patribus, ut tentarent, si venerabili Capitulo generali de Windesem uniri possent & incorporari. Et idcirco Dominus Magdeburgensis instetit apud Praepositos & conventus Novi Operis & ad S. Mauritium Hallis, ut Capitulo generali de Windesem scriberent sub sigillis conventuum ipsorum, quod ejus unionem capitularem desiderarent: quod & fecerunt, addentes, quod reformatores suos jam pridem semper de eodem capitulo susceperant, & quod statuta eorum jam pro magna parte servarent, & quod melius & perfectius ea in futurum vellent observare, & mandatis ipsorum libenter vellent obedire. Dominus Magdeburgensis generali scripsit Capitulo, suo sub sigillo dependente, sicut & conventus fecerant, quod Monasteria illa Capitulo generali de Windesem subjiceret, & nomina Praepositorum in nomina Priorum commutaret: confirmationem etiam Priorum, in futuro eligendorum, capitulo committeret, jure suo ordinario alio in praemissis semper salvo. Dominus igitur Magdeburgensis de consilio Patrum Saxoniae praedictorum misit me *Johannem* in *Sulta* Priorem, sub propriis suis expensis in Windesem ad capitulum cum literis tribus praefatis, ut dictorum Monasteriorum incorporationem ibidem procurarem; eo quod filius conventus sum in Windesem, & praeter aliis Patribus ibidem plus auditus. Cumque negotium, pro quo missus fueram, diffinitoribus Capituli, literis praefatis ipsis praesentatis, proposuissem: responderunt, se super hoc plenius velle deliberare. Matura igitur deliberatione praehabita, per oraculum Venerabilis Patris, Prioris de Windesem responderunt: literas Praepositorum & conventuum fati formaliter eorum descripsisse bonas voluntates pro capituli generalis unione: Dominum quoque Magdeburgensem, quae sui juris erant, pro hujusmodi unione satis liberaliter condonasse, atque in litera sua, quantum reformationem & capitularem eorum congregationem diligeret, dilucidè innotuisse. Se tamen graves non immerito ad hoc esse, quia Praepositi Praefatorum Monasteriorum magnae sunt dignitatis, multas habentes Ecclesias parochiales, sibi & Monasterio suo incorporatas, quas per Patres suos regere oporteret. Insuper & (dixit) Archidiaconatum latissimum, viginti pene millium animarum hominum secularium monasterium habet Novi Operis: & Monasterium ad S. Mauritium ipsum in se est Ecclesia parochialis satis populosa. Ista omnia primae institutioni nostrae Reformationis

tionis fuerunt semper, & hodie sunt contraria, & capitulum nostrum usque in præsens talia ad unionem suam recusavit assumere Monasteria, ut ipse multis annis à juventute vestra vidistis & audistis. Tum etiam quia fratres, laxiora semper eligentes, & ad laxiora ordinis magis inclinati; ipsos imitari gestientes, totum paulatim post se traherent Capitulum nostrum ad laxius vivendum; & plura his similia, quæ ex illorum unione nobiscum, possent accidere. Quapropter frater & Pater carissime, quem Zelum Dei pro tota nostra reformatione videmus habere, sicut à juventute habuistis; rogamus vos & exhortamur in Domino, quatenus Reverendissimum Patrem, Dominum Iohannem [Archiepiscopum Magdeburgensem & Præpositos illos cum ipsorum conventibus informetis, & bono modo rationibus efficacibus de nostro consilio inducatis, ut juxta determinationem Domini Cardinalis & Domini Apostolici confirmationem, Capitulum provinciale Præpositorum Ordinis Canonorum Regularium singulis annis servent in Monasterio Novi Operis, ne dignitates Monasteriorum suorum propter Capituli nostri unionem amittere cogentur, & non parvum temporalium bonorum suorum (paterentur) detrimentum. Attamen sicut statuta nostram assumserunt, quod in eorum observantia permaneant, & si quæ in illis sunt contenta, quæ moribus patriæ, & statui suo non conveniunt, de consilio Domini Magdeburgensis & vestro possint immutare, iuxta Domini Cardinalis dispositionem. Et si paternitas vestra & alii Patres Saxonie Capituli nostri, ad hoc fueritis requisiti; quod eorum Capitulo Provinciali interesse possitis, & eorum Monasteria, ad hoc per Capitulum ipsum deputati, visitare, & cætera, quæ pro plena eorum reformatione & unione deserviunt, de licentia nostra agere & exercere. Hæc præmissa secundum Deum & conscientias nostras judicamus pro ipsis & pro nobis convenientiora & bene deservientia. His ita gestis remisit me ad eos, qui me miserant. Cumque hæc omnia Dominus Magdeburgensis & Præpositi atque conventus suprascripti à me audissent, ad consultationem meam dederunt se ad pacem, cogitantes, à Deo hujusmodi sententiam exivisse; & omnem suam reformationem & Capituli Provincialis observationem ita exinde disposuerunt. Ad rogatum enim ipsorum ego jam tribus annis præsidens fui in eorum provinciali Capitulo, quod per omnia, sicut in Windesem, mandavi observari. Primo de vespere per literarum & brevium traditionem: incraftino post missam de Sancto Spiritu, sermone in Latino præmissa, tractatus incepimus Capitulares. In primis igitur, ut sciremus, qui omnes membra essent ipsius Capituli provincialis, disposui, ut Præpositus Novi Operis pro se & suo Conventu de licentia Conventus obedientiam faceret Capitulo Provinciali, quam in omnium præsentia ab eo suscepi. Deinde Præpositus ad S. Mauritium similiter facturus, surgens dixit, nondum se ad hoc deliberatum; putans, quod Monasterio sive Conventui Operis obedientiam & fidelitatem esset facturus, Cui respondi, quod non Conventui illi, sed Capitulo Provinciali, hoc est, diffinitoribus illius Capituli obedientiam servare & promittere debetis, ut, quicquid diffinitores Capituli determinaverint observandum, id sine contradictione servetis. Vos etiam & vestri in diffinitores eligi poteritis, & tunc omnia de vestro etiam consilio ordinabuntur. Tandem de mandato Domini Magdeburgensis ipse & conventus suus in præsentia Patrum, omnes obedientiam & fidelitatem præstiterunt Capitulo Provinciali. Post hæc nominati fuerunt electores diffinitorum; deinde pronunciati fuerunt diffinitores & notarius. Hæc autem subiecta fuerunt ibi instituta. Capitulum Provinciale Novi Operis communi omnium consensu & concordia assumpsit statuta Capituli generalis de Windesem, demtis his, quæ sequuntur, in quibus auctoritate Apostolica non tenentur illis se conformare: Prælati hujus Capituli nomen retineant Præpositi, & organa & magnas campanas; & tam ipsi quam fratres uti possint birretis, & publicè prædicare propter Ecclesias sibi incordoratas. Itinerantes cappis sive mantellis utantur juxta Prælatorum dispositionem, & in mantellis non incedant, nisi cappis suis sub mantellis sint induti. Cappas fratres induant in Exaltatione S. Crucis ad matutinas, & tunc etiam incipiant jejunium regulare. Cum Capitulum provinciale servari debet, tunc aliqui de Prioribus Saxonie, vel saltem unus Capituli de Windesem, ad idem Capitulum vocari debet per Præpositum Novi Operis, qui etiam in visitatores ibidem ordinari poterant suorum Monasteriorum. Præpositus in Etersborg in Thuringia, Monasterio ordinis nostri, qui cantum, habitum, ordinarium & statuta Novi Operis habent, cum fratre Henrico Herfeld ibidem, de Bodike professo, tunc ejus socio, etiam huic Capitulo se subdiderunt, quantum in ipsis fuit, si consensus Domini Moguntini interveniret. Ordinaverunt etiam Missas celebrari pro vivis & defunctis, parentibus, benefactoribus & amicis, & pro quibus orare tenebantur, ut in generali Capitulo moris est; & de intervallo, & de fratribus & sororibus ordinis, ut in ordinario habetur.

CAPITULUM XXI.

De Visitatione & Reformatione Monasterii ad S. Mauritium.

In edito est Capitulum decimum quintum. vid. pag. 504. lin. 34.

Lin.

Lin. 50. ideo est plus - imo plus est, quam peccatum mortale, quia casus Episcopalis. 52. Teylmannus - Tyelemannus. 56. silentium intra Capitulum - silentium juris, hoc est, in dormitorio, refectorio & oratorio: & profundum post completorium usque post primas silentium; capitulum culparum, chori frequentationem & refectorii suo tempore firmissime consenserunt observare. Archiepiscopo & ceteris recedentibus, ego cum eis ivi ad chorum die nocteque, ut modum nostrum & tonos addicerent: tenui eis capitulum culparum, habens socium Magistrum Stenslaum.

Pag. 505. lin. 1. ibidem - in suo Monasterio. Ibidem. Lipicensis, utcunque reformatum. 2. ad mattam - super mattam in capitulo se prosternit, culpisque suis dicitis, & proclamationibus super eum per me factis, fecit omnia in venia petendo, in mattam osculando & in ceteris, sicut dixi sibi, ut faceret. 5. sexta feria. Tenebitis capitulum culparum, & singuli dicent culpas suas, excessus, quos contra regulam & statuta sua commiserunt, facientes etiam proclamationes in alterutrum. 6. servabit - tenebit, & qui capitulum tenet, culpas suas tunc non dicet. 8. in Monte Sereno S. Petri. 10. de Bichelingen ex Thuringia. 13. Teylo - Teylo sive Thyelmannus ad S. Mauritium. 14. Doctorem Paulum - fratrem Paulum, Decretorum Doctorem egregium. 15. confirmare noluit - diu distulit confirmare, nisi prius in habitu, statutis & ceteris nobis in Novo Opere esset conformis, ubi tunc ego enim Præpositus. 18. venit idem electus - hoc in tempore, eo sub indignatione Domini Magdeburgensis sic stante, venit ad me. 22. & ita in habitu - & quia post prandium erat, continuo ivi cum eo ad castrum ad Dominum Magdeburgensem. 25. subtile nostrum indui in domo Capituli. 26. posui - more nostro composui. 40. ordinatione - ordinario & statutis, in quibus nondum perfecte se unierat Monasterio Novi Operis, adhuc persiceret. 43. parochia sua oldermannis, ibid. Iohannis in Richenberge & Bernardi in Hamersleve. 46. Teylmannum - Tyelemannum. 48. deinde Doctor Paulus - Et quia sine capite debite non reformatio non potest perfecta subsequi reformatio, de consilio Patrum præfatorum, de mandato Domini Iohannis Archiepiscopi Doctor PALLUS regimen Monasterii in temporalibus resignavit, ita, ut curam Monasterii de cetero non haberet, nisi pro consilio requisitus; de regimine illius se non amplius intromitteret, nomine tamen retento Præpositi. Unde & commodum bonum extra Monasterium circa coemeterium, pulchram videlicet domum cum omnibus sibi correquisitis, adificaverunt, & expensis & sumtus cum uno vel duobus famulis quotidie sibi ministrant, sexaginta florenos annuatim conferentes pro utilitate sua & rebus sibi necessariis exponendis. Fratrem igitur WOLTERUM Dominus Magdeburgensis constituit in Priorem, & totum regimen Monasterii in temporalibus & spiritualibus sibi commisit, omniaque & singula, quæ ad præposituram pertinent; titulo Præpositura duntaxat excepto, qui titulus apud Doctorem Paulum remansit. Fratrem etiam BERTOLDUM DE RICHENBERG in Supriorem, & fratrem nostrum TTELEMANNUM in procuratorem ordinavit: quibus omnes jam fratres Monasterii subiecti, in bona nunc stant pace & reformatione.

Pag. 506. lin. 1. CAPITULUM DECIMUM SEXTUM est in Msto CAPIT. XXV. De Monasterio Sancti Iustini in Etersborg, quomodo ad plenam pervenit reformationem. 3. in Thuringia-Sancti Iustini, Laurentii & Cyriaci, ordinis nostri, in Thuringia. 8. Comites isti, nos de Hallu vocantes, resignaverunt nobis Monasterium, juxta modum & formam nostram perfecte reformandum, & induxerunt nos in illud, conventui ibidem nos præsentantes. 10. demonstrarunt - demonstrarent. Non multos fratres ibi invenimus, quorum aliqui in vicinis Parochiis erant Plebani. 11. retinimus, donec ad notitiam bonorum & personarum veniremus. 13. Maguntini in Erfordia. Ibid. Archiepiscopus. 18. de Monasterio Molenbeke ordinis & Capituli nostri, mihi datus de licentia Venabilis Patris Wilhelmi, Prioris in Windesem, sicut & præfatus frater Hermannus de Arnhem, & multi notabiles fratres; ibidem in Præpositum fuit constitutus, & usque ad mortem in Præpositum permansit. 19. nunc est Præpositus ibidem - ibidem in Præpositum ordinatus, & à Domino provifore Erfordensi confirmatus, dictum Monasterium in bona conservat disciplina, pace & custodia, fratres suos juxta formam statutorum Capituli nostri cum moderamine eorum in Novo Opere, secundum dispositionem Domini Cardinalis ibidem factam, sollicitè regens, dirigens & gubernans, in temporalibus & spiritualibus competenter proficiens, quemadmodum Dominus ERASMUS, Novi Operis Præpositus, & ego in Sultz tunc Prior, ibidem auctoritate Capituli Provincialis Novi Operis visitantes, oculata fide invenimus & perspeximus: qui usque in præsens sub Præposito stant Novi Operis Hallis, parati, quantum in ipsis est ad ea, quæ tenentur. 24. CAPITULUM DECIMUM SEPTIMUM de Monasterio Sancti Spiritus in Soltwedele est in Msto CAPITULUM XXXVII. 27. Monasterium S. Spiritus prope Soltwedele oppidum. 30. Principibus - Patribus. 35. quondam officialem ibidem. ibid. Oletewaghen-Oldewagen. 41. Apostolica - Episcopali. 42. Ego autem vespere tria edidi mandata: **** NB. Hæc in verbis abruptis typis impressum.

Omnia, quæ jam sequuntur, desumpta sunt ex Manuscripto Kiloniensi, quod ita pergit:

Unum ad suos ibi missos, quod plenæ essent potestatis; aliud ad nos Patres, quibus idem Monasterium assignavit reformandum & generali capitulo incorporandum; tertium ad Præpositum & conventum, ut sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nos in visitatores reciperent, & informationibus nostris acquiescerent & obedirent. Tribus istis mandatis, figillo

figillo Episcopi figillatis, & in communi lectis, receperunt nos in visitatores. Invenimus autem omnes trium substantialium & regulæ suæ transgressores. Concordavimus ergo nos visitatores omnes, ut ad regularem observantiam etiam invitos per censuras Ecclesiasticas, seu ad alium Prælatum eligendum compelleremus, & tunc vespere ad oppidum regressi sumus. Mane autem factò nos Patres in Hospitio remansimus; & ambasiatores Episcopi cum Consulibus antiquæ & novæ civitatis accesserunt ad Monasterium, inquisituri, an ad plenam se dare vellent reformationem, & nobis & Capitulo generali se unire. Qui ad portam Monasterii venientes, invenerunt eam clausam. Tunc Magister *Iohannes Preen* securi accepta portam Monasterii valde percussit, ut sibi aperirent, & noluerunt. Tandem ad nos in hospitium reversi, hæc ipsa nobis narraverunt. Placuit ergo nobis, quod cum eis tunc non ivimus. Habuerunt tunc in Monasterio, ut audivimus, viros multos pene LX, qui ipsos contra nos defenderent, timentes, se de Monasterio per nos extrahendos. Magister *Iohannes Preen* de nostro consilio publicè eos de ambone Ecclesiæ majoris citari fecit ad audiendum, se excommunicari & excommunicatos denunciari juxta tenorem mandati. Cum ergo comparuissent coram eo, primò exegit emendam pro injuria, sibi & Episcopo suo facta, videlicet *unum nigrum pannum de Leydis*, pro cujus solutione fidem fecerunt. Attamen eos declaravit excommunicatos, & tales denunciari eos publicè mandavit: atque hoc ita factò, nos ad patriam nostram regressi sumus. Principes autem præfati, Marchio & Episcopus nobis tribus secundò scripserunt, ut secunda feria *post Oculi* in Soltwedele rediremus: ipsi suos ibi mittere vellent cum plena potestate ad veram reformationem ibi perficiendam. Perreximus ergo illac, quatuor fratribus Sacerdotibus coisumtis illic permanentibus, duos de Richenberge, duos de Hamersleve, qui vestimenta sua & libros cantuales, missale & psalterium secum assumerunt, ut cantum nostrum cantare possent. Duos etiam currus habuimus & sex equos, quibus nos & res nostras transveximus. Ex parte Principum occurrerunt tunc nobis Præpositus de *Soltwedele & Dammike*, Præpositus de *Ebsdorp* Monialium ordinis S. Benedicti, nuper reformatorem; & Protonotarius Episcopi, iterum deferens secum Episcopi sui sigillum, si nobis opus fuisset. Convenerunt etiam nobiscum Dominus *Bosso de Sculenburg* miles cum filio suo *Fruze*, & *Bernardus de Sculenburg*, frater Domini *Bullsonis*, ex parte Domini *FridERICI Marchionis*, ut eos invitos ad reformandum se compellerent. Quibus adhuc contradicentibus, dixit Dominus *Bosso* miles: putatis, vos Domini, quod contra voluntatem Dominorum, Marchionis & Episcopi, hîc potestis permanere. Dominus Marchio omnino vult, ut ad morem Patrum istorum vos reformetis. Si id negaveritis, tunc omnes vos de terra sua ejiciet. Ubi dimittitis sensus vestros, quod hoc non consideratis? Hæc & his similia illo persequente, negativum tamen dederunt responsum. Præpositus tandem Dominus *Henricus Crogber* ab amicis suis inductus, misit ad nos amicos suos, dicens: si posset servare, tunc vult assumere reformationem libenter: si non posset, quod tunc in aliqua Ecclesia eis incorporata posset residere Plebanus. Cujus voluntate libenter accepta, nos visitatores & ambasiatores Episcopi in eorum Monasterium reintravimus cum quatuor civitatum Consulibus, interrogantes, an se vellent nobis conformare & reformationem assumere? Tunc Præpositus & Plebani nobis consenserunt: reliqui fratres petierunt absentiam in hæc verba: *Ego frater N. perpetuum peto licentiam à Reverendo Domino meo Verdensi Episcopo, & à Domino meo Henrico, Præposito hujus Monasterii, alium eligendi Prælatum, sub quo regulariter vivere potero, cujus licentiam susceptionis infra mensem mecum deferre volo ad Præpositum meum. Quod si alium non potero habere Prælatum, aut si mihi tunc in Monasterio meo Sancti Spiritus remanere placuerit, tunc promitto, quod volo servare regulam Sancti Augustini, & constitutiones Capituli generalis de Windesem, sub pœna carceris & alius pœnis, tunc mihi merito infligendis.* Quia à singulis lecta, ad statim accepta licentia, Monasterium exierunt, de alio Prælato sibi provisuri, uno fratre Gregorio duntaxat excepto, qui coram Verdensi Episcopo personaliter comparere voluit. Omnibus igitur Monasterium egressis, Domino Gregorio demto, & duobus Diaconibus, qui tamen nihil regiminis tunc ibi habebant, & in nullo nobis contradicebant, ad statim cantum nostrum, missas & horas canonicas, & cætera omnia juxta morem nostrum ex libris nostris cantavimus & legimus, nemine nobis contradicente. Hoc fecit schedula illa, à singulis lecta, & præmissa. Tunc dixi: mirum valde est, quod omnes paulò ante nobis fuerunt contrarii & rebelles. Jam omnes pene recesserunt, & monasterium nobis vacuum reliquerunt: jam omnia ad placitum nostrum facere possumus & ordinare. Legimus ergo pro primo matutinas & horas minores: sed missam & vesperam cantavimus. Instetimus posthæc, ut Præpositus & fratres præfentes habitum suum exuerent, scorlicium videlicet; & nostrum subtile induerent, & se more nostro tonderi facerent, quatenus in omnibus nobis conformes essent. Tunc Præpositus misit pro quatuor Consulibus oppidorum pro dando desuper consilio. Qui ad nos in refectorium eorum æstivale ab eis missi, rogaverunt, ut cum investitione eorum usque ad finem mensis expectaremus: ipsi id vellent disponere, ut tunc omnes fratres præfentes & absentes habitum nostrum induere deberent, & cantum & omnia nostra assumere. Quibus respondimus:

dimus: contra veram reformationem est, quod postulatis; quia, si ita fecerimus, nulla hic erit reformatio. Oportet igitur, ut Præpositus, & si qui alii hic fuerint bonæ voluntatis, adhuc hodie habitum nostrum induant. Si noluerint, duo ex nobis ibunt ad Marchionem, ut de remedio provideat opportuno; & omnes de terra sua eliminabit inobedientes. Hæc audientes Proconsules, & Marchionem valde metuentes, persuaserunt Præposito & cæteris præsentibus, ut habitum nostrum ad statim induerent. Qui tandem nobis consentientes, inducias petierunt usque in crastinum. Missa igitur in crastino per Priorem de Richenberg finita, cantavimus omnes flexis genibus antiphonam: *Veni Sancte Spiritus*. Qua cum collecta finita, intravimus ad Sacristiam, Consulatu & Secularibus præsentibus & aspicientibus. Tunc Præpositus super tapetum ibi stratum se ad genua posuit, cappa & scorlicio suo indutus. Tunc Prior de Richenberge, cui Prior de Hamersleve, & ego Prior in Sulda dextera lævaque constetimus, arripiens cappam Præpositi, nobis adjuvantibus dixit, eam exuendo: exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. Et cum scorlicium ei exuisset, *subtile nostrum, quod apud Romanos dicitur Roquetum*, ipsum cum cappa reinduens, dixit: induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Conventus respondit: amen. Quo factò, dixit ad eum Prior: Vos promittitis obedientiam secundum Regulam Beati Augustini, & secundum constitutiones Capituli nostri generalis de Windesem Domino Vestro Episcopo? Qui sic in genibus consistens, & manus intra manus Prioris inferens, dixit: Promitto. Statim post eum Plebanus novæ civitatis Soltwedele ad genua se posuit, & fecit similiter per omnia, sicut fecit Præpositus: sed ille obedientiam secundum Regulam & statuta nostra promisit in manus Præpositi sui. Similiter fecit & Dominus *Nicolaus*, quondam Prior ibidem satis bonus, qui pro Monasterii illius reformatione multum laboravit, & multa perpessus est. Similiter fecit unus Diaconus, frater *Ioachim*, & ita diem illum cum gaudio peregimus. Habuimus nobiscum quatuor fratres, quorum unum fratrem *Iohannem Bulderen*, in Priorem constituimus; alium in Suppriorum & *liberarium*; tertium in *vestiarium*: quartum in *infirmarium* & Magistrum novitiorum. Post paucos deinde dies Frater *Gregorius*, qui antè ibi fuerat Præpositus, etiam more præfatorum investitus est, obedientiam, sicut cæteri, promittens. Deinde post tres dies alter Diaconus investitus est, & obedientiam promisit, ut cæteri. Cum Præpositus & fratres primùm ad reformationem se dederunt: omnibus in refectorium congregatis diximus, quod oporteret, ut, qui officia haberent, claves officiorum à se resignarent, & ad medium coram nobis deponerent. Statim Præpositus, claves suas solvens, posuit eas ante nos, ubi iussimus. Similiter & omnes fecerunt officiales. Tunc diximus Præposito, quod per clavium resignationem etiam singuli sua officia resignassent; & quod ipse claves suas reciperet, & in officio Præposituræ remaneret usque ad proximam eorum visitationem, & quod ipse claves omnium ad se reciperet & retineret, donec de consilio nostro videret, quibus committendæ essent. Et fecit sic. Quia autem omnes ad communem vitam se dederunt, singulorum cellas omnes pariter intravimus, & quarum claves propter absentiam fratrum non habuimus, per vim aperuimus, & inde omnia, ad vestitum seu laborem non pertinentia, recepimus & exportavimus, ac in commune reposuimus apud vestiarium, quem ex nostris fratribus de novo constituimus. Cellas etiam singulis, & ipsis præsentibus & fratribus nostris, distribuimus juxta personarum officia & qualitates, & ita communem vitam & regularem observantiam, de cætero observandam, (instituimus) & fratres nostros cum ipsis reliquimus, quatenus per singulos dies in his crescerent & proficerent, & Capitulo Provinciali Ordinis nostri in Novo Opere seutitent. Hi sunt fratres, quos ibi dimissimus: Frater *Iohannes Horensen* de Richenberge, Frater *Iohannes Bulderen* & *Henningus Peynia* de Hamersleve, & *Henningus Luchte* de Lubicensi civitate, in Sulda Conventualis, omnes Sacerdotes & bene devoti, ibi tunc sunt relictæ pro ipsius debita reformatione.

Hactenus supra jam hoc Tomo edita cum Manuscripto Kiloniensi contulimus & ex eo supplevimus. Nunc omnia ordine hujus ipsius Manuscripti exhibebimus, nisi quod remissione ad superiores paginas contenti erimus, ubi jam edita rursus occurrent.

LIBER I.

CAPITULUM I. supra pag. 477.

CAP. II. sup. p. ead.

CAP. III. p. 479.

CAP. IV. p. 480.

CAP. V. p. 481.

CAP. VI. p. 491.

Mmmmm

CAP. VII.

- CAP. VII. p. 492. à lin. 21. usque ad lin. 48. paginæ 493.
 CAP. VIII. p. 494. à lin. 25. usque ad lin. 51. & pag. 493. à lin. 48. ad lin. 25. paginæ 494. item eadem pag. à lin. 54. usque ad lin. 11. pag. 495.
 CAP. IX. pag. 495. à lin. 12. usque ad lin. 33. paginæ 496.
 CAP. X. pag. 496. à lin. 34. usque ad lin. 14. paginæ 498.
 CAP. XI. p. 498. à lin. 15. usque ad lin. 7. paginæ 499.
 CAP. XII. p. 500. à lin. 16. usque ad lin. 20. Porro eadem pag. à lin. 45. usque ad lin. 42. pag. 501. Inde pag. 502. lin. 15. usque ad lin. 36. ejusdem pag.
 CAP. XIII. p. 500. à lin. 20. usque ad lin. 45. ejusd. pag. Item pag. 501. à lin. 42. usque ad lin. 64. ejusd. pag.
 CAP. XIV. pag. 502. à lin. 1. usque ad lin. 15. Item eadem pag. à lin. 38. usque ad lin. 54. reliqua suppleta ex MSto.
 CAP. XV. integrum suppletum ex MSto.
 CAP. XVI. suppletum ex MSto.
 CAP. XVII. suppletum ex MSto.
 CAP. XVIII. suppletum ex MSto.
 CAP. XIX. pag. 502. à lin. 55. usque ad lin. 29. paginæ 504.
 CAP. XX. suppletum ex MSto.
 CAP. XXI. pag. 504. à lin. 35. usque ad lin. 51. paginæ 505.

CAPITULUM XXII.

Quomodo Fratres in Monte Sereno Sancti Petri visitavimus.

Monasterium Sancti Petri Apostoli in Monte Sereno ad duo milliaria de Hallis, Ordinis nostri Magdeburgensis diocesis, est exemptum à jurisdictione Archiepiscopi, & sedi Apostolicæ immediatè subiectum: unde & novus Præpositus ejus à sede Apostolica, aut ab ejus à latere Legato recipit confirmationem. Præpositus igitur & Conventus dicti Monasterii patentes literas suas scripserunt ad Saxoniam in Hildenshem, instanter expetentes, ut visitatores Capituli de Windesem ex Saxonia possent recipere, quod ordinationi eorum omnino se vellent submittere. Ego autem Zelo reformationis eorum accensus, institi apud Patrem *Henricum Kremer*, Priorem in Richenberg, ut mecum pergeret ad videndum, an esset spes reformationis eorum. Cumque de consilio Conventuum nostrorum placuit ambobus, perreximus in Magdeburg; ubi gloriôsè & humaniter valde suscepti fuimus à Domino Doctore, Magistro *Hinrico Psalterii*, Provinciali Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, & à Priore & à lectoribus, cunctisque fratribus; quoniam solum illud Monasterium in tota civitate fuit reformatum; in qua nunc quinque virorum Monasteria, & tria Monialium, Ordinum diversorum, competenter bene sunt reformata; ad quorum reformationem per Dei gratiam cooperatores primi utcunque fuimus. Inde tunc Hallis perreximus; & primo ad *Montem Sancti Petri Serenum*, ubi nobiscum in equis iverunt egregii Doctores Sacræ Paginæ Magister *Hinricus Take*, & Magister *Hinricus Psalterii* Ordinis Eremitarum præfati. Quo pervenientes, omnes satis gratiosè suscepti sumus à Præposito & à cunctis fratribus: & satis delicatè & humaniter nos tractaverunt. Hi de consilio Doctorum præfatorum ad quatuor annos continuos in visitatores suos nos suscipientes, omnes expensas, in via per XX. milliaria singulis annis à nobis faciendas, libentissime nobis solvere promittentes in litera, sigillo Conventus sigillata: & siquid in via exeuntes & redeuntes, cum raptores sæpius ibidem sint in via, perdiderimus, sive libros, equos, sive vestimenta, omnia promiserunt se nobis soluturos. Ipsi ergo primi fuerunt, qui nos ad Hallis & terras circumvicinas visitandas in Thuringia, Misnia, Erfordia invitaverunt. In quibus terris non parum jam profecimus: & usque hodie in vita sancta & regulari observantia crescere non desistunt.

His ita cum eis conclusis, accessimus pariter cum præfatis Doctoribus ad Dominum *Gunterum*, Magdeburgensem Archiepiscopum, quem nunquam ante vidimus aut cognovimus. Qui satis gratiosè nos suscepit, & ad prandium in castrum nos invitavit, dicens nobis inter alia: Mirum est, quod de terra *ruberorum* reformatores recipere debeamus. Cui respondi: Quamvis in nostra Saxonia Hildesheimensi multi sæpe sint raptores: tamen, quod terra bona & fertilis ibi est, idcirco multi boni viri reformati ibidem etiam educantur.

De mandato igitur Archiepiscopi, & de Doctorum consilio, Præpositi & Conventus ad Novum Opus & ad Sanctum Mauritium Hallis, etiam per quatuor illos annos in visitatores suos nos ambos receperunt, similia, sicut in Monte Sereno, nobis promittentes. Quos non solum visitavimus, sed etiam reformavimus, ut præmissum est. Et quamvis in Monte

Sereno

Sereno expensas viarum nobis promississent, nihil tamen ab eis unquam recepimus, nisi in quarto anno. Tunc parum pro viatico, propter laudabilem consuetudinem, & Juris Canonici dispositionem Ordinisque statuta, recepimus.

Petierunt autem, quod juxta eorum constitutiones, à Concilio Basiliensi, ut dixerunt, approbatas & in Diocesi Wortislaviensi assumtas, eos visitaremus. In Wortislavia enim quaedam erat Abbatia nostri Ordinis, quatuor habens Ecclesias parochiales sibi incorporatas; de quibus per Ambasiatores Concilii Basiliensis quatuor facta fuerunt Monasteria ejusdem Ordinis nostri; in quibus Presbyteros & Capellanos ipsarum Ecclesiarum habitum Ordinis induerunt, Capitulumque provinciale quinque Monasteriorum illorum pro primo, in dicta Abbatia singulis annis observandum, instituerunt, & statuta ab ipsis composita, tradiderunt eis observanda. Potior causa, quare fratres nos in visitatores tam libenter susceperunt, prout postmodum audivimus, hæc fuit: ut, cum generali Capitulo nostro uniti fuissent, tunc Præpositum suum, cum vellent, deponere possent; quem à Sede Apostolica confirmatum, aliter ab officio non poterant deponere. Mansit tamen cunctis vitæ suæ diebus Præpositus ibidem, senex & plenus dierum, amicus meus carissimus.

Cum igitur singulis annis, eos juxta compactata visitaremus, omnia tria ista Monasteria per annos quatuor, obviis manibus satis jocunde nos suscipientes, humanè & delectabiliter nos pertractaverunt, diversa pocula vini & cerevisiæ nobis propinantes, varias silvestres & alias carnes communes nobis procurantes. Visitatione peracta, cum multa gratiarum actione nos à se in pace dimiserunt.

In hoc Sereno Monte Comites Misinenses cum suis contiboralibus sepulturam ex antiquo habuerunt, imaginibus utriusque sexus ibidem quiescentium, de scætis lapidibus aut sperico calco super eorum sepulchra suprapositis. Hæc est, ajunt fratres, eorum non parva gloria.

Post multum vero temporis, cum Hallis ad Novum Opus eram Præpositus, cum Doctore Paulo à Domino Cardinali eorum visitator & reformator fueram constitutus: qui in mandatis habuimus, ut eos ad habitum nostrum & statuta observanda per censuras compellere Ecclesiasticas deberemus. Convenienti igitur nobis tempore visitationem ipsis per mandata nostra insinuavimus: & in termino eis præfixo ad Monasterium ipsorum accedentes, requisivimus, an nos juxta mandata Apostolica in visitatores suos vellent recipere. Qui Notarium & testes in prompto habentes, statim protestati sunt de gravamine & appellando, Notarium super hoc requirentes. Quibus respondimus: Nos tollimus gravamen illud. Domine Notarie, nos etiam ad hoc vos requirimus. Cumque secundo & tertio eos, ut prius, requisissemus, responderunt semper, ut ante responderant; & nos similiter, quod gravamen eorum tolleremus. Tunc Doctor Paulus, convitator meus, (sed ego principalis eram,) sententiis excommunicationis & interdicti juxta tenorem mandati Domini Cardinalis eos voluit innodare. Sed ego contradixi, nolens tam bonum mihi amicum tantis sententiis aggravare. Et ita pro tunc ab eis recessimus usque in aliud tempus magis opportunum.

CAPITULUM XXIII.

De Visitatione Monasterii Sancti Thomæ in Lipzk (Lipfia), & de quodam Doctorando,

Monasterium Sancti Thomæ Apostoli in Lipzk Ordinis Canonorum Regularium auctoritate Apostolica per Dominum Cardinalem nobis, id est, mihi & Doctore Paulo commissa visitavimus, Episcopo Marsburgensi Domino Iohanne, auctoritate sua ordinaria, nobiscum concurrente. Et quod ibidem est Studium universale, schola Juristarum & Juris auditorium, in eodem consistit Monasterio. Invenimus ibi Præpositum & Conventum sine debita regulari observantia, nisi quod communem habebant mensam, sicut Principes in castris cum sua familia. Instetimus autem, ut non solum ad regulæ nostræ observantiam, sed etiam ad statutorum nostrorum, juxta Domini Cardinalis mandatum, se darent assumptionem. Longa tandem inter se præhabita deliberatione, de consilio Episcopi eorum præfati, promiserunt se reformare juxta formam subscriptam, quam in schedula ego conscripsi, & singuli eorum, à Præposito inchoando, coram notario & testibus, in præsentia Episcopi sui & nostra, publice legerunt, & eam servare promiserunt. Cujus tenor sequitur, & est talis: Ego Frater N. promitto præsentibus in manus Reverendi in Christo Patris ac Domini mei Marsburgensis Episcopi, nec non in manus Dominorum, Iohannis & Pauli, Novi Operis extra, & ad Sanctum Mauritium intra Hallis Præpositorum, auctoritate Apostolica visitatorum & reformatorum nostrorum, per Reverendissimum in Christo Patrem, Dominum Nicolaum Cardinalem ad Vincula Sancti Petri, per Magdeburgensem & Maguntinensem provincias Legatum; deputatorum; quod velim observantiam regularem & sanctam reformationem,

M m m m 2

juxta

juxta mandatum Domini Cardinalis mihi propositam, abhinc successivè in omni forma realiter cum effectu suscipere, & firmiter tenere, & *roquetum Romanum*, hoc est, *subtile* in die Natalis Christi induere; scorlicium sive sarracium habitum nostrum antiquum deponere, & in roqueto semper permanere. Hæc omnia ad instantiam Episcopi sui & Consulatus Lipicensis, quem ipsi pro consilio sibi præstando ad se vocaverant, ita servare promiserunt. Reliquimus eis, visitatione peracta, chartam, in qua præcepimus eis tria omnium Ordinum substantialia, paupertatem sive proprii carentiam, continentiam, & obedientiam ante omnia, exacte servare; silentium quoque in oratorio, dormitorio, refectorio, & post completorium profundissime observare; & reliqua, quæ per totum corpus statutorum nostrorum satis clare sunt descripta, omni cum diligentia observare, Patres reformatos libenter hospitio recipere, humanè pertractare, & eis necessaria hilariter & benigne ministrare, & in loco tam insigni Studii universalis & privilegiati, bono odore sanctæ conversationis omnes lætificare & ædificare, & per hæc præmissa & his similia, de genere bonorum opera, gaudia consequi sempiterna. Anno Domini MCCCCLI, XII. mensis Decembris horum omnium recepimus instrumentum à Præposito, & XXV. Fratibus ibidem professis.

Contigit autem, nobis ibi in visitatione occupatis, quendam probum & honestum virum in Doctorem Sacræ Theologiæ promoveri. Cujus amici & proximi circumeuntes, inter alios rogaverunt collegam meum Doctorem Paulum, universitatis illius membrum electum, ut ejus solennitati interesset: qui etiam ad instantiam Episcopi & Doctoris Pauli me similiter rogaverunt, ut ipsius festivitati & promotioni vellem interesse. Quibus ambo assensum præbentes, statuto die in eorum conventum in ecclesia Sancti Nicolai majori pariter convenimus, cunctis Studii universalis illius suppositis in locis suis, juxta dignitatum suarum qualitates, residentibus. Quinque Doctores ante gradum summi altaris sedebant, quorum medius erat Doctorandus. Deinde Doctores in vestibus suis consuetis ad gradum sedebant sanctuarii à dextris ecclesiæ; baccalarii autem à sinistris, habentes capita aperta, pellibus sylvestribus variis foderata. Omnes alii in navi ecclesiæ super scamna multa illic posita se locaverant, facies & oculos contra summum altare, ubi doctorandus sedebat, dirigentes. Ingressi ecclesiam Doctor Paulus mihi dixit: Ego locum sessionis meæ scio, & ibi intrabo: Pedelli, scepra universitatis manibus tenentes, vos vocabunt, & in locum vobis debitum collocabunt. Tunc cæpi cogitare: Non sum graduatus, & nunquam in aliquo studio steti universali: forsitan inter communes & populares scholares me locabunt: Vellem, quod hic jam non essem. Tunc continuo Pedelli accedentes, vocaverunt me, dicentes: Transeat Dominus inter Præpositos. Hoc bis aut ter juxta antiquam eorum consuetudinem repetentes: Transeat Dominus inter Præpositos. Ego autem libentius audissem: Veniat Dominus inter Præpositos. Sed *transeat* dicunt pro Prælatorum reverentia, ut locum sibi condignum ipsi tribuant. Duxerunt autem me Pedelli, & super omnes Doctores præsentis me locaverunt, qui sedebant in lateribus, non supra quinque Doctores illos, qui super sanctuarium ante gradum summi altaris sedebant. Doctores illi quatuor, in quorum medio doctorandus sedebat, unus quæstionem seu sententiam proferebat, quam multis rationibus approbat. Et alter Doctor, qui in alio latere doctorandi sedebat, prolixis rationibus sententiam pro & in contrarium proferebat, sic dicens inter alia: Reverende Domine Doctor, in sententia seu quæstione, quam proposuistis & probastis, dictionem istam posuistis, *eam nominando*, quæ est nomen substantivum masculini generis, singularis numeri, nominativi casus, simplicis figuræ. Cui verbum adjunxistis activum primæ Conjugationis, tertiæ personæ, singularis numeri; & est verbum vehementissimæ transitionis, quod talem regit casum à parte ante & talem à parte post. Et sic de aliis. Unde non parum miratus fui, quod in tam solenni disputatione omnium Doctorum & Bacaliorum diversarum facultatum, talia scholarium initia proposuerunt. Addiderunt tamen alias in Theologia subtiles materias, quas unus proposuit cum certis documentis approbando; alius ipsi respondens contrarium sentire videbatur: in fine tamen in eandem sententiam convenerunt. Cum vero ad distributionem biretorum & chirothecarum pervenissent, sicut omnis Doctorandi ubique Doctoribus, Prælatibus & Bacalariis in fine disputationis eorum conferre solent: mihi etiam, sicut cæteris Prælatibus, dederunt, & accepi. Ad prandendum autem accedentes apud Rectorem Universitatis, qui supremus eorum est, me sedere mandaverunt super omnes Doctores & cæteros Prælatos, qui ibi invitati erant, & super Doctorem Paulum, & super Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, qui etiam fuerunt Doctores, propter hoc, quod major ibidem eram Prælatus, insignem habens Archidiaconatum.

CAPITULUM XXIV.

De Visitatione Monasterii Sancti Iohannis prope Halberstad.

Monasterium Sancti Iohannis prope civitatem Halberstadensem Ordinis Canonorum Regula-

gularium Autoritate Apostolica nos, Iohannes & Paulus, in Novo Opere & ad Sanctum Mauritium Hallis Monasteriorum Præpositi, de mandato Domini Cardinalis præfati visitare volentes, invenimus eos in primis nobis rebelles & omnino resistentes, nosque ad visitandum eos admittere nolentes, non obstante, quod mandatum Domini *Borchardi* Episcopi eorum desuper habuimus bene sigillatum, quod omnia Monasteria Ordinis nostri suæ Dioceseos utriusque sexus nos, sicut nuncios Apostolicos, in visitatores suos admittere, & cum omni reverentia assumere deberent. Cum autem censuris Ecclesiasticis per mandatum eos ad hoc compellere, & strictissimum interdictum super eos fulminare intendemus, invocaverunt contra nos Capitulum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis. Vocati ergo ad Capitulum ibidem in summo, dederunt nobis locum inter eos in sedibus superioribus, ibique cum Domino Decano confedimus, & commissionem, per Dominum Cardinalem nobis factam, ipsis insinuavimus, pœnas formidabiles nos non recipientibus pariter denunciante. Qui matura præhabita deliberatione, Domino Apostolico & ejus Legato nullatenus consuluerunt resistendum, præsertim, cum in mandatis habuerimus, quod omnes nos recipere recusantes excommunicationis & interdicti sententiis illaqueare possemus. Et contra visitationem & reformationem non est appellandum. Miserunt autem ad nos, postquam dedimus eis locum ad deliberandum, tres aut quatuor Capituli sui seniores & discretiores, qui rogaverunt nos, ut ad breve tempus cum eis superederemus, donec cum Episcopo Halberstadenfi loqui possent: ipse etiam per se eos ad hoc ipsum compellere deberet. Dominus autem *Borchardus* Halberstadenfis Episcopus, ad civitatem accedens de castro suo *Groninghen*, Præpositum & fratres Monasterii Sancti Iohannis ad se vocans, de consilio Iurisperitorum induxit eos ad consentiendum nobis, immo & coëgit eos, ut facerent. Omnes enim & singuli hæc subscripta in manus ejus servare promiserunt; & instrumentum desuper factum nobis Hallis existentibus transmisit, hujusmodi sub tenore:

Ego Frater N. promitto præsentibus ad manus Reverendi in Christo Patris, Domini *Borchardi* Episcopi Halberstadenfis, quod velim observantiam regularem & sanctam reformationem, juxta mandatum Domini Cardinalis mihi propositam, abhinc successive in omni forma realiter cum effectu suscipere, & firmiter tenere, ac roquetum Romanum in die Epiphaniæ Domini induere, ac deinceps semper deferre, sub pœnis in mandato Domini Cardinalis contentis, nisi in proximo *Maguntino* provinciali Concilio, in quo ipse Dominus Cardinalis præsidebit, per ipsum & per dictum Concilium aliter fuerit ordinatum.

In præfato autem *Concilio Maguntino*, Dominus Cardinalis, Dominus *Maguntinus*, & omnes de provincia Episcopi & Prælati consenserunt ad omnia, per Cardinalem in provincia illa ordinata, ita, ut Archiepiscopus & Episcopi illa etiam ipsi mandarent observanda, & Dominus Cardinalis illa omnia confirmaret. Ubi etiam idem Dominus Cardinalis mihi & Doctori *Paulo*, & Provinciali nostri Ordinis Capitulo in Novo Opere Hallis, Dominica post Exaltationem Sanctæ Crucis omni anno celebrando, plura notabilia dedit privilegia per literas & bullas, sigillo suo majori sigillatas, quæ in Novo Opere cum cæteris instrumentis sunt reposita.

CAPITULUM XXV.

De Monasterio Sancti Iustini in Etersborch, quomodo ad plenam pervenit reformationem.

Hoc ipsum in præcedentibus est Capitulum XVI. & extæ pag. 506.

CAPITULUM XXVI.

De Monasterio ad Regulares in ERFORDIA.

Monasterium Sancti Augustini Ordinis Canonicorum Regularium in Erfordia de mandato Domini Cardinalis visitavimus; Dominus *Christianus* Prior in Monte Sancti Petri Erfordia, postmodum ibidem Abbas per Dominum Cardinalem consecratus, Ordinis Sancti Benedicti, ego *Iohannes* ad Novum Opus Hallis Præpositus, Doctör *Paulus* ad Sanctum Mauritium Hallis Præpositus, Doctör *Hinricus* *Lodovici* Provincialis Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Doctör *Zegeler* Secretarius civitatis, & Doctör *Jacobus* *Hartmanni*, seniores (senior) totius universitatis Erfordensis. Sequebantur nos duo Proconsules, & unus vel duo de illis, qui semper in consilio sunt ibidem cum consulari, & sine quibus nihil notabile possunt concludere. Et nullus nostrum pene ibi fuit, quin ad minus unum habuit servum se comitantem. Ita non solum ad Regulares, sed etiam ad omnia civitatis illius Monasteria, intus & extra, nondum reformata, cum tali accessimus comitantia; ad quatuor virorum Monasteria, videlicet, ad Regulares, ad Prædicatores, ad Minores, & ad Servos beate Mariæ; ad quatuor etiam

Monialium Monasteria, videlicet, ad Novum Opus Ordinis nostri, ad albas Dominus Ordinis beate Mariae Magdalena de Penitentia, ad Sanctum Martinum Ordinis Cisterciensis, & ad Sanctum Cyriacum Ordinis sancti Benedicti. Quando Abbas Sancti Petri praesens non fuit, tunc ego, quod major Praelatus fui, omnes alios solus praecessi: quod, cum impar ibi in talibus processibus numerus est, tunc non duo, sed unus solus, qui major est inter eos, solus praecedat, quem omnes, duo & duo pariter, continuo subsequuntur.

Provisor autem Erfordensis, Dominus Adolfus de Nassou, nunc Maguntinensis Archiepiscopus, primo Doctore Paulo & mihi, in reformatione Monasterii Ordinis nostri ad Regulares fuit contrarius, propter petitiones fratrum dicti Monasterii, dicens: quod ad Dominum solum Maguntinum, quibus in temporalibus & spiritualibus subiecti erant, eorum pertineret visitatio & reformatio. Tunc ego & Doctor Paulus ad ipsum accessimus, cui concludendo dixi: Precamur, ut autoritate Domini Maguntini nobiscum concurratis ad visitandum & reformandum dictum Monasterium Ordinis nostri. Si non vultis nobiscum eos visitare, nos tamen juxta mandatum Domini Cardinalis, nobis literatorie traditum, eos volumus visitare & reformare. Qui videns nostram in praemissis constantiam, consentit nobis, quatuor viros discretos & reformationi bene inclinatos ex parte Domini Maguntini nobis adjungens, quorum unus Doctor erat egregius; qui omnia, quae volumus, nobiscum ordinarunt, & in effectum perduxerunt.

In visitatione autem eorum invenimus omnes sine reformatione, & sine trium substantialium observatione, nec regulam suam nec statuta observantes. Constitutum ergo ibidem duos de Novo Opere fratres, Hermannum de Arnheim & Hinricum de Molenbecke, primum in Priorem, qui regimen totius Monasterii habuit in spiritualibus, in choro, refectorio & claustro. Ab eo enim fratres, a Monasterio seu choro exituri, licentiam petebant. Capitulum eis servavit, & omnia ordinavit. Praepositum eorum, quod senex erat, & debilis, & ad regimen reformationis inutilis, a regimine in spiritualibus absolvimus, nomine tamen Praepositi retento, ita, quod in festis magnis missam summam cantavit, atque in processibus & stationibus locum tenuit Praelati. Ordinavimus etiam Procuratorem unum ex ipsis, qui regeret temporalia, & fratribus de necessariis victus & vestitus provideret. Habitum nostrum eos induimus, subtile videlicet seu roquetum Romanum, juxta mandatum Domini Cardinalis, scorticio sive sarracio suo exuto. Frater autem Hinricus de Molenbecke, quamvis cum Fratre Hermanno fratres illos in regulari observantia cotidie informavit, Monialium tamen in Novo Opere ad sanctam Crucem Ordinis nostri confessor fuit, illas in confessione ante festa communionis expediendo. Cum Monasteria omnia intus & extra Erfordiam visitavimus, ego, propter majorem visitationum experientiam, dux verbi in primis fui, defectus nobis relatos conscribendo, & singulorum scripta in communi recitando. Sed Dominus Abbas praefatus, quod praesidens & major inter nos Praelatus fuit, & ipsius idioma melius intellexerunt; consequenter ulterius dux verbi fuit, referens visitatis per nos conclusa. Viris relationem fecimus in Latino, Monialibus in Teutonico, ut melius intelligerent.

Per septem pene hebdomadas ego & Doctor Paulus ibi remansimus, harum gratia visitationum. Quibus finitis, rogaverunt nos omnes, qui de consulatu nobiscum visitaverant, ut toti consulatui finalem faceremus relationem de singulis per nos actis in diversis Monasteriis. Quam Doctor Paulus, collega meus, vir in Latino & Teutonico illorum valde eloquens, luculenter & facunde peroravit, nobis omnibus in consulatu cum eis residentibus. Consulatus ergo Doctore Paulo & mihi octo Florenos Rhenenses propinavit, expensas nostras solvere volens, quas tanto tempore ibi consumpsimus. Sed quia hospes noster Abbas erat ad Sanctum Petrum in Erfordia Ordinis Sancti Benedicti, qui nihil a nobis recipere voluit, idcirco & nos nihil ab eis recepimus; sed pecunia illa data fuit Monasteriis, in paupertate viventibus. Consulatus tamen misit nobis ad hospitium stopam vini melioris, qui ibidem trahebatur, pro XL. antiquis grossis emti, pro gratiarum actione. Doctores etiam praefati singuli nos ad mensas invitaverunt, & super alios Doctores locaverunt; me, propter praelaturam majorem super omnes, quoniam Dominus Abbas non fuit praesens; & in omni reverentia nos habuerunt.

CAPITULUM XXVII.

Quomodo in Erfordia unus in Doctorem fuit promotus.

Cum visitationis & reformationis gratia quodam tempore Erfordiae advenissem, contigit ibi, viram solennem, civitatis filium, Syndicum sive Secretarium civitatis Lubycensis futurum, in Doctorem utriusque Iuris promoveri, cujus promotionis actus ita processit. Doctorandus iste de domo sua in magna progrediens processione, duos egregios Doctores, unum in jure (*) a dextris, & alium in legibus a sinistris habuit collaterales,

(*) Scilicet Canonico.

terales, gradiens ad Ecclesiam Beatæ Mariæ publice per plateas, qui ipsi Doctoratus insignia conferre deberent. Plures etiam juvenes collateraliter eum præcesserunt, singuli *capfus & serinia* cum birretis & chirothecis, Doctoribus, Prælatibus & cæteris distribuendis, deferentes. Sequebantur eum alii Doctores, Magistri & amici ejus usque in Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis, quæ summa in Erfordia est Ecclesia Canonicorum secularium. Ibi intra ostia chori ferrea & cancellata *lobium* factum fuerat, & super illud cathedræ tres, pro tribus Doctoribus, in altitudine à pavimento chori ad hominis pene altitudinem. Duo illi magni Doctores *lobium* illud ascenderunt, singuli in cathedris sibi dispositis se locantes. Doctorandus tunc mansit inferius in medio ante *lobium* illud: cæteri vero Prælati, Abbates, Præpositi, Priores, Gardiani, Magistri, Baccalarii & Lectores cujuscunque religionis, & tota Universitas in scammis, in navi chori positus, sedebant. In stallis chori sinistri stabant viri nobiles & alii multum notabiles. In dextris stallis chori nemo stetit, quia pro Consulatu, ibidem venturo, vacua remanserunt: sed ego solus ibi in medio sedi usque ad adventum Consulatus, intuens me intuentes, & auscultans ad dicentes; nemo tamen mihi aliquid dixit. Doctorandus igitur primo loqui exorsus est, & sedens legit ex libro materiam, de qua tractaturi erant, certas pro ea adducens rationes, & allegans autenticos ad hoc Doctores. Deinde alius quidam, in sanctuario super gradus in partem constitutus, etiam legit ex libro, ad idem aut in contrarium deserviens. Tunc quidam juvenis, superpellicio indutus, in medio chori stans, dixit clara & alta voce: Domine Doctorande, arguo contra hęc proposita, eo, quod illa sic se habere mihi non videntur, certas & breves ad hoc inducens rationes. Cui Doctorandus stans per distinctiones breviter respondit, quibus & juveni & omnibus nobis satisfecit. Tunc juvenis, sedecim quasi annorum, cum reverentia inclinans ait: Reverende Domine Doctorande, regrator vobis de bona informatione. Et ita inclinans abscessit. *Doctor* deinde *Decretorum*, supra *lobium* de cathedra sua exurgens, dixit ad eum inferius remanentem, & se aspicientem, in omnium nostrum audientia alta voce, & ad nos omnes: Venerabiles Patres, Domini Doctores & Magistri, sapientiam Domini Doctorandi jam audistis, quomodo in Jure Canonico & Civili certa sibi proposita & causas objectas, egregie perorando, delucidavit, ita ut jam dignus sit & idoneus ad altiora promoveri, quod verbis, rebus & moribus clare nunc ostendit. Idcirco ulterius jam tardare nolumus, quin ipsum in sibi & scientiæ suæ condignum gradum & statum promoveamus. Nunc ergo Reverende Domine Doctorande, ascendite superius, & ad nos venite, ut Doctoratus vestri insignia à nobis recipiatis, & inter Doctores juxta facultatem vestram justum vobis titulum possideatis. Ascendit igitur ad ipsos Doctores juris utriusque in *lobium* & gradum præfatum, ubi illi stabant super alios eminentes. Primum igitur *Doctor Decretorum*, in gradu secum stantem ipsum, sic alloquitur: Domine Doctorande, quoniam ad gradum Doctoratus in Jure Canonico estis promovendus, oportet, ut juxta status vestri exigentiam digne ambuletis, & honesta vestra conversatione cunctis vos aspicientibus amorem & vestri reverentiam incutiatis; prudentia quoque vestra in ignorantia seu in errore constitutos, in viam veritatis & justitiæ perducatis, ut lumen fidei & forma vivendi omni populo Christiano, quatenus per sanctam vestram conversationem & doctrinam à malis custodiantur, & ad omne bonum inducantur; usque dum ad summum bonum, ipsum Dominum Deum nostrum, ipsi vobiscum finaliter perducantur. Si præmissa libenter pro posse vultis adimplere, tunc propius accedatis, & ipsa Doctoratus vestri insignia à me recipiatis. Quo ad eum accedente, *annulum aurum digito suo annulari, & birretum bruneum capiti suo imposuit*. verba adjungens ad id convenientia. Deinde matrem suam Erfordensem Universitatem sibi commendans semper & ubique promovendam, actui suo finem imposuit. Post hæc *Doctor* ille Legum in alia super *lobium* illud sedens cathedra, de ea surgens, primum ipsi proposuit, quid juxta facultatem artis suæ esset faciendum, & quomodo lumen & firmamentum Ecclesiæ sanctæ Dei, juxta gratiam à Deo sibi datum, se esse rebus ipsis in veritate comprobare deberet; & multa his similia exhortando, adjecit, ut ad se accederet, & Doctoratus Legum insignia ab ipso reciperet. Tunc birretum rubeum capiti suo imposuit, & alium annulum aureum digito suo annulari circumposuit. Et hoc modo *Doctoratus utriusque insignia*, cunctis nobis videntibus & audientibus, cum magna solennitate suscepit. Consulatus itaque Erfordensis interim adveniens, ad sedes chori dextri vacuas introivit. Et dum hæc agerentur, chirothecæ & birreta Prælatibus, Doctoribus & Magistris, Lectoribus, Baccalariis & cæteris, ut moris est, distribuebantur. Singulis etiam de Consulatu Erfordensi præsentibus, numero multis, ita ut sedes omnes chori dextri plenæ essent, sua dari mandavit exenia chirothecarum. *Doctor* post hæc, noviter in Doctorem creatus, omnes alloquitur, dicens: Regrator vobis omnibus præsentibus, qui ad hanc meam venistis solennitatem: primo Domino Abbati de Sancto Petro, Domino Præposito Canonicorum Regularium, Dominis Doctoribus, Magistris, Prælatibus, Lectoribus Baccalariis; & vobis Proconsulibus & Consulibus hujus civitatis & cæteris omnibus. Rogo insuper, ut intercedatis pro me, & pro matre mea defuncta ad Dominum Deum nostrum,

strum, & pro omnibus vivis & defunctis, qui mihi consilium, auxilium & favorem impenderunt, ut in hanc Doctoratus dignitatem jam sim promotus, & qui mihi aliquid boni impenderunt à juventute mea usque in præsens. His ita finitis, conventus ille fuit solutus, singulis in sua recedentibus, & invitatis ab eo in magno numero, ad secum prandendum.

CAPITULUM XXVIII.

De visitatione Monasterii sancti Mauricii, & de quinque Monasteriis, contra nos ad curiam appellantis.

Monasterium sancti Mauricii Ordinis nostri *prope Nuenborch* civitatem, ego cum Doctore Paulo, autoritate Papali, visitavimus, nullam invenientes ibidem reformationem. Et quia pauperes erant, mandavimus eis, ut juxta mandatum Domini Cardinalis *Nicolai de Cusa*, à latere legati, successivè ad debitam reformationem, ad vivendum in communi sine omni proprietate, se præpararent, ut regulam almi Patris nostri Augustini & statuta nostra, à Domino Apostolico approbata, assumerent & observarent, & in omnibus, quantum eis possibile pro primo esset, nobis se conformarent. Ædificia eorum pene omnia, præter ecclesiam, minabantur ruinam, & fratres, ut rustici, propter penuriam & labores continuos incedebant. Patres tamen & fratres omnes multum caritative nos receperunt, & satis accurate, in quantum poterant, nos tractaverunt. Princeps etiam, Illustris Dominus *Wilhelmus Dux Saxonie, Lantgravius Thuringie* dedit nobis salvum conductum in literis suis patentibus sigillatis; in quibus mandavit, ut omnes, in sua ditione commorantes & sibi subiecti, gratiosè nos susciperent, & tanquam nunciis & visitatoribus Apostolicis, nobis obedirent, atque juxta dispositionem & commissionem Domini Cardinalis, nobis factam, omnibus modis se regerent, & vitam suam emendarent. Contigit post hæc, Dominum *Fredericum Imperatorem tertium* ad Summum pergere Pontificem, pro insigniis regalibus & tertia Imperii corona suscipiendis. Ad quem ante exitum suum accessit aut misit Dominus *Fredericus Marchgravius Misinensis & Dux Saxonie, Elector Imperii*, qui sororem, ut æstimo, habuit Imperatoris in conjugem, rogans eum ad instantiam & petitionem Præpositorum & Conventuum Canonice regularium, in sua potestate consistentium, videlicet, *Montis Sereni, in Lipze, in Aldenborg*, & in aliis similibus Monasteriis Ordinis nostri, ut à Domino Apostolico impetraret, quatenus mandata Domini Cardinalis, mihi & Doctore Paulo data, cassaret; allegantes, Dominum *Magdeburgensem Archiepiscopum* dicta Monasteria, per hujusmodi nostram visitationem & reformationem, à potestate Ducis velle subtrahere & sibi subjugare. Imperator ergo *Fredericus* à Domino Apostolico Romæ id impetravit, ut ego & Doctor Paulus ad Curiam Romanam citaremur per Doctorem *Decretorum*, causarum auditorem, per Papam deputatum. Hic nos citavit, ut infra quinquaginta dies post executionem nobis factam coram ipso comparere deberemus, objectionibus Præpositorum & Conventuum Ordinis nostri in Misina responsuri. Præfati enim Præpositi & Conventus pariter contribuerunt, calices & alia clenodia impignorantes, ut se nobis opponerent. Nos igitur citati, audientes, sacerdotem notarium, reformationis amicum, versus Curiam ascendere cupientem, Dominum *Iohannem Cloeden*; procuratorem causæ nostræ ipsum coram notario & testibus constituimus, ut nomine nostro cunctis, adversum nos aliquid habentibus, ibidem responderet. Cum igitur Romam venisset, divulgatum est statim in Curia, quod procurator Dominorum *Iohannis & Pauli, Hallis Præpositorum*, Romam advenisset. Quem iudex ad hoc constitutus, ad instantiam partis adversæ, ad statim citari fecit, ut coram eo, per partem adversam sibi objiciendis, nomine nostro responderet. Cumque ad aures Domini Apostolici pervenisset, procuratorem Præpositorum *Hallensium*, reformationum & autoritate Domini Cardinalis totius patriæ visitatorum, à iudice ab eo constituto citatum, in crastinum tunc debere respondere; continuo eidem mandavit auditori causarum illarum, ut dimitteret Præpositos Hallenses in pace, & mandata Domini Cardinalis debitæ executioni demandare, & sanctam reformationem effectui mancipare, non obstantibus quibuscunque. Quod enim negotium causæ illius hujusmodi Doctore commiserat, hoc ad petitionem fecerat Imperatoris, tunc ab eo conorati. Sed reformationem illam factam nullatenus à quocunque voluit impediri, sed debitum effectum omni modo fortiri. Et ita in cassum patres Monasteriorum illorum contra nos se erexerunt. Dominus etiam Apostolicus certam mihi, in Novo Opere Præposito, causam commiserat quingentorum florenorum, inter partes certas decidendam. Quibus coram nobis comparentibus, pars rea & impetita primo allegavit, Hallis locum non esse insignem, propter advocatorum & notariorum paucitatem. Cumque id probare pro tunc non possent, eo quod plures ibidem tunc Doctores Decretorum, & Bacalarii, & alii Jurisperiti morabantur, sicut & plures notarii: impetraverunt ab Imperatore, ut causâ hujusmodi *Lantgravo Thuringie, Duci Wilhelmo* moderno, committeretur. Cumque id obtinuissent, scripsit mihi

mihî præfatus Lantgravius, quod causa illa per Dominum Fredericum Imperatorem, sibi esset commissa; & ideo de ea superfederem, & sibi eam transmitterem discutiendam. Cui rescripsi; Sicut ipsum Imperatori oportere obedire, sic obedire me oportere Domino Apostolico. Si posset efficere, ut causam illam Papa à me sustoleret, & sibi eam committeret, optime essem contentus. Si nullatenus: tunc obedire me oportere mandatis Apostolicis. Qui in hujusmodi nostris responsis bene fuit contentus: ex persona enim me cognovit, & petitionibus meis libenter assensum præbuit.

Huc usque de Monasteriis Ordinis nostri, per me visitatis, & ad reformationem compulsis, pertractavimus: nunc autem dicendum de Monasteriis Ordinis nostri bene reformatis, in quibus vel habitavi, vel quæ autoritate Capituli nostri generalis, cum collegis mihi deputatis, visitavi.

CAPITULUM XXIX.

De reformatione Monasterii beatæ Mariæ in Wittenborch.

Videfis in præcedentibus pag. 488. ubi hoc est Capitulum XI.

CAPITULUM XXX.

De Monasterio in Richenberg.

Est in præcedentibus Capitulum XII. pag. 490.

CAPITULUM XXXI.

De Monasterio Sancti Pancratii in Hamersleve.

Monasterium Sancti Pancratii Martyris in Hamersleve Ordinis nostri, Halberstadenfis Diœcesis, cum primum reformari debuerat, Dominus Henricus Dux Brunsvicensis scripsit Domino Egbarde de Hanenze, Præposito ecclesiæ Hildesheimensis, ut me, Præpositum tunc in Sulta rogaret, quatenus Monasterium Sancti Laurentii in Scheyninghen Ordinis nostri, etiam Halberstadenfis diœcesis, in dominio suo temporali constitutum, visitare vellem & reformare. Cui respondi, quod sine voluntate Episcopi Halberstadenfis id nollem attentare. Episcopus ergo Halberstadenfis Dominus Borchardus Duci Henrico rescripsit, quod primo reformare vellet Monasterium nostri Ordinis in Hamersleve, ad unum miliare distans de Sceyningen; & ut ego ad Episcopum in castrum suum Groninghen venirem: ibi inde pariter vellemus conferre. Cumque ad ipsum venissem, multum gratosè me suscepit; mensam parari jussit, cibos obtulit, & per totum prandium ante mensam stetit, manum super mensam ponens unam, & mecum loquens. Concordavimus autem, quod Dominum Decanum Halberstadensem cum alio Canonico ejusdem ecclesiæ vocarem, ut mecum irent sequenti die in Hamersleve. Ibi nobis personaliter vellet occurrere, & tunc de modo & forma reformationis eorum cum Præposito & fratribus ibidem convenire. In crastino ergo ibi pariter convenimus; ubi me interrogaverunt de modo reformationis eorum. Quibus respondi: Si Præpositus & Fratres isti volunt reformari, & si tunc Episcopus & Capitulum suum voluerint mihi schedulam sive literam istam sigillare, & dare hoc modo Monasterium istud mihi ad reformandum, tunc plene reformabitur. Tenor vero schedulæ, quam conceperam, hic erat:

Borchardus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Halberstadenfis, dilecto nobis in Christo, in Sulta Præposito, salutem in Domino. Ut Monasterium Sancti Pancratii in Hamersleve Ordinis vestræ nostræ diœcesis reformare valeatis, secundum regulam almi Patris Augustini & constitutiones Capituli vestri generalis de Windesem, per vos, & patres & fratres Ordinis vestri in Saxonia; de consilio Dominorum ecclesiæ nostræ Halberstadenfis plenam damus vobis per præsentem facultatem, nostro sub sigillo, præsentibus impresso. Et adjeci: Videtis, quam simpliciter & breviter posui, quod exoptulo. Decanus respondit: Si ista habueritis, quid amplius desiderare velletis? Vos simplex estis, sicut toga duplex aut triplex. Tunc ibi conclusimus, quod illam schedulam Dominus Decanus Capitulo suo præsentare deberet, & Capituli sui consensum requirere; quia sine Capituli sui consensu Episcopus nihil notabile dare potuit vel diffinire. Interim Lantgravius Thuringiæ, qui & Dux Saxonie est, contracto exercitu, in adjutorium properavit Archiepiscopi Coloniensis contra civitatem Sufatum, circa fines diœcesium Halberstadenfis & Hildensemensis pertransiens, omnia in via occurrentia rapiens, depopulans ac devastans, ut pro se & suis animabus haberet ad manducandum. Unde & omnes, circa viam illam habitantes, terror

Nnnn

invasit.

invasit. Episcopi ergo, Comites, barones, civitates & villæ in circuitum ad arma convolarunt, & ei obviantes, præcavere voluerunt, ne omnia diriperet ac devastaret. Hac igitur occasione intermissum pro tunc fuit negotium reformationis Monasterii Hamersleve. Prior autem de *Richenberg* Iohannes Monasterii, per Episcopum post recessum Lantgravii de terra, vocatus, dictum Monasterium, in bonis & personis ipse abundans, suscepit reformandum; constituens in eo fratres, bresbyteros & laicos, qui agros, in copia non parva ibi existentes, colerent, vivaria ibi convenientia præpararent, & ædificia collapsa restaurarent. Ecclesiam habent ibi magnam, sicut in *Richenberg* longam & latam. Cantum ergo nostrum, habitum, statuta & *ordinarium* statim tunc assumerunt, & in omnibus Capitulo nostro generali, in quantum poterant, se reformaverunt. Plures etiam postmodum fratres ibi misit, & aliquos de iis, quos miserat, ad se recepit, rectorem eis præponens. Tandem ad electionem Prioris, de consilio Prioris in *Richenberg*, processerunt, & elegerunt fratrem *Everbardum Lochte* tunc ibi in Priorem, virum bene religiosum, principibus terrarum & Prælatiis satis carum & plurimum complacentem, pro regulari disciplina multum Zeolum. Hic in dicto Monasterio bonum sanctæ reformationis collocavit fundamentum; ædificia collapsa restauravit, vivarium magnum pro piscibus effodi procuravit, & novellam illam plantationem in statum bonum, & temporalibus & spiritualibus, competenter perduxit. Pater iste mecum stetit in Novo Opere Hallis pro reformatione, in *Richenberg* professus; qui mihi, in *Windesem* tunc commoranti, literam scripsit per Fratrem *Iohannem Scaper*, in *Decretis* Licentiatum, quondam Ecclesiæ *Hildesheimensis* Canonicum, tunc in *Hamersleve* Professum, virum notabilem & eloquentem, quatenus impetrarem à venerabili Capitulo nostro generali Monasterii sui in *Hamersleve* incorporationem.

Accessi ergo tunc solus ad diffinitores Capituli, incorporationem ejus à Capitulo petens. Hoc audiens Prior de *Bodikem*, Pater *Arnoldus*, qui unus fuerat diffinitorum, dixit ad me: Frater Iohannes, dicamus veritatem. Ego etiam ibi fui, & non videtur mihi adhuc incorporandum. Cui respondi: Non dixi ego veritatem? Quare non potest jam assumi? Ait: Domus una est ibi in propinquo, ubi mulieres habitant; ibi laici vel fratres ad casum possent pervenire. Respondi: Hic est Magister *Iohannes Scaper*, vir valde authenticus. Si dixerit, quod velit disponere, ut domus illa inde amoveatur, tunc est quasi factum. Et adjeci: Magnus ille Pater, Magister *Hugo de Sancto Victore*, Parisiis Præpositus in Monasterio Ordinis nostri, fuit ibi novitius, & ut quidam dicunt, etiam professus. Qui post ad universale Studium Parisius se transtulit, & ibi in virum perfectum & doctum crevit. Tunc venerabilis Prior de *Windesem* Iohannes mihi dixit, ut Magistrum Iohannem ad diffinitores vocarem. Cui in omnium nostrum præsentia dixit: Frater Iohannes *Busch* plurimum instat, ut Monasterium in *Hamersleve* Capitulo nostro incorporemus. Sed ibi in propinquo domus est mulierum, fratribus periculosa; si illa tolli posset, tunc bene consentiremus. Magister Iohannes respondit: Venerabiles Patres, ego missus sum à Reverendis Patribus *Hildesheimensis* & *Halberstadiensis* Ecclesiarum Episcopis, ad impetrandum à vestris paternitatibus, ut præfatum Monasterium generali vestro Capitulo posset incorporari. Impedimentum, quod allegastis, statim, cum domum rediero, amovebitur. Omnes ergo diffinitores consenserunt in nostra præsentia, & ipsum Monasterium tunc assenserunt, & generali Capitulo incorporaverunt & univerunt. Visitatores anni illius, de *Northorn* & *Albergen* Priores, cum tunc venissent, & locum vidissent, cum omnia ædificia nondum essent reparata; dixerunt, incorporationem ejus adhuc differendam. Quibus Magister Iohannes Scaper respondit: Patres venerandi, non petimus, ut Monasterium nostrum Capitulo incorporetis; quia jam factum est, ut in diffinitionibus Capituli invenietis. Quo audito & viso, omnino contenti erant, ut oportuit. Patre *Everbardo* cum multorum dolore humanis rebus exempto, frater *Bernhardus de Scuttorp*, in *Richenberg* professus, voce omnium in Priorem ibi electus est; quem Prior de *Richenberg* & ego, eorum visitatores per annos jam plurimos, autoritate Capituli nostri confirmavimus. His Prædecessoris sui inherens vestigiis, ædificia Monasterii antiqua complevit, & plura nova ædificia, videlicet, dormitorium, refectorium fratrum & laicorum, & cellarium pulchre ædificavit; novum pristinum & braxatorium aptissime disponens, una cum *Walbrando* Procuratore suo, viro experto, muris lapideis construxit; & alias domos quam plures, ad opera diversa necessarias, in diversis Monasterii locis, de novo construens, collocavit, lapidibus & petris principales domos contegens. Bona etiam Monasterii in agris, in annuis redditibus, & ad vitam aut perpetuo alienatis, iterum reëmit, & Monasterio reunivit, per Procuratoris sui providentiam. Debita Monasterii, quæ satis multa invenit, pene omnia persolvit. De animalium nutritura, agrorum cultura, de decimis & annuis proventibus, de fratrum laboribus & omnium rerum congrua providentia, cotidie se nutrit. Nam de piscibus vivariorum suorum, quos ultra, quam ipsi indigent, annuatim vendere solent, ultra centum florenos *Rhenenses* accipiunt. In claustrali vero disciplina & exercitiis spiritualibus non decreverunt, sed cotidie proficiunt, de virtute euntes in virtutem. Ita non parvum nomen, sed magnum & solenne

solemne per totam jam acquisierunt patriam, ad gloriam Dei & Ordinis nostri exaltationem. Prior iste *Bernhardus* ad diversa Monasteria, præcipue Monialium Ordinis nostri, visitanda & reformanda, frequenter advocatur; videlicet in *Monte beata Maria prope Helmsfede*, in *Marienborn* & in *Stendal*, in quibus puellas solet investire, novitias ad professionem suscipere, nigrum velum sacræ professionis seu religionis eis imponere. Coronam tamen virginum, hoc est, coronam sive circulum capitis cum crucibus, non ipse, sed *Episcopus* aut *Suffraganeus* ejus habet eis imponere; qui vice Christi eas habet solus desponsare. Virgines enim coronare, sacros ordines conferre & *chrisma* conficere, ad solum pertinet Pontificem: quæ per se facere debet, nec habet potestatem aliis Prælati autoritatem ea faciendi conferre. Papa tamen posset alteri Præfato minori, aut Canonico Ecclesiæ Cathedralis ea committere, videlicet, ut ordines conferret, virgines coronaret, & cætera, quia omnipotens est in universo mundo. Prior ergo præfatus ista Monialium Monasteria, assumpto alio Priore Ordinis nostri, communiter visitare solet annuatim, & per hoc ea in bona reformatione conservare. Quod autem in virorum Monasteriis nobiscum & cum aliis Prioribus fecit & facit cotidie, in subsequens & præcedentibus declaratur.

CAPITULUM XXXII.

De Monasterio Ordinis nostri in Bodike.

Est in præcedentibus Capitulum VI, & extat pag. 482.

CAPITULUM XXXIII.

De Monasterio in Molenbeke.

In præcedentibus est Capitulum VII, & extat pag. 483.

CAPITULUM XXXIV.

De Monasterio in Dalem Ordinis nostri.

In præcedentibus est Capitulum VIII, & reperitur pag. 484.

CAPITULUM XXXV.

De Monasterio in Volkerinchusen.

Est in præcedentibus Capitulum IX, & reperitur pag. 484.

CAPITULUM XXXVI.

De Monasterio in Zegeberge Ordinis nostri.

Est in præcedentibus Capitulum X, extans pag. 485.

CAPITULUM XXXVII.

De Monasterio Sancti Spiritus in Soltvedele.

Particula ejus in præcedentibus inscribitur Capitulum XVII, & extat pag. 506. Quæ autem ibi desiderantur, loco suo ex MSto suppleta sunt.

Sequitur nunc tractandum de Ordine PRÆMONSTRATIENSIS, per quos in Saxonia primum reformatus est. Et quia Monasterium Beatæ Mariæ Virginis in civitate Magdeburgensi caput est omnium aliorum hujus Ordinis Monasteriorum in ista Sycaria, (*) ideo primò de eo incipiamus.

(*) Sycaria, forte Vicaria, Vicarey.

De Monasterio Beatæ Mariæ Ordinis Præmonstratensis.

Monasterium Beatæ Mariæ Virginis Ordinis Præmonstratensis in civitate Magdeburgensi factis est solenne, præsertim propter venerabilem Patrem *Norbertum*, Ordinis illius institutorem & fundatorem, qui Archiepiscopus fuit circa finem vitæ suæ diocesis Magdeburgensis, & in sarcophago marmoreo elevato in choro ibidem conditus jacet. Totus Ordo eorum albis laneis vestibus induitur, tunicis videlicet albis, cappis, scapularibus, caligis, pileis & similibus: in Magdeburgensi vero *ficaria* blaveis utuntur cappis. Præpositus autem modernus Magister *Everhardus*, in Theologia Bacalarius formatus, in suo Monasterio Beatæ Virginis, & in quibusdam aliis, per ipsum reformatis, blaveis cappis depositis, albas jam cappas, juxta primariam Ordinis sui institutionem, de fratrum suorum bona voluntate assumpsit. Hic ergo Præpositus secundum dicitur *Primas Germania*, sicut Magdeburgensis Archiepiscopus primus dicitur *Primas Germaniæ*. Nam mitram Episcopalem pretiosam in capite portat in divinis, chirothecas in manibus, sandalia in pedibus. Et habet sub se quindecim Ordinis sui Monasteria, quorum tria Cathedrales sunt Ecclesiæ, Episcopos habentes ex se ipsis singulæ eligere videlicet *Brandeburgensis*, *Havelburgensis* & *Ratisburgensis* Ecclesiæ. Præpositus autem Magdeburgensis hujus Ordinis mandatum habet super omnes Canonicos præfatorum Monasteriorum, & super Prælatos eorum, sed non super Episcopos illos, quamvis *habitum deferant Ordinis*, sicut cæteri. Potest etiam dictos Canonicos excommunicare, & sub pœna excommunicationis eis mandare; incarcerare & absolvere, justitia mediante. Abbas Præmonstratensis superior est omnium Monasteriorum sui Ordinis; sed Præpositus beatæ Virginis præfatus cum tota sua *Sycaria* est exemptus ab ejus obedientia huic *Præposito beatæ Virginis* omnes de *ficaria* sua tenentur obedire. Præfatus autem Præpositus perrexit semel ad *Præmonstratum* ad Capitulum eorum omnium, qui nescierunt modum & formam petendi veniam, parumque noverant de bona reformatione, nisi quantum ab ipso instructi fuerant. Nescio, quantum seu qualiter se & sibi subjectos Capitulo illi conjunxit. Hoc tamen scio, quod in habitu & statutis ipse & alii, de sua *ficaria* reformati, jam sunt conformes. Ecclesia dicti Monasterii beatæ Mariæ in Magdeburg ex quadratis & pulchre politis lapidibus est constructa, & bene testudinata. Dominus autem *Guntherus de Schwarzeborch*, Archiepiscopus Magdeburgensis, præfatum volens reformare Monasterium, quod à primæva sui institutione satis miserabiliter fuerat prolapsum & quasi depauperatum, de consilio Doctorum sacræ paginæ, Magistri *Henrici Tacke* Canonici Ecclesiæ ibidem majoris, & Domini *Henrici Psalterii* Ordinis Eremitarum sancti Augustini & Ordinis sui Provincialis Patris, misit ad me, in Sulda tunc Præpositum, & ad Patrem *Henricum Kremer*, in Richenberg tunc Priorem, instanter exorans, quatenus cooperatores sui & suorum esse vellemus ad reformandum jam dictum Monasterium & alia nostri Ordinis suæ diocesis Monasteria, in & prope Hallis. Cumque in Magdeburg pervenissemus, multum amabiliter & charitative suscepti fuimus in Monasterio Augustinensium à venerabili Doctore Psalterii, & à Priore, & ab omnibus Lectoribus & Fratribus suis. Et quia sæpius causa reformationis illac pervenimus, semper omnes cum magno gaudio & cordis hilaritate, sicut Angelos & Dei nuncios, nos susceperunt, omnemque humanitatem nobis exhibentes, solenniter nos tractaverunt. Nam in exitu de Hildeshem ad Hallis & in reditu communiter ad ipsos declinavimus: quia aliud Monasterium ibi tunc non erat reformatum, ubi jam septem sunt Monasteria reformata in bona regulari observantia. Archiepiscopus ergo Priorem Monasterii præfati mandavit à suis in civitate Magdeburgensi apprehendi & incarcerari, quia noluit reformari. Quo audito, tota civitas conturbata fuit, clamans, civitatis libertatem per istam violentiam fuisse contractam, & ad arma se velle convolare, nisi Prior libertati restitueretur. Archiepiscopus igitur populi seditionem volens sedare, Priorem illum liberum permisit suum reintrare Monasterium; & sic ejus reformatio tunc fuit dilata. Nos igitur pro tunc de consilio Archiepiscopi versus Hallis in curtu perreximus ad Monasteria ibidem Ordinis nostri reformanda: & præfati Doctores ambo circa nos equestres illac pervenerunt. Et primo accessimus ad Monasterium Sancti Petri in *Monte Sereno*, duobus ab Hallis distans miliaribus. Fuimus igitur in illis tribus Monasteriis per quatuor annos suscepti in visitatores; qui etiam omnes expensas & damna rerum perditarum, si ita contigerit, promiserunt se soluturos etiam sub sigillis, prout in visitationibus præfatorum Monasteriorum plenius expressum est. Gunthero Archiepiscopo defuncto, Dominus *Fredericus de Bichelinge* in locum ejus electus est, qui amplius, quam suus prædecessor ad reformandum Monasteria inclinatus, Priorem de Richenberg & me in Sulda Præpositum iterum vocavit, ad præfatum in Magdeburg Monasterium Præmonstratensium reformandum. Cumque ibidem venissemus; videntes fratres seniores domûs illius, quod oportet.

oporteret, ut se reformarent, fuga lapsi, inde se subtraxerunt, uno tantum seniore ibidem remanente & claudicante, cum paucis junioribus, habitum Ordinis indutis. Diximus ergo fratri illi seniori, ut cuncta sua propria resignaret. Qui unum duntaxat habuit sarcimen, in pariete cellæ suæ appensum, quod debuit resignare. Tunc dixit: alii recesserunt, quia propria sua resignare notuerunt, & ego sarcimen meum deo resignare? Potius eligerem etiam exire. Tunc Præpositus ibi de Havelberg concessus, rogavit nos, ut sarcimen illud posset retinere, addens, quod illud de mane solet comedere. Et tunc ad mensam veniens dicit, se infirmum, & tunc comedere non posse, cum inde ventrem secrete implevisset. Post eum unus juniorum Dominus *Albertus* solus ibi remansit usque in præsens. Quando Prior de Richenberg, *Henricus Cremer*, & ego pariter visitavimus; ego propter nomen Præpositi, & propter majorem reformationis experientiam communiter dux verbi sui: ipse tamen aliquando suam adjecit sententiam, de quibus loquebamur, dicta nostra comprobando. Cum ergo nec Archiepiscopus, nec Capitulum suum modum poterat invenire, quo dictum Monasterium in Ordine suo posset reformari: voluerunt nobis illud dare ex toto secundum Ordinem nostrum & statuta nostra reformandum, ut videlicet Canonici efficerentur regulares. Ego autem eis in hoc non consensi, propter Ordinis sui fundatorem *Patrem Norbertum*, ibi in choro sub sarcophago elevato quiescentem, ne alterius Ordinis fratres locum patris eorum possiderent.

CAPITULUM XXXIX.

Quomodo de Lunenborch acquisivi Fratrem Ordinis, quem cum seculari prædicatore bene informatum in Magdeborch mihi pro reformatione.

Ego igitur post hæc, Monasterii nostri in Sulta certa in Lubike expediturus negotia, pertransivi civitatem Lunenborch; in qua audivi, Monasterium esse Ordinis Præmonstratensium. Accessi ibi ad Præpositum conversationis mutæ gratia & agnitionis; quia nunquam ante ibi fueram. Qui invitavit me ad prandium in præposituram suam, Priorem etiam, Suppriorem & Procuratorem. Cui inter prandendum supplicavi, ut aliquos inde de fratribus Monasterii sui concederet pro reformatione Monasterii beatæ Mariæ Ordinis sui in Magdeburg, dicens, quod Archiepiscopus Magdeburgensis cum Capitulo suo id nobis & Ordini nostro assignare vellent, si habere non possent sui Ordinis reformatores. Qui responderunt, quod in reditu meo de Lubike bonum mihi dare vellent responsum. Reversus ergo de Lubike in profesto Sacramenti, pertingere non poteram ad Civitatem Lunenborch; sed permani nocte illa in *Bardewyk*. Sequenti mane hora octava veni ad Monasterium eorum, & statim alba & serica cappa indutus, ivi in processione cum eis in fine, reliquias in monstrantia rotunda deferens in manibus. Unde Prior de *Bodike Arnoldus*, qui nocte præcedenti ante me ibidem venerat, in angulo stans ecclesiæ, putabat, me venerabile Sacramentum portasse; admiratus, eo quod sciverat, nocte illa foras me remansisse. Ego tamen non portavi venerabile Sacramentum; sed Præpositus domus me sequens in magna monstrantia illud deferbat, quatuor viris de consulatu tectum pretiosum, quatuor stipitibus annexum, super caput ejus & super monstrantiam cum venerabili Sacramento deferentibus. Tunc finita processione ego ibi celebravi. Ad mensam superiorem ego cum Præposito in refectorio tunc solus sedens comedi, fratribus ad alias mensas collateraliter confedentibus propter diei festi solennitatem. Supervenerunt ibi lufores fistularum, qui in processione ante venerabile Sacramentum fistularant, & cum instrumentis suis in fine introitus refectorii fistulare cæperunt & cantare. Quibus Præpositus ambabus manibus signum dedit, ut cessarent & recederent, dicens: Patri hoc non placet, me significans. Et ita à refectorio discesserunt. Conclusimus tunc in vesperum, quod Suppriorem suum, Fratrem *Conradum de Ulzen* mihi velle concedere, qui bene inclinatus fuit ad reformationem, ac magnus & fervens Zelator disciplinæ. Hic ad me in Sultam perveniens, gratiosè satis à me fuit susceptus. Qui per annum apud nos in Sulta permansit, ut omnia nostra videret, & veram disceret reformationem in choro, Capitulo, refectorio, claustro & dormitorio; quia talem tunc in Sulta tenuimus observantiam regularem, quam totus mundus & omnes religiosi videre poterant & inde ædificari, & trahi ad sequendum. Eodem tempore magnus erat in *Hildesem Prædicator*, ad Sanctum Andream ibidem Canonicus, qui in Lubike, in *Brunswyk*, & in *Magdeburg*, & in aliis locis magnus & bonus fuit prædicator nuncupatus & zentus, quem omnes libenter audiebant, quia veritatem prædicabat, non parcens religiosis proprietariis, nec secularibus mandatorum Dei transgressoribus. Erat enim bonæ vitæ, facundix & doctrinæ. Hic nobiscum in refectorio aliquando comedens, sicut ipse & alii Canonici diversarum Ecclesiarum *Hildeshemensium* sæpius faciebant, singulare mecum prandio factò, ut omnes consueverunt, habebat colloquium. Cui inter alia dixi: Domine *Johannes Rebes*, (sic enim vocabatur) quamdiu populo vultis prædicare, & opere illud non

perficere? Quare non intratis ad nos, ut in Ordine nostro Domino Deo serviatis? Respondit: In die Sancti Vincentii proxime futuro, fructus præbendæ meæ ad Sanctum Andream promerui. Tunc ego veniam ad vos, & Ordinem vestrum tentabo, si eum portare poterō. Venit ergo ad nos, sicut dixit, die ac nocte chorū & conventum nobiscum frequentans. Dominus iste *Iohannes Rebes* causa primordialis fuit, quod tam bonum dormitorium nunc habemus. Habitavit enim inferius in cella nimis bassa. Dixit ergo: Si totam istam domum vultis aliū elevare, ego solvam pretium, vos sumtus & expensas. Sic centum florenos Rhenenses dedit nobis ad huiusmodi structuram; quos tamen postmodum ad Ordinem Præmonstratensium transituro gratanter sibi reddidimus. Cum ergo isti ambo Frater *Conradus Ulzen* de Luneborch & Dominus *Iohannes Rebes* per annum nobiscum stetit in omni disciplina: ad instantiam Domini Magdeburgensis Archiepiscopi misi eos in Magdeburg ad Beatam Virginem pro reformatione Monasterii Præmonstratensium, ut, quod in Monasterio nostro Sultensi didicerant, hoc ibi docerent. Qui multum ferventes pro eorum reformatione se exhibuerunt, ambo æqualem habentes super eos auctoritatem auctoritate Domini Magdeburgensis, in choro, claustro, refectorio ac domo Capituli. Ambo enim culpas suas in Capitulo dixerunt, Dominus Iohannes primo, cui Frater Conradus pœnitentiam injunxit; deinde frater Conradus, cui Dominus Iohannes injunxit pœnitentiam: quia Dominus Iohannes minor esse noluit in auctoritate, sed æqualis cum eo in gloria.

CAPITULUM XL.

Quomodo Iohannes in Sulta Pater Præpositus ibi esse noluit, sed Magister Everhardus in hoc consensit.

Archiepiscopus Magdeburgensis cum Dominis de Capitulo suo, videns, quod hi duo, quia neophyti adhuc erant in reformatione, præfatum Monasterium perfecte non poterant reformare: misit ad nos in Richenberg, Sultam & Wittenborch virum *solennem, in medicina D. Florem* egregium Magistrum *Thomam*, cui in arte sua similem non dicitur habere Saxoniam. A multis terræ Principibus sæpe pro curatione ideo requisitus fuit ad præstandum consilium. Hic cum literis Archiepiscopi Domini Magdeburgensis ad nos veniens, plures petiit sibi pro reformatione Monasterii illius concedi fratres. Placuit autem Patribus, ut ego cum certis Fratribus & laicis illac pergerem, & cum eis ordinarem, secundum quod mihi videretur faciendum. De Wittenborch accepi Fratrem *Rutgerum*, post Priorem ibidem, & *Henricum* Clericum, post Præpositum in Brandeborch in Ordine Præmonstratensi; de Sulta Fratrem *Bertoldum Semeyer*, post ibidem Priorem, & *Bernardum* laicum, post in Novo Opere conversum. Doctor Thomas & ego in curru suo spherico (*), alii insimul in curru conducto versus Magdeburg perreximus. Cumque in castrum *Egbel* diœcesis Magdeburgensis pervenissemus, Dominus Magdeburgensis ibi existens, ad scripta Domini *Bossonis de Bichelinge*, Præpositi Ecclesie Halberstadensis, Fratris Archiepiscopi, scripsit Domino Decano Ecclesie suæ *Iohanni de Barbi*, ut, coassumptis quibusdam de Canonicis suis, inthronizaret me in Præposituram Monasterii Beatæ Mariæ in Magdeburg Ordinis Præmonstratensium. Cum ergo ad Monasterium præfatum vespere venissemus, cum gaudio magno nos omnes susceperunt, & post cœnam *omnium nostrum pedibus lotis*, ut in Sulta didicerant, ad quiescendum nos perduxerunt. Mane autem factō, venit Dominus Decanus Ecclesie Magdeburgensis cum Domino *Domipno*, post Ecclesie Halberstadensis Decano, & Domino *Konike*, post mortem præfati Magdeburgensis Ecclesie Decani ibidem Decano; Domino *Petro de Warden*, seniore Canonico Ecclesie Magdeburgensis, & Magistro *Everhardo*, tunc ibidem propter lecturam sacre Theologiæ in brevi in Canonicum assumpto, ad Monasterium Beatæ Mariæ; mihi sermonem facientes, quomodo Archiepiscopus eis scripserat, ut ad Præposituram illam me inducerent, unde in via nihil mihi constabat, quia nihil de huiusmodi scriptura sciebam. Rogabant ergo omnes instantissime, ut consentirem, & dictam Præposituram insignem assumerem, & Pater fierem multorum illius Ordinis Monasteriorum pro debita omnium reformatione. Quibus respondi: Sponsam habeo, quam deserere non possum, Sultensem Ecclesiam; ideo nullatenus volui acquiescere. Ipsi tamen, convocato Conventu, voluntatem Archiepiscopi & suam commissionem eis proposuerunt. Qui, deliberatione acceptâ, convocaverunt plebanos, Fratres Ordinis sui, de civitate. (plures enim ibi regunt Ecclesias) Qui in unum convenientes, longa præhabita deliberatione, ad Capitulum suum me vocaverunt, dicentes, voluntatem esse Domini Magdeburgensis & illorum Dominorum majoris Ecclesie, ut me in Præpositum suum reciperent. Quod parati essent facere, si cum eis perpetuo vellem permanere, & habitum eorum induere. Quibus respondi: Ego Conventualis sum in Windesem, in superiori Capitulo nostri generalis Monasterio. Scandalum

(*) s. sphericus, id est, tecti fornicat.

Iam illud facere nolo venerabili nostro Capitulo nec domui professionis meæ, ut ab eis me faciam demembrari. Cunctis etiam diebus vitæ meæ in habitu, in quo sum professus, & vivere & mori volo, nec propter quancunque dignitatem, mihi in mundo conferendam, inde avelli me patiar. Dixerunt ergo: Quid respondebimus Domino Magdeburgensi & suo Capitulo? Tunc dixi: Ego pro vobis ei respondebo. Accessi ergo ad Dominum Decanum majoris Ecclesiæ, dicens: Venerabilis Domine Decane, Conventus ad Beatam Mariam paratus est me in Præpositum suum recipere, si habitum eorum velim induere, quod nullo modo mihi est factibile. Veruntamen nolo eos deserere, sed in habitu nostro manens, ad bonam eos inducere volo reformationem, ita, quod Dominus Magdeburgensis & vos omnes bene eritis contenti. Suscepi igitur regimen dicti Monasterii in choro, refectorio, Capitulo & claustro per quinque hebdomadas, & retinui mecum Frates *Rutgerum*, *Bertoldum*, *Henricum* Clericum & *Bernardum* laicum nostrum. Die etiam ac nocte chorum cum eis visitavimus: sicut in libris suis habebant, cantavimus, & dedi Fratribus meis licentiam, quod cum horis illis suas possent persolvere. Ego autem nunquam nec ibi nec alibi mutavi horas nostras, sed semper servavi eas juxta ordinarium Capituli, exceptis festis localibus, ubi habitavi. Informavi eos per me & per Fratres meos, quomodo habere se deberent in choro, refectorio, Capitulo, claustro; in moribus, incessu, inclinationibus, habitu, statu, statutis; in silentio ordinario, cæterisque ceremonialibus, ad Divinum officium pertinentibus. Capitulum culparum eis tenui. Sine licentia nostra nemo eorum quoquam ire aut aliquid facere præsumsit. Disposui eis in cellis operam, quia tanquam verum eorum Prælatum me habuerunt, & ego me illis similiter exhibui. His ita ad tempus continuatis, Docteur solennis Theologiæ sacræ, Magister *Henricus Take*, Canonicus Ecclesiæ Magdeburgensis, venit de Frisia de *Witwirim*, adducens secum duos Fratres Ordinis Præmonstratensis, Fratrem *Petrum*, in Northorn ante investitum, post Abbatem in Monasterio *Witwirim* Præmonstratensium, qui tunc officium sive dignitatem Abbatii illius resignaverat; & Fratrem *Arnoldum*, secum ibidem professum. Hos Magister *Henricus Take* secum in Magdeburg adduxerat. Qui ad Monasterium ibidem intrantes, cum magno gaudio à me suscepti sunt, eo quod redemptores meos ibidem eos cognovi futuros. Qui nobiscum chorum frequentantes, alia ceremonialia aliumque modum in Divinis & extra habuerunt, quam Ordo noster: quia ad primum Psalmum horarum Canonicarum omnes de utroque choro sedent, ad sequentem Psalmum omnes stant, & ita consequenter. Hæc videns, accessi ad Dominum Magdeburgensem in curiam suam, cui & dixi in præsentia quorundam Canonicorum suorum: Reverendissime Domine, Magister *Henricus Take* adduxit de Frisia duos Fratres Præmonstratenses bene reformatos, qui alium & verum modum habent reformationis Ordinis sui, alium, quam nos habemus. Si illum modum Fratres ad Beatam Virginem docere deberem, oporteret, ut prius eum addicerem. Precor ergo, ut me hinc recedere permittatis, quia, si Pater iste Fratres illos ad veram Ordinis sui observantiam poterit informare, hoc melius esset. Si non, tunc me semper ad manum habebitis. Ego cum fratribus meis, quos hic habeo, Hallis ire intendo pro reformatione Monasteriorum Ordinis nostri, in quibus non parvum fructum facere poterem. Dominus igitur Magdeburgensis cum suis ibi præsentibus Canonicis, mihi in præmissis dedit consensum, collaudans bonam nostram intentionem. Remisi igitur Fratrem *Bertoldum Semeyer* in Sultam, & cum Fratre *Rutgero* & *Bernardo* laico perrexi ad Novum Opus prope Hallis, & quid ibi egerim, superius descripsi. Magister *Everhardus*, qui nunc ibi est Præpositus, multum me rogavit, quando collationem in Domo sua cum eo tenui ante recessum meum inde, ut præfatam assumere vellem Præposituram. Si enim hoc facerem, tunc decem & septem sui Ordinis Monasteria possem reformare, quorum omnium tunc essem Pater & Prælatus ad mandandum, ad excommunicandum & incarcerandum. Cui respondi: Plura sunt Ordinis nostri Monasteria nondum reformata, in quibus non minorem possum facere fructum. Quia ego Ordinem nostrum nunquam exire volui, ideo finaliter semper mihi bene successit, & per Dei providentiam & bonorum hominum adjutorium semper obtinui victoriam. Præfatus autem Magister *Everhardus*, Canonicus Ecclesiæ Magdeburgensis, Bacalarius in sacra Theologia formatus, adhuc secularis, in tantum ab Archiepiscopo & Canonicis Ecclesiæ suæ, præcipue Magistro *Henrico Take* obstrictus est, ut Ordinem Præmonstratensium ad Beatam Virginem Magdeburgi tandem ingrederetur, habitum assumeret, professionem faceret, & ibidem continuo in Præpositum eligeretur. Monasterium ergo præfatum per multos jam annos in bona regulari observantia conservavit; plura etiam Ordinis sui Monasteria reformavit, videlicet *Monasterium Gratia Dei* prope *Calvis* oppidum, *Monasterium Sancti (*) Wicberti* prope *Quelinborch* oppidum, *Monasterium Mildevorden*, & duo alia Monasteria. Ipse etiam habitum *ficaria blavium*, à parte Nortberti, Ordinis sui fundatoris, ut putatur, ibi semper delatum, in album

(*) Swicberti est in MSto Sultensi.

album habitum, ut in Præmonstrato, primo Ordinis sui Monasterio, semper portaverunt, commutavit, præsertim in Monasteriis Ordinis sui, per eum reformatis; toti Ordini suo se volens in habitu conformare. Assumit etiam Ordinis sui statuta, à ducentis annis à Patribus sui Ordinis in generali Capitulo facta & approbata. Bonam ergo & optimam sui Ordinis tenet disciplinam, in moribus, cantibus, ceremonialibus, ordinariis & statutis, prout à majoribus suis potuit investigare, & in libris patrum suorum invenire, non solum in suo, sed etiam in omnibus Monasteriis suæ reformationis, sibi subiectis, quinque videlicet prænominatis.

CAPITULUM XLI.

De Monasterio Gratia Dei ejusdem Ordinis.

Monasterium *Gratia Dei* vocatum, Ordinis Præmonstratensium prope oppidum *Calvis*, ad quatuor miliaria distans de Magdeburg, Magister Everhardus, Præpositus ad Beatam Virginem in Magdeburg, reformavit, constituens ibidem pro ejus primaria institutione Fratrem *Conradum Ulzen*, quem de Luneborch adduxi. Antiquus eorum Præpositus in officio suo ad tempus permanit, vir senex & grandævus, multum tamen benivolus, & in reformationem bene consentiens. Post aliquot annos videbatur Domino Magdeburgensi & Præposito Beatae Virginis, quod plena ibi non posset introduci reformatio, nisi Prælati ejus plene esset reformatus. Archiepiscopus ergo *Fredericus* me rogavit, ut tentarem, si Præpositum illum inducere possem ad officii sui resignationem. Quod cum fecissem, statim acquievit, dummodo Ecclesiam Parochialem in *Cotten* ad vitam sibi vellent conferre, quæ Monasterio est incorporata. Quod rursus Dominus Magdeburgensis & Præpositus Beatae Virginis libenter suscipientes, mirabantur, quod tam cito mihi acquievisset. Ecclesiam ergo præfatam ad vitam sibi assignaverunt, quam tamen post paucos annos libere resignavit, & ad conventum suum voluntariè rediit, & Ordinem suum senex sexagenarius, rationis compos, quantum potuit, competenter servavit. Hic Præpositus ibidem existens, capam blaviam cum conventu suo deposuit, & albam cappam usque ad mortem libenter portavit. Conventus ergo novum Præpositum electurus, per viam *compromissi* procedens, arbitrati sunt in Magistrum *Henricum Take*, Doctorem, & in me, tunc Hallis ad Novum Opus Præpositum, & in antiquum eorum Præpositum. Elegimus autem nos, in quibus arbitratum est, (sed loco Magistri Henrici Take, qui tunc præsens non fuit, assumimus de voluntate Conventus Fratrem *Hermannum Renis*, Priorem tunc in Novo Opere.) Elegimus ergo Dominum *Hermannum Helmslager*, in Monasterio Beatae Mariae in Magdeburg professum, & ibi tunc Priorem, qui ante ingressum religionis Canonicus fuerat ad Sanctum Andream in Hildeshem, & Rector ibidem scholarium. Hunc ergo diu in officio vidimus Præposituræ illius, quem de Hallis ad Magdeburg perrecturi & redituri, sæpius visitavimus, in recta via commanentem, & ipse nos in Novo Opere. Nunc autem de proprio Conventu habent Præpositum, & in competenti bona consistunt reformatione, valde hospitales ad omnes advenientes Religiosos. De agris & molendinis, quæ habent super *Salam* præterfluentem, de nutrituris pecorum, capturis piscium & certis redditibus statum Monasterii sui temporalem in esse conservant, & statum spirituales in observatione regulæ Sancti Augustini & statutorum suorum, sicut à patribus acceperunt. Adhuc casum unum referam de Monasterio Beatae Mariae in Magdeburg. Monasterium præfatum in Magdeburg magnum quoddam tempore reformationis suæ damnum sustinuit, quia calefactor fornacis Conventus & refectorii, nocte ignem male custodiens, totum refectorium, quod magnum erat, bene muratum & testudinatum, & valde solenne, combussit in toto, similiter & Fratrum dormitorium, & domos illis condependentes. In principio reformationis suæ multa valde invenerunt Monasterii debita, & bona ejus in diversis locis impignorata, ita, ut vix haberent, unde se sustentarent. Post istam domorum suarum conflagrationem miserunt Dominum *Iobannem Rebes*, egregium prædicatorem, ut prædixi, ad *Lubike*, & ad partes stagnales, & alios in Saxoniam & ad alias terras: & tanta bona in elemosynis acquisierunt, ut refectorium, dormitorium, & alias domos, pro reformatione magis convenientes, exinde construerent, debita persolverent, impignorata redimerent, & bonis omnibus per illam tunc combustionem jam nunc abundant. Idcirco non ad detrimentum reformationis, sed ad ejus in temporalibus & spiritualibus non parvum profectum, id vidimus evenisse. Ego autem in Novo Opere Hallis tunc Præpositus, eorum compassus inopia, transmisi eis duo plaustra frumentorum tritici cum propriis nostris curribus & equis propriis per septem miliaria, usque ad Monasterium sui Ordinis in *Gratia Dei*, quos ipsi per quatuor miliaria usque in Magdeburg ad proprium suum transvexerunt Monasterium. Unum plaustrum continet quadraginta modios mensura *Hildeshemensis*. Scripsi etiam Præposito, si placeret sibi, quod mitteret ad me ad Novum Opus quinque vel sex Fratres, si eos nutrire non

non

non posset; ego libenter per annum vel dimidium eos tenere vellem, & cuncta necessaria ministrare. Qui post viginti annos combustionis dixit mihi, quod plus & multo amplius grata sibi fuit tam caritativa Fratrum suorum susceptio, si opus habuisset; quam frumentorum illorum contributio. Ita litera nostra eum lætificavit.

CAPITULUM XLII.

De Monasterio ad Sanctum (*) Wibertum ejusdem Ordinis.

Monasterium ad *Sanctum Wibertum* prope oppidum *Quellinborch* (**), Ordinis Præmonstratensium, diœcesis Halberstadenfis, per Præpositum Beatæ Virginis ejusdem Ordinis in Magdeburg constat reformatum: nam & habitum blavium in album commutaverunt. Ubi ob rogatum ejusdem Præpositi Beatæ Virginis visitator fui, & inveni in paupere adhuc tunc domo, quam paulo ante reformationem inchoaverant, competentem regularem observantiam increvisse. Præfatum autem Monasterium, & omnia Monialium Monasteria cujuscunque Ordinis circumjacentia, videlicet, *Sancti Benedicti* & *Regularissarum*, sub dominio & protectione sunt Dominæ Abbatisse de castro *Quellingenborch*, quæ nunc est filia Ducis Saxonie & Marchionis Misnensis. Quæ est nobilis & libera, & ab omnibus circumjacentibus Principibus, ab ordinario loci Episcopo Halberstadenfi, cum eodem opido *Quellingenborch*, & cum omnibus Monasteriis sibi subjectis, circum circa, contra extra jacentibus, exempta; quibus non Episcopus, sed ipsa habet præcipere & mandare. Ipsa enim cum suis dominabus, vulgariè dictis *Doemfrautwen*, libera est, & à Papa & ab Imperatore libertata cum omnibus sibi subjectis. Et habet unam Dominam, quæ vocatur *Præposita*, prudentem valde & honestam, Deum timentem, & vitam religiosam ducentem. Ambræ istæ Dominæ, Abbatisse & Præpositæ, quicquid pro reformatione possunt efficere Monasteriorum sibi subjectorum sexus utriusque, non dimittunt. Quæ mihi, cum per eas de Hildeshem vocatus fuero, ad reformandum Monasterium Monialium Ordinis nostri, in omnibus eis subjectum in temporalibus & spiritualibus, ad *Vallem* vocatum, & essem in Monasterio ad Sanctum Wibertum præfatum, miserunt mihi pisces, magnos lucios, & duplicem cerevisiam (***) pro refectio- ne, quamvis Præpositus ibidem, magnus amicus meus, vir pro omni bono multum fervens & Zelosus, multum bene me tractavit. Ascendi etiam ad castrum earum rogatus, monte alto situm intra opidum, ad colloquendum cum eis. Vinum & ficeram, & species mihi propinantes, plurimum gaudebant, quod virum invenissent, pro reformatione Zelosum & potentem præstare consilium & auxilium; plenum promittentes adjutorium per me requisitæ. In reformatione Monasterii Monialium Ordinis *Sancti Benedicti*, illi opido contigui, habuerunt pro visitatione & reformatione *Abbatem Lapidis Sancti Michaelis* Ordinis Cisterciensium. Monasterium igitur ad Sanctum Wibertum bene profecit in sancta reformatione, in fructibus, pratis, pascuis, piscationibus, pecoribus, & in cæteris, quæ gignit humus; & habent Dominas præfatas egregias protectrices adversus omnes eorum adversarios: quæ etiam oculum habent super eos semper, quod à regulari observantia in nullo poterunt declinare earum timore, præsertim Præpositissæ. Hæc præmissa de Ordine Præmonstratensi, digna duxi succincte enarrare, ut omnes ista legentes & audientes, non mirentur, misericordias Domini in æternum me cantare merito debere; cum viderint, Dominum Deum ab æterno in me prævidisse, ut in præfato Præmonstratensium Ordine etiam aliquem fructum habeam, sicut & in quibusdam aliis utriusque sexus Ordinibus, ut patebit in sequentibus.

CAPITULUM XLIII.

De Monasteriis Ordinis Sancti Benedicti in Saxonia reformatis, & primo DE CLUSA reformata.

Monasterium in *Clusa* Ordinis Sancti Benedicti Hildeshemensis diœcesis, primum inter cætera ejusdem Ordinis fuit reformatum. Ibi fuit Abbas non reformatus, qui & noluit per alios reformari. Dux igitur *Otto monoculus*, in cujus ditione temporali, sicut & plura alia opida & villæ circumjacentes, consistunt, videlicet *Gottingen*, *Gandershem*, *Northem* & similia, invocatus tanquam pro brachio seculari per Patrem *Iohannem de Northem* ejusdem Ordinis, & per *Rembertum*, Priorem in *Wittenborch*; dictum reformationem produxit in effectum. Præfati enim Patres, *Iohannes* & *Rembertus*, à Concilio Basiliensi bullas impetrarant, ut unusquisque eorum sui Ordinis Monasteria sexus utriusque per *Saxoniam* & *Ducatum Brunsvicensem*, assumpto adjutorio cum invocatione brachii secularis, possent reformare, & cuncta ad

(*) Svibertum. (**) Quedlinburg. (***) doppel-bier, hoc est, fortiorem.

ad id necessaria in bullis eorum sunt expressa; videlicet, ut per censuras ecclesiasticas eos ad se reformandum possent compellere, cum invocatione brachii secularis, cum absolutio- nibus à sententiis quibuscunque. Hac ergo autoritate suffultus Pater Iohannes de Northem præfatus, cum Priore Remberto de Wittenborch convenit *Abbatem de Clusa* in præsentia Do- mini *Otonis*, Ducis Brunswicensis, ut se daret ad reformandum. Qui nolens reformari, verbis duris & factis se opposuit. Quapropter Pater Iohannes Ducem invocavit in adju- torium, in peccaminum suorum remissionem. Qui Dux dixit ad Priorem Rembertum: Debeo eum apprehendere? & possum hoc cum Deo facere, cum sit Sacerdos consecratus? Qui respondit: Si eum apprehenderitis, ab Ecclesia non invocatus, caderetis in sententias excommunicationis Papales: sed sic invocatus, si eum nunc apprehenderitis, remissionem peccaminum vestrorum consequimini juxta bullæ tenorem Concilii. Erit etiam vobis co- ram Deo valde meritorium, si per vos dictum Monasterium hoc modo fuerit reformatum. Tunc illustris iste Princeps, Dux *Otto*, apprehendens eum, dixit: Domine Abbas, si non vultis vos reformare, tunc veniatis mecum ad carcerem Claustrî vestri: & ivit cum eo ad carcerem. Et quia propter Ducis præsentiam nullus ausus fuit eum defendere, Pater *Iohannes Northem* ipsum incarcerationi, unde exire non poterat, nisi abbatiam prius resignaret. Tandem de necessitate faciens virtutem, officium sive dignitatem abbatia Monasterii in Clusa resignavit; & tunc Pater *Iohannes* præfatus ibi factus fuit Abbas, & primus Mona- sterii illius reformator; quod usque in præsens in bona semper permanfit reformatione. *Clusa* ista parvum est Monasterium, quasi quadratum & lapideum, curiam habens pro ani- malibus & pecoribus competenter latam; in quo jam altera vice cum omni benivolentia & caritate sui susceptus, & humane pertractatus. Ab isto Monasterio *omnis Nigri Ordinis San- cti Benedicti in Saxonia reformatio* primarium suum sumfit exordium. Ideo justum est, ut in omni virtute, bonitate & regulari observantia cuncta Monasteria inde reformata, exemplo bono præcedat. Et licet parvum sit Monasterium, non tamen parvus exinde fructus per totam provenit Saxoniam, Misinam & Thuringiam.

CAPITULUM XLIV.

De Bursfeldensi Monasterio, quomodo per Patrem JOHANNEM DE NORTHEM primo fuit reformatum; & per Patrem JOHANNEM HAGHEN, successo- rem suum, Capitulum eorum provinciale sive annale fuit institutum.

Monasterium in *Bursfeldia* Ordinis Sancti Benedicti, Diœcesis Maguntinensis, inter montes in convalle non longe à Wesera fluvio prætercurrente situm est; in hyeme per diem parum habens de sole, in Monasterium resplendente paucis horis ante & post meridiem; unde & validum frigus tunc ibi dominatur. Ante annos jam XXXVI. ibi continuè celebrans, cal- lix Domini benedictus trina vice mihi congelatus fuit præ frigore, eo quod inter parietes Ecclesiæ & tectum spatium inter medium tunc fuit apertum, ubi frigus subintravit. Vene- rabilis autem Abbas de Clusa *Iohannes* in Abbatem in Bursfeldia posthæc assumtus fuit, vir non magnæ staturæ, sed magnæ providentiæ, Zelo Dei & sanctæ reformationis valde ac- census. Nam propter hanc in Windesem & in Bodike Ordinis nostri Monasteria visitavit cum viro magnifico, *Magistro Dirico Engelbuys*, in Wittenborch in extremis vivente & sepulto, ut veram regularis observantiæ formam oculata fide conspiceret. Summa igitur diligentia dictum Monasterium in Bursfeldia studuit reformare, & ad primariam Ordinis sui institu- tionem reducere, ut exemplar esset & norma regulariter vivendi cunctis Ordinis sui Religiosis per or- bem nostrum *Almanicum*. Unde & Dominus Deus fuit cum eo, & prosperum fecit iter salu- tarium suorum, associans sibi notabiles viros, qui habitum religionis ab eo susceperunt, & expressam ei professionem fecerunt; Dominum videlicet *Iohannem Haghen*, qui magnus & acutus fuerat in curia cortizanus, & post Hildesem in cartallo Canonicus, in seculo satis ten- ner & delicatus, nesciens, an super pedes aut super caput incedere vellet, & Dominum *Diricum Vos*, artificialem *Musicum*, post in Reynehusen Monasterio Ordinis sui multis annis Abbatem Capituli Bursfeldensis, qui & diu ibi Prior fuerat. Hunc Magistrum *Iohannem Haghen* ego, cum Patre *Remberto* præfato in Bursfelda constitutus, vidi ante XXX. annos in Bursfelda novitium; qui, quamvis diu in seculo sacerdos fuerat, illo tamen tempore non celebravit, sed, ut non sacerdotes, capucio exuto de manu summam missam celebrantis communicavit. Et sedens tunc in cella ostium non habente, sed tamen lintheamen pro janua, non parvum frigus pa- tiebatur, ita, ut ego credidissem, ipsum in religione ibidem non permanfisse. Sed Domi- nus Deus, qui illac ipsum adduxit, sufferentiam omnium adversitatum ei condonavit. Un- de miratus (sum) ego, quod homo in seculo tam *delicatus*, qui omnem suam habuit volun- tatem, ad talem paupertatem & omnium rerum pene penuriam sic dare se potuit. Cum adhuc esset in Cartallo Hildesem Canonicus, in profesto Sancti Martini de vespere secum & cum Canonicis suis hospitatus fui, qui ex fundatione semper communem mensam ha-
bue-

buerunt, horas duntaxat Beatæ Virginis nocte & die cantantes. Cœna facta, interrogavit me, quomodo ad celebrandum se præparare deberet? Cui respondi: Qui portat Deum ad Altare, etiam poterit illum inde deportare. Qui respondit: Satis habeo. Quia enim vir prudens erat, cognovit ex verbis meis, quod, qualem se homo præpararet Deo, talem invenit Deum. Cum in suo essem Monasterio; interrogavi eum, quid sibi præsentaret Deum, quando cum eo loqueretur; aut cum eum oraret. Hoc audiens, multum me sollicitavit, ut dicerem aut scriberem sibi, quid mihi repræsentaret Deum, cum eum orarem, eo quod sine certo objecto verus orans esse non potest, non, quod Dei figuram aut imaginem sibi fingeret, sed quid intellectui suo Dei præsentiam, mundi cordis sui oculis ipsum optanti videre, præsentaret. Scripsi ergo ei, quid me mihi orante Deum (se) mihi præsentavit; unde valde gratus & lætificatus fuit. In Bursfeldia ad octo pene dies fui propter Monasterii reformationem Monialium Ordinis nostri in *Hilversbusen*; quod postea per Priorem de *Bodiké* & per Moniales de *Depenvene* prope *Davantriam* Ordinis nostri bene reformatum fuit. Abbate igitur *Iohanne de Northem* non multo post tempore infirmato & defuncto, elegerunt de ejus consilio, dum adhuc viveret, Dominum *Iohannem Hagen* in suum Abbatem, quamvis non diu in Ordine fuisset; quoniam spes magni profectus religionis in eo & de eo futura sperabatur. Et quia devotus, prudens & religiosus Pater erat, Zelum habens bonum pro lucro animarum: idcirco postmodum multorum factus est reformator Monasteriorum. Nam & Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, Cathedralium & aliarum Ecclesiarum Prælati & Canonicis, nec non & studiorum universitatibus factus est notissimus; verbo & exemplo multos ædificans, ad vitam induxit meliorem, pluresque viros notabiles ad religionis suæ attraxit ingressum. Multa etiam Ordinis sui Monasteria per Saxoniam, Thuringiam, Misinam, & circa partes Rheni in Frisia, Westphalia, & in partibus *Stagnalibus* vidimus reformata, de quibus omnibus unum annale congregavit *Capitulum Ordinis Sancti Benedicti*, quod *Capitulum Bursfeldense* nominatur, plusquam triginta sex habens virorum Monasteria, demtis Monialium sui Ordinis Monasteriis. In quibus virorum Monasteriis Fratres, quos de diversis regionibus in Bursfeldam congregaverat, & sanctæ religionis habitum induerat, *sedecim Abbates* ad alia sui Ordinis Monasteria reformanda emissos cognovimus, & *viginti Priores*, aliosque Fratres simplices, dictis Abbatibus in adiutorium datos & concessos. Et non solum ex Bursfeldensi Monasterio, sed etiam ex aliis Monasteriis, ex illo reformatis, Abbates & Priores & Fratres ad alia sui Ordinis Monasteria, debite reformanda, vidimus emissos. Magnum ergo fructum, salutem animarum plurimarum, per totum orbem Almanicum conspeximus exinde procreatum, non solum in Monasteriis per eos reformatis, verum etiam in viris & fœminis secularibus, eorum inter homines & in suis Monasteriis sanctam conversationem aspicientibus; qui eorum exemplo bono ad mundi contemptum, ad peccatorum contritionem & desertionem, ad æterna vitæ desiderium cotidie accenduntur. Hunc animarum fructum vidimus exortum, quod vitam prius criminofam ad veritatem sancti Evangelii jam student emendare. *Lux ergo nova* in universo orbe Germanico per eorum reformationem, ut ad oculum videmus, multis illuxit. Dominus enim Deus noster auxiliator eorum semper fuit in omnibus, ad quæ manum miserunt, ut etiam reformationis eorum adversarios temporali & æterna morte in pluribus Ordinis sui Monasteriis multaret.

CAPITULUM XLV.

De mala morte Monachorum reformationem impedire laborantium, & de confirmatione Capituli eorum annalis.

In *Erfordia* Frater, reformationem Monasterii sui impedire laborans, nocte mortuus est inventus, rubeum circa collum suum habens circulum, suffocationis suæ à Diabolo signum verissimum. Cumque in feretro in Ecclesia resupinus jacuisset in sarcophago, tam horribilis strepitus circa eum factus est, ut omnes terrentur. Tunc corpus ejus in sarcophago fuit eversum, & super faciem & ventrem ejus depositum. Quod Fratres videntes, corpus illud de Ecclesia tollentes, in sterquilinum illud projecerunt, ficque illa tunc cessavit inquietudo. Idem Abbas antiquus in *Huysborch* ejusdem Ordinis, Halberstadenfis Diœcesis, misit unum Fratrem, tunc Priorem suum, ad Prælatos & Collegia in Halberstad, ut Monasterii sui reformationem impedirent. Quo factò, ipse cum villanis suis sedens ad computandum, continuo loquelam perdidit, & non multo post vitam finivit, & ita reformatio Monasterii sui per venerabilem Patrem, Dominum *Theodoricum*, primum ibidem in reformatione Abbatem, & per religiosum virum *Diricum*, Priorem ibidem, qui ambo in Bursfelda Conventuales, è vestigio subsecuta est. Abbas ergo Bursfeldensis, *Iohannes Hagen* cum aliis sui Ordinis, & reformationis Patribus, ab ipso ad alia Monasteria, reformanda emissis, Capitulum constituerunt annale, hoc

Ooooo 2

est,

est, singulis annis habendum, nunc in isto, nunc in alio Ordinis & reformationis suæ Monasterio, ubi Abbati Bursfeldensi cum certis Patribus visum fuerit, observandum; statuta, ordinationes & ceremonialia, cantum, ritum, habitum, juxta regulæ suæ dispositionem ab ipsis jugiter observanda, pariter assumentes; singulis annalibus Capitulis aliqua interdum addentes & deponentes, juxta temporum, locorum & personarum qualitates pro regulari disciplina ipsis convenientia; visitatores etiam singulis annis, singulis Monasteriis sibi incorporatis constituentes, non obstante Provinciali eorum & omnium *Nigrorum Monachorum* Capitulo, quod de triennio in triennium juxta constitutionem S. Benedicti XII. servare consueverunt. Ab illo enim provinciali Capitulo reformati certos sibi deputatos etiam recipiunt visitatores, & juxta eandem Benedictinam mutuo se visitant & visitantur. Præsidentes ac diffinitores ibi eligunt & eliguntur, ut sic ipsi in bona reformatione permaneant, & alios ad meliorem vitam hoc modo perducant, Sedis Apostolicæ in hoc plenam habentes auctoritatem. Valde autem hoc mirandum, quod tam antiqua nigri Ordinis Monasteria ad perfectam induci potuerunt reformationem, qui strictissimam habent regulam & Fratres multos, multum vagos, dissolutos, lubricos & incontinentes, proprietarios & inobedientes, perversos & rebelles; qui jam in reformatis Monasteriis sine omni proprietate obedienter & castè vivere coguntur, in regulæ suæ strictissimæ debita observatione, ita, ut nec carnes comedere, nec septa Monasterii exire, nec sine licentia quidquam loqui permittuntur. Quapropter nisi Dominus Deus manum apposuisset, & signis ac prodigiis eos confortasset, & rebelles ac inobedientes à stultitia repressisset, spes reformationis eorum omnino deperisset. Quæ tamen reformatio, Deo auxiliante, in multis utriusque sexus ejusdem Ordinis assumpta est, primò cum dolore, & post cum gaudio bene perfecta, ita, ut Fratres quidam & Sorores, qui sanctæ reformationi multum primo fuerunt contrarii, nunc valde congruè deam accepisse, & in magna cordis tranquillitate & animi suavitate ipsam perpetuo servare, continuare & perficere non minime jam delectentur, quemadmodum vivæ vocis oraculo ab ipsis frequenter nunc audivi. Existimo etiam, quod regula eorum multum ad hoc suffragatur, quæ omnes secundum eam professos, ad omnem coercet disciplinam Ordinis; *quoniam ea, quæ nos habemus in statutis, omnia pene in regula continentur Sancti Benedicti*; & regula Sancti Augustini nihil pene continet, nisi caritatem duntaxat & tria substantialia, paupertatem, castitatem & obedientiam, quæ multis modis in ea declarantur. Item nigri Monachi specialem in ceremonialibus & stationibus habent modum. Plures ex uno libro cantant in choro, & in duplici forma collateraliter sibi sunt sociati. Nos vero Canonici regulares *diversis in formis & stallis separati stamus, & tres tantum aut ad majus quatuor ex uno libro antiphonario seu graduali cantamus*. Qui cantant exterius, semper ita stant, ut inter duos Fratres una sedes sit intermedia vacans, nisi Fratrum pluralitas ipsos ad invicem stare coegerit. Hic etenim modus multo videtur convenientior propter tussim, eructationes, anhelitus, diversas qualitates & suspiria.

CAPITULUM XLVI.

De inchoatione reformationis Monasterii SANCTI MICHAELIS in Hildesem Ordinis Sancti Benedicti, & de duobus Abbatibus ejus non reformatis.

Monasterium Sancti Michaelis in Hildesem, Ordinis Sancti Benedicti, à Sancto Bernwardo Hildensemensi Episcopo, *consilio & auxilio Sancti Henrici Imperatoris*, fundatum est & dotatum Anno Domini millesimo quinto decimo, quod longo post tempore in bona & optima permansit reformatione. Sed quia humana natura ad malum semper est proclivis, & à vero & incommutabili bono sua mutabilitate cito prolabitur, nisi Divino auxilio cotidie sublevetur: hinc est, quod dictum Monasterium, sicut & plura alia, in principio etiam bene reformata, à regulari observantia ad vitium proprietatis primum, & per consequens ad incontinentiam & inobedientiam, vitam dissolutam & irregularem, vidimus prolapsa. Fratres igitur in præfato Monasterio professi, nec regulam, nec constitutiones, nec tria Ordinis substantialia servaverunt, sed proprietarii, incontinentes & inobedientes extiterunt, ita, ut per totam civitatem & patriam irreformati dicerentur, sine timore Dei incedentes & viventes. Cum autem Domino Deo placuit finem facere malæ vitæ & famæ eorum, & eos in viam regularis inducere observantiæ, inspiravit Hildensemensis Ecclesiæ Prælati, ut eos ad reformationem, etiam nolentes, compellerent. Sed & quibusdam Fratribus ibidem inspiravit, ut etiam suam appetere reformationem. Dominus igitur Hildensemensis Magnus Episcopus, Dominus Eghardus, Præpositus de *Hannæze*, & alii quidam Ecclesiæ Hildensemensis Canonici plurimum insteterunt, ut dictum Monasterium Sancti Michaelis reformaretur, plures permagnos sui Ordinis Abbates, & alios Patres religiosos *de Treveri, de Bursfelda, de Marienrode, de Caribusia, de Sulza,*

ac de aliis locis bene reformatis in visitatores & reformatores eorum convocantes; qui & solennes pro eorum reformatione fecerunt collationes, sicut Frater Ordinis nostri *Hermannus de Huxaria*, & alii quam plures. Sed nihil profecerunt, quoniam Dominus *Theodoricus* ibi tunc Abbas, licet indoctus & sine literis fuit quasi laicus; modo proprio, & etiam quorundam Fratrum, suorum Conventualium, instinctu, qui fortissime in hoc sibi astiterunt, reformationi omnino se opposuit, dicens, se Abbatem Confirmatum, & A. B. C.; hoc est, Abbatis animam de ore ejus exituram. Domini autem prefati, Episcopus & sui Canonici, Patres prænominatos ad Sanctum Michaelem convocantes, in præsentia Consulatus Hildensemensis adhuc institerunt, ut se reformarent, & regularem observantiam, ut tenerentur, assumerent. Quibus Abbas *Theodoricus* nullatenus consentire voluit; qui tamen satis miseram in tanta Prælatura duxit vitam, ut etiam aliquando tenuem potum pro mensa sua vix haberet, & plura in civitate mutuari non posset, quia fidem non tenuit sibi aliquando mutuantibus. Et quia satis parce vixit, damnum magnum in temporalibus Monasterio non intulit; ad reformationem tamen, per seniores suos seductus, non fuit inclinatus. Post hæc in brevi contigit, ut Abbas iste hora vespertina vigiliis defunctorum cum Fratribus legeret in choro. Cum autem ad canticum venisset *Ezechie*: *Ego dixi in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi. Quæsi sibi residuum annorum meorum; non videbo Dominum Deum in terra viventium;* statim morbo tactus apoplexiæ, sensum perdidit, & de choro deportatus, non multo post vitam finivit, & ita reformationem ibidem amplius non impedivit. In cujus locum Dominus *Henricus Woltorp*, ibidem *Conventualis intraneus*, per quorundam astutiam Fratrum suorum quasi intrusus, Abbatiam illam suscepit, & à Sede Apostolica confirmationem impetravit, multâ pecuniæ summa pro ea expositâ. Qui vir fuit illiteratus, & pene pro laico reputatus; sed astutus in exterioribus, & callidus in verbis, non tamen ad reformationem pro primo ibi inclinatus. Hic Monasterium istud multis debitis gravavit; quia ipse cum suis irreformatis Monachis ipsum quasi in *quatuor millibus florenorum* indebitatum reliquit, sicut adhuc hodie claret. Cardinalis autem, Dominus *Nicolaus de Cusa*, Legatus Papæ de Latere, cum Hildesem advenisset, & cum magna gloria ibi susceptus fuisset, quia Zelum magnum pro reformatione Monasteriorum Ordinis cujuscunque habuit; audiens, præfatum Abbatem *Henricum* ad Sanctum Michaelem sic intrusum, & quod Latinum fari non potuit; ab officio Abbatix & ejus dignitate ipsum amovere deliberavit: attamen propter confirmationem Papæ, per Sedem Apostolicam sibi factam, ipsum prius contentavit. *Sexaginta* scilicet *strenos Rhenenses*, annuatim sibi de Monasterio ad vitam suam dandos, cum aliquibus domibus, ad Monasterium pertinentibus, pro sua & suorum habitatione, ad vitam assignavit.

CAPITULUM XLVII.

De electione Abbatum, JOHANNIS ETLKE, & post eum HENRICI BERTKOV,
& quomodo in regimine suo profecerunt, & quid egerunt.

Facta per Dominum *Henricum Woltorp* præfatæ Abbatix resignatione, venerabilis vir, Dominus *Johannes Eylke*, in Bursfeldia Conventualis, artium Magister, magnæ memoriæ & eloquentiæ, bene reformatus, in ejus locum, successit. Qui regulam Beati Benedicti ibidem debite observari instituit, secundum quod in Bursfeldia didicit & effecit; quibusdam de Bursfelda Fratribus electis sibi associatis, ita, ut habitum, cantum, statuta & ceremonialia Capituli Bursfeldensis statim ex toto assumerent. Et antiquos Fratres, quos ibi invenit, ad tria Ordinis substantialia observanda coëgit, ipsamque Monasterii sui reformationem, in quantum poterat, manu tenebat; annalique Capitulo Bursfeldensi se univit & conjunxit, dictoque Monasterio per annos quasi *tredecim* laudabiliter præfuit, & in bono regimine conservavit. *Johannes* autem Prior Monasterii *Sancti Bartholomæi in Sultra* rogavit eum, ut ad Sorores in Hildesem ad *Albas Dominas* secum iret, ad literas Consulatus Erfordensis, Domino Hildensemensi, Dominis Præposito & Decano ibidem, & sibi scriptas, pro duabus aut tribus Sororibus sui Ordinis, in Erfordia concedendis, ipsis præsentandis, quas sibi hujusmodi Moniales concedere, præsertim Priorissa, denegaverant; cui & dixerat: Si id sibi denegaret, infra annum mori deberet. Quod ita factum est, quia infra unum vel duos menses mortua fuit. Abbas vero sibi respondit: Hoc facere nolo, quia forsitan quasdam Sorores illac mittere vellent, quas parentes sive amici earum libentius retinerent. Hoc contra eorum voluntatem facere nolo. Cui Prior respondit: Ergo plus diligitis homines quam Deum. Dominus vos plagabit. Non longe post Abbas iste in clavum calcavit, & unum pedem perforavit. Ac deinde os suum claudebatur, quod digitum suum ori suo imponere nequivit, nec cibum masticare. Tertia autem die post mortem præfatæ Priorissæ, cum campanas mortis

ejus audisset, dixit Fratribus suis: Oportet me jam sequi. Et continuo morti appropinquans, eam secutus, expiravit. Quem tamen, ut indubitanter speramus, in aeternas felicitates nunc Deus suscepit, quia, siquid contra Deum & proximum deliquit, hoc inopinata & insperata morte delevit. Huic in regimine successit vir vitae venerabilis, Dominus *Henricus Bertkou*, Anno Domini M CCCC LXIV, etiam in Bursfeldia Conventualis, qui prius ad Sanctum Michaelem Prior fuerat & etiam Procurator. Abbas iste electus & confirmatus, majori caritate Fratres suos pertractans, in cunctis ipsis necessariis summopere curabat providere, in cibis & potibus, in ferculis meliorandis & augmentandis. Et quia Fratres sui à carnibus omnino abstinent juxta praecepta regulæ, idcirco eorum fercula in melius commutare, & sæpius consuevit alterare, ut Fratres sui sine tædio, magis autem cum jocunditate & gaudio melius refecti, in Dei servitio die ac nocte alacrius & devotius possint subsistere. Novit enim, quod Fratres sui homines sint, non Angeli; *Saxones, non Italici*; nec jumenta nec pecora: ideo ut homines humanius solet eos pertractare, & copiosius providere, quatenus naturam humanam eorum in esse conservent, & tamen caro spiritui obtemperet, & sine contradictione obediat: *discretionem sciens matrem omnium virtutum*, quæ nostris temporibus, ut experientia edocti sumus, ita acquiritur, cum Fratres in refectorio de omnibus ferculis sibi apposis bene comedant, & absque omni scrupulo ventrem repleant; delicatiora tamen in scutellis frustra semper non præligant, nec scutellam circumgyrantes, quando ex una cum aliis scutella comedunt. Citius enim emendatur, cum quis plus, quam sibi convenit, acceperit, quam si minus; quia per minus natura ex toto destruitur, sed per majus, cum agnoscitur, citius recuperatur. Præfatus itaque Abbas non solum in cibis & potibus, sed etiam in vestibus & matracciis, & in cuncta suppellectile Fratribus suis satis solet providere, *duplicem videlicet potum in jejuniis* ipsis disponens; unum vel duo pellicia in hyeme, sotulares nocturnales, calceos filtratos, calceos quoque communes; & cætera necessaria, prout singuli opus habent, libenter administrat. Ipse enim bonorum Monasterii sui, satis multorum, dispensatorem se cognoscit, non proprietarium neque possessorem. Disciplinam quoque Monasterii sui juxta regulam & Patrum instituta diligentissime observat, & à suis facit observari. Et quæ prædecessor suus, propter reformationis tunc novitatem, ad plenum non potuit perficere, ipse cum providentia & debito moderamine, omniumque Fratrum suorum bona voluntate, jam perduxit ad effectum, ita, ut Ordo monasticus, in claustris suis exactè nunc servatus, bono sanctæ reformationis odore per totam Saxoniam noscatur oculata fide redolere. Singularem vero gratiam præ cæteris quibusdam Ordinis sui Patribus in suscipiendis hospitibus, & plenam ad omnes Religiosos caritatem, etiam non sui Ordinis, præsertim ad Canonicos regulares reformatos, in effectu ostendit se habere. Advenientibus enim religiosis ad se viris, obviis occurrit manibus, ruens in amplexus; verbis, signis & gestibus hilarem se & gaudentem de jocondo eorum adventu notabiliter ostendens, humanitatis solatia & veræ caritatis opera in cibis & potibus, speciebus & dotibus, ac pluribus his similibus effectualiter exhibendo. Quamvis etiam major post Episcopum in Diocesi Hildensensis noscitur esse Præfatus; humilitatis tamen gratia minores & longe infra se Præfatos ad mensam suam & alibi sæpius, supra se locavit, sicut coram positi oculis nostris sæpe perspeximus, & admirantes laudavimus. Mihi quoque, omnium Prælatorum minimo, hæc præmissa & multo majora veræ caritatis & humilitatis suæ indicia ab initio mutua nostræ dilectionis, usque in præsens, sæpius ostendit; & pro affectu suo plenissimo plura demonstrasset, quæ propter meam humilitatem, virtuosè conservandam, à tanto Patre recipere aliquando recusavi. Caritas tamen fraterna inter nos usque in finem semper permanfit inconvulsa, ad omnipotentis Dei gloriam plurimorumque salutem. Cum enim magni Patres reformati in cunctis fuerint concordēs, multum fructum in Ecclesia Dei inter religiosos & seculares possunt proferre; qui cum audierint, Patres magni nominis mutuo se diligere, & alter alterum etiam in absentia collaudare, plurimum exinde ædificantur. Hoc non faciunt Patres in veritate se non amantes, sed se laudari cupientes, & se ipsos propriumque honorem coram hominibus quaritantes. Parvulum enim occidit invidia. Qui enim parvus est in bono, alium plus timet, quam se laudari, & ita contabescit *invidia*, se potius amans laudari, & alium vituperari. Perfecti autem viri stant in veritate; qui etiam congaudent, ostenduntque ex hoc ipso, illam virtutem etiam se habere. Parvulus autem id invidet, quia talem virtutem in se non habet.

CAPITULUM XLVIII.

Quomodo Monasterium Ordinis Sancti Benedicti in Hildesem, AD SANCTUM GODEHARDUM primo tentatum fuit reformari.

Mona-

Monasterium *Sancti Godehardi*, Ordinis *Sancti Benedicti*, à *Bernardo Hildensemensi* Episcopo, in loco ab incurfu hominum secularium satis segregato, anno Domini MCXXX constructum & fundatum & dotatum, solennem habet Ecclesiam, longam & latam, chorum & Sanctuarium de quadratis & sectis lapidibus, ad regulam complanatis; claustrum ad australem ejus plagam cum omnibus suis correquisitis, ad regularem observantiam necessariis; dormitorio videlicet, refectorio, Capituli domo & Abbatia regulari, similiter ex lapidibus ad regulam conquadatis. Post plurima deinde annorum curricula, Abbates & Fratres hujus Monasterii à primæva sui institutione plurimum aberrantes, ad dissolutam vitam sunt prolapsi, nec regulam nec Ordinis instituta observantes; sed ad proprietatis, incontinentiæ & inobedienciæ vitia contra vota, quæ distinxerunt labia sua, male vivendo pedetentim pervenerunt. Dominus autem Hildensemensis, *Magnus* nomine, Dominus *Eghardus de Hanenzee*, in summo Præpositus, Dominus *Johannes Hagen* in Bursfelda, ejusdem Ordinis Abbas, & quam plures alii solennes viri, ut se reformarent, percontaverunt, etiam ante & post reformationem Monasterii *Sancti Michaelis* ejusdem Ordinis in Hildensem, & non potuerunt. Abbas enim ejus, Dominus *Helmoldus*, vir moribus bene compositus, dulcis, prudens & quietus, industria sua cassum fecit per indirectum omnem Episcoporum & Patrum reformatorem laborem, dissimulans, se velle reformare, & cum suis Fratribus jam se esse reformatum; Capitula Ordinis provincialia visitans, & ibidem ordinata servare promittens, & amicitias cum bene reformatis servans. Et cum ad eum, seu ad *Sanctum Michaelem*, Patres sui Ordinis reformati venerint, solenniter eos recepit seu propinas misit, & eis se in omnibus, tanquam bene reformatum, semper exhibuit; chartas etiam visitorum suorum, per Capitulum provinciale deputatas, sibi relictas, recipiens, observare se dicebat. Regulam tamen & Ordinis sui constitutiones nec ipse nec Fratres sui servaverunt; quas tamen in libris suis propriis expressè satis habebant. Per hanc suam facetiam & reverentiæ exhibitionem, Patrumque familiaritatem, omnes diligens, ab omnibus dilectus, probus, prudens & bonus ab omnibus reputatus, omnium Prælatorum & Patrum suorum evasit reformationem activam, & Monasterii sui passivam, permanens, ut voluit, non plene reformatus. Ædificia tamen Monasterii sui bene in esse conservavit, imo & bene melioravit, & in hunc vivendi modum diem clausit extremum. Fratres ergo Monasterii sui Conventuales, reformationem metuentes, nocte eum secretè sepelierunt, eoque sepulto, statim ad electionem novi Abbatis processerunt, per Episcopum timentes prohiberi. Elegerunt autem Dominum *Henricum Wolterp* in suum Abbatem, qui ad *Sanctum Michaelem* ante ejus reformationem Abbas fuerat electus, & per Sedem Apostolicam confirmatus; sed per Dominum Cardinalem, *Nicolaum de Cusa*, ad resignandum coactus, certa præhabita provisione, sexaginta videlicet florenorum, eo quod à Sede Apostolica fuerat confirmatus. Qui quatuor hic præfuit annis, Domino *Magno*, Hildensemensi Episcopo, & Domino *Eghardo de Hanenzee* Præposito rebus humanis exemptis. In quorum locum Dominus *Ernestus de Schouwenborch* in Episcopatum, & Dominus *Eghardus de Wenden* in Præposituram successerunt. Qui similem Monasteriorum reformationem Zelum habentes, multis tentaverunt modis præfatum reformare Monasterium. Episcopus enim in propria persona, & aliquando per suos familiares ad Consulatum accessit Hildensemensem, instanter desiderans eorum adjutorium ad præfatum Monasterium reformandum. Quadam autem die idem Episcopus cum suo Suffraganeo, Domino *Johanne Misinensi* & duobus Abbatibus ejusdem Ordinis, videlicet *de Cusa* & *de Northem*, duobus in summo Decretorum Doctoribus, Domino *Arnoldo Hersede*, Domino *Henrico Sankesede*, ad *Sanctum Andream Hildesem* Decano, Domino *Theodorico* Officiali, in summo Canonico, in Decretis Licentiate, & Domino *Eghardo de Wenden* in Summo Præposito, cæteris merito præponendo; & duobus de Consulatu Hildensemensi, accesserunt pariter ad præfatum Monasterium visitandum & reformandum, Abbatem Monasterii & suum Conventum ad se in domum Capituli convocantes. Qui invenire non potuerunt; sed quinque vel sex duntaxat juniores vocati, tandem venerunt, aliis præ timore non comparantibus. Quibus Abbas *de Cusa* brevem fecit in Latino sermonem, voluntatem Domini Hildensemensis & aliorum Prælatorum ibidem præsentium ipsis insinuans, & requirens assensum. Quo factò, quia Abbas & seniores eorum non fuerunt præsentis, inde recesserunt. Dominus igitur Hildensemensis, hujusmodi visitatione ibidem peracta, mandavit eis omnibus sub pænis excommunicationis & tandem interdicti, ut infra certum terminum, in mandato expressum, se reformarent, & regulam suam, & Patrum instituta, observarent. Qui contumaces effecti, in pœnam excommunicationis & interdicti inciderunt. Consulatus ergo Hildensemensis ad instantiam ipsorum, Abbatis & Fratrum, Dominum Hildensemensem rogaverunt, ut hujusmodi tolleret censuras, contra eos fulminatas: quod ipsi cooperari vellent, ut se reformarent. Et fecit sic: ipsi tamen, ut fuerunt, sine reformatione permanserunt.

CAPITULUM XLIX.

Quod JOHANNES, IN SULTA PRAEPOSITUS ab Episcopo missus est, ut praefatum Monasterium visitaret & reformaret; & quid in eo egerit.

Episcopus Hildensemensis post hæc misit ad me in Sultam tunc Patrem, ut ad eum in curiam suam Episcopalem in Hildensem venirem. Cum igitur ibi advenissem, non inveni eum. Et interrogavi ibi, an illac esset tunc venturus? Dixerunt, quod ante prandium non eum expectarent. De curia sua tunc descendi, volens redire domum. Statim occurrit mihi in summo Dominus Officialis, Magister *Theodoricus de Alten* in summo Canonicus, superpellicio suo indutus, dicens mihi: Venerabilis Pater, Dominus Hildensemensis petit, ut cum istis duobus de Consulatu Hildensemensi, & aliis duobus de eorum communitate, ire velitis ad Abbatem & Conventum ad Sanctum Godehardum, & dicere eis, ut se reformarent. Dixi Domino Praeposito in summo: Quomodo proponam ipsis reformationem? Respondit: Vos melius scitis quam nos. Dixi ergo: Quis ibit mecum? Respondit Officialis: Solus ibitis cum istis quatuor praedictis, hic circa cimiterium stantibus. Ivi ergo cum eis; quibus in via dixi: Debetis vos mentem Domini Hildensemensis ipsis proponere, vel ego? Responderunt: Cum audierimus, quid Dominus Hildensemensis ibi proponi mandaverit, tunc voluntatem Consulatus, nobis commissam, adjiciemus. Dixi: ut video, ego ero Dux verbi. Ad Monasterium ergo eorum accedentes, invenimus ambitum eorum clausum: sed unus de Consulatu circumiens ad ambitum pulsavit; & Abbas nobis tandem aperuit ambitus ostium. Et birreto suo deposito, me primum suscepit; deinde ceteros salutando, interrogavit, quid desideraremus? Cui respondi: Ego ex parte Domini Hildensemensis certa habeo vobis in Consulatus praesentia exponere negotia. Vultis Conventum vestrum in domum Capituli convocare? Qui ait: Libenter. Abbate igitur & Conventu nobiscum in domo Capituli congregatis, negotium mihi commissum in hæc verba proposui: Venerabilis Pater & Fratres Carissimi, Reverendus Dominus meus *Ernestus*, Hildensemensis Episcopus, excommunicationis sententia vos innodaverat, eo quod vitam regularem assumere detrectastis: Consulatus autem Hildensemensis & communitas civitatis Dominum rogavit Hildensemensem, ut interdictum tolleret; quodque ipsi, in quantum possent, cooperari vellent, ut vos reformaretis. Misit ergo me Dominus meus Hildensemensis ad vos, ut vobis ista dicerem, quod regulam vestram & statuta, clausuram & silentium servaretis; chorum, refectorium, dormitorium domumque Capituli suo tempore frequentaretis, duos Fratres reformatos admitteretis, qui vestram cotidie conspicerent conversationem, si praemissa bene servaretis. Tunc senior de Consulibus civitatis adjecit: Hæc omnia, quæ Dominus Praepositus in Sulta vobis jam dixit, Consulatus etiam desiderat, ut faciatis. Respondit Abbas: Nos loqui volumus. Et ita de domo Capituli exivimus. Revocatis nobis postmodum dixit Abbas: Venerabilis Pater, Domine in Sulta Praeposite, omnia, quæ proposuistis nobis, jam facimus & servamus. Monasterium clausum invenistis; paupertatem servamus, quia Fratres nostri omnia sua propria mihi resignaverunt, & omnia mea ipsis resignavi. Castitatem temporibus meis servaverunt, similiter & obedientiam, de quibus eis regrator; ad chorum, refectorium, dormitorium, & ad Capitulum competenter vadunt. Tunc senior de Consulatu dixit: Domine Abbas, regrator vobis ex parte Consulatus de bono vestro responso. Ego autem dixi: Non recipiatis istud pro responso, quia ita esse non credidi. Et adjeci: Vultis duos Fratres reformatos recipere, qui vestram videant conversationem? Respondit Abbas: Non; quia Fratres tales ad Sanctum Michaellem recepti, diffamaverunt Fratres illos, quod non servarent servanda. Tunc Consules petierunt, quod unum tamen reciperent. Respondit Abbas, quod super hoc vellent deliberare. Sic illa vice recessimus, opere imperfecto. Duo post hæc Fratres Monasterii illius, Prior & *Helmoldus*, ducentis quinquaginta florenis de Monasterio secum receptis, ut dicitur, ad Curiam perrexerunt Romanam, exceptionem ab ordinario loci Episcopo volentes impetrare, & reformationi se opponere. Altera vice de mandato Domini Hildensemensis accessi cum praefatis Consulibus ad Abbatem & Conventum Sancti Godehardi in Capitolium, iterum eos interrogans, an tria Ordinis substantialia servarent? Et adjeci: Domine Abbas, ex parte Domini Hildensemensis mando vobis, ut manum vestram super pectus vestrum ponatis, & per juramentum nobis dicatis, si Fratres vestri obedientiam vobis promiserunt. Respondit, quod vellent loqui. Cumque diu satis locutionem istam protraherent, mandavi eis, quod facerent finem. Revocatis autem nobis in domum Capituli, dixit Abbas ad me: Si vultis, jurabo, quod omnes manuales obedientiam mihi praestiterunt. Dixi: Quando? Respondit: infra annum. (quia interim, quod de Capitulo exivimus, Fratres fecerunt sibi obedientiam, ideo dixit: infra annum.) Tunc dixi, eorum considerans astutias, ut adhuc semel nobis videntibus facerent sibi obedi-

dientiam. Et fecerunt sic. Interrogavi ulterius Abbatem, circa eum in domo Capituli ad orientem ex transverso Conventus sedens, Consulibus & aliis ad latus supra Priorem sedentibus, ut iterum manum suam poneret super pectus suum, & juraret, an Fratres sui omnia propria sibi resignassent, videlicet, pecunias, frumenta, literas reddituum suorum, & omnem suam supellectilem. Respondit: Nos volumus loqui. Tunc dixi: Semel decepistis me in Fratrum vestrorum obedientia: amplius me non decipietis. Et quia non dedi eis tempus ad loquendum, ideo Abbas dixit: Fratres mei dederunt mihi potestatem, quando voluero, tunc possum ab eis recipere omnia sua pecularia & propria eorum, & ipsi mea. Cui dixi: Ergo nihil de bonis suis adhuc vobis presentaverunt? Respondit: Nihil. Tunc senior de Consulibus dixit: Domine Abbas, vos & Fratres vestri decepistis Dominum Hildensemensem Episcopum, Consulatum & nos omnes, quia dixistis in Consulatu, quod Fratres vestri omnia bona sua pecularia vobis resignaverunt: jam ad interrogationem Præpositi in Sulda audivimus, quod nihil vobis presentaverunt. Dedi ergo eis unam hebdomadam, ut singuli sub juramento inventarium conscriberent de bonis suis omnibus peculiaribus, nobis presentandum. Post hæc Abbas consensit duos recipere Fratres reformatores pro eorum instructione in observantia regulari, quos de consilio nostro & Domini Abbatis de Sancto Michaeli, de *Monasterio Clusa* Ordinis sui prope Gandersem, receperunt. Tres alii Fratres post hæc etiam inde recesserunt, videlicet *Hermannus Ylten*, *Johannes Maler*, qui Procurator fuerat, & in locum Prioris recedentis ad curiam, substitutus erat; qui satis dives in proprietate sua fuerat, quia *quingenta talenta* dicitur habuisse.

CAPITULUM L.

Quomodo Abbas promisit regulam servare, & duos Fratres recipere reformatores, & quod frater Fratris Hermannus Ylten diffidavit aliquos.

Præpositus in Summo, Dominus *Eghardus de Wenden*, convocavit post hæc ad se in aulam suam Dominum Abbatem Sancti Godehardi cum amicis suis, etiam Officialem Curie Hildensemensis, & me in Sulda Præpositum, dicens mihi in Officialis presentia: Idcirco Dominum Abbatem ad me vocavi, ut pro se fidejussores ponat, quod in reformatione velit permanere. Cui respondi: Vos per hoc totam vultis reformationem impedire? sed maneamus in terminis, sicut incepimus, tunc bene prosperabimur. Tunc dixit Domino Officiali: Quid vobis videtur? Ait: Sicut dixit Pater de Sulda. Et respondit: Quid jam dicemus Abbati? Respondi: Veniant amici sui ad nos: ego voluntatem Domini Hildensemensis eis proponam. Misit ergo ad Abbatem, ut suos amicos ad nos mitteret. Qui duos ad nos de amicis suis misit, Dominum *Eghardum* in Summo Cantorem & Canonicum, & *Wyniken van Ghesen*, in Hildensem quondam Consulem. Quibus venientibus dixit Præpositus: Pater de Sulda, vultis eis dicere Domini Hildensemensis voluntatem? Dixi ergo eis: Dominus Abbas promisit nobis, quod Fratrem seniore, de Clusa sibi concessum, in Priorem velit assumere vel constituere. Secundum est: Fratres sui vivere debent in comuni. Si ipse manere vellet proprietarius sua retinendo, nulla esset reformatio. Oportet ergo eum propria sua etiam resignare, si Monasterium suum velit reformare. Qui à nobis recedentes, hæc omnia Abbati proposuerunt. Qui ad nos reversi, ita nobis responderunt: Sicut dicit Dominus Abbas, seniore Fratrem sibi missum libenter assumere vult in Priorem, ut Patri de Sulda promisit, postquam per tres aut quatuor dies cum eo habitaverit. Ad secundum dicit, quod omnia bona sua pecularia vult resignare, tam de Abbatia Sancti Michaelis, quam etiam de Abbatia Sancti Godehardi, circa ducentos florenos annuatim de utrisque, dummodo decem aut viginti florenos pro frequenti sua infirmitate possit inde annuatim retinere. Quibus statim respondi: Placet Domino Hildensemensi & nobis, quod viginti florenos annuatim pro se retineat. Promisit insuper, quod si ista omnia sic non servaret, tunc Dominus Hildensemensis poterit omnia bona sua pecularia invadere & sibi assumere. Item promisit, quod neminem de novo vellet assumere, seu ad religionem investire, sine consensu Præpositi de Sulda. His ita gestis, ab invicem recessimus. Tunc dixit in Summo Præpositus: Quis id credidisset, quod Abbas ad hæc omnia consensisset? Cui respondi: Si sanis consiliis acquiescere vellet, omnia ad nutum bene venirent. Abbas ergo duos istos Fratres de Clusa ad obedientiam suscepit ad nostram instantiam, & seniore in Priorem. Quod idcirco disposui, quia consideravi, eum in brevi moriturum; ut haberemus in novi Abbatis electionem virum, quem eligerent reformatum. Unus autem de Fratribus Monasterii antiquus, *Hermannus Ylten* nomine, per licentiam foris existens, Monasterium suum voluit reintrare, non propter reformationem servandam, sed ut eam post mortem Abbatis impediret. Disposui ergo apud Officialem, ut mandatum reciperet ex parte Domini Hildensemensis, quatenus sub poena excommunicationis lata sententiæ ante solis occasum de Monasterio suo exiret. Unde iratus venit ad judicium in domum Officialis,

Ppppp

cialis,

cialis, dicens, quod mandatum illud quorundam capita adhuc cruentare deberet. Frater ergo ejus carnalis militaris, in Ducatu habitans Brunswicensi, literam diffidationis sigillatam mihi misit, ad me & Fratres meos captivandum, occidendum, bona nostra diripienda, & domos nostras comburendas. Misit etiam literam ad civitatem Hildensemensem, si me aut bona nostra inquireret aut invaderet, & cives inde damnum reciperent, non vellet ad hoc honori respondere. Quibus literis receptis, accessi ad Dominum Hildensemensem in castrum suum *Sturwolt*, hujusmodi literas sibi ostendens. Qui statim ipsi & Duci *Wilhelmo* scripsit, si diffidationem istam non deponeret, tunc ipsam vellet inquirere, & sua omnia devastare. Dux igitur Domino Hildensemensi rescripsit, si talem non deponeret diffidationem, tunc in terra sua non vellet eum sustinere. Coactus igitur, literatoriè cuncta nobis mandata deposuit.

CAPITULUM LI.

De morte Abbatis & electione Domini LIPPOLDI Abbatis, & quomodo in regimine se habuerit.

Abbas ad Sanctum Godehardum post hæc graviter infirmatus, paulatim deficiens, pervenit ad extrema. Procuravi ergo ab Officiali mandatum Domini Hildensemensis, quod nemo de clavibus Abbatis se intromitteret, si moreretur, nisi Prior reformatus, ibidem de consilio nostro constitutus; & ad electionem novi Abbatis non procederent sine Episcopi voluntate. Abbas igitur nocte sequenti viam universæ terræ ingressus est, & Dominus *Henricus Bertkou*, Abbas ad Sanctum Michaellem, missam in altari extra chorum mane pro animæ suæ requie cum Conventu cantavit, funere in feretro in medio Ecclesiæ posito. Ego autem in Sulda Pater legi tunc missam in summo altari de Sancto Spiritu pro novi Abbatis electione. Missis finitis, & corpore Abbatis defuncti per Abbatem Sancti Michaelis & Conventum in medio Ecclesiæ sepulto, accessimus ad domum Capituli; ubi tunc supervenit Dominus *Eghardus de Wenden*, Ecclesiæ Hildensemensis Præpositus; & primò tunc ibi lectum fuit per Notarium Domini Hildensemensis mandatum, per me compositum, in hunc modum: Ex quo venerabilis Pater, Dominus *Henricus*, Abbas hujus Monasterii piæ memoriæ obiit & est sepultus, Dominus Hildensemensis mandat, ut ad electionem novi Abbatis continuo procedatis, & cætera. Fratres autem quidam, subterfugia tunc quærentes, responderunt, quod missam de Sancto Spiritu primo habere debuissent. Quibus respondi, quod ego illam in summo altari tunc servavi. Elegerunt autem tres vocum scrutatores, videlicet, Dominum *Henricum* ad Sanctum Michaellem Abbatem, *Plebanum in Gysen*, ibi Conventualem, & *Conradum Offelsen*, ibidem tunc Procuratorem, de Sancto Michaelle eis concessum. Cumque Prior domus post examen scrutatorem pro electione facienda venisset, ait: Domine Præposite in Summo, Conventus desiderat, ut cum Patre de Sulda exeatis de Capitulo, & non impediatis nostram electionem. Præpositus ergo & ego statim exurgentes, de domo exivimus Capituli, ne postea se violentatos fuisse conquererent. Voces igitur in diversas personas conjecerunt. Sed Dominus Abbas ad Sanctum Michaellem, prudenti usus consilio, omnibus electoribus in sine convocatis dixit: carissimi Fratres, placet vobis omnibus, ut ille hic sit Abbas, qui majores in hac electione habet voces? Tunc omnes in illum consenserunt. Quo factò, Dominus Abbas nominavit *Lippoldum de Stemmen*, pro tunc in Monasterio *Huysborch* sui Ordinis Procuratorem. Quo audito, omnes chorum intravimus, & Magister *Lubbertus*, in nova civitate Hildensemensi Plebanus, ambonem conscendens, publicè pronunciavit, Fratrem *Lippoldum* ab omnibus Fratribus in Abbatem Monasterii ad Sanctum Godehardum electum. Tunc omnibus pulsatis campanis, *Te Deum laudamus*, altissimis vocibus percantavimus. Quo finito, Dominus Præpositus in Summo rogavit Dominum Abbatem ad Sanctum Michaellem & me in Sulda Patrem, Dominumque Officialem, ut quantocius accederemus ad Dominum Hildensemensem in castrum suum *Sturwolt*, rogantes, quod eum sic electum confirmaret. Quod cum audisset Episcopus, satis inde gavisus est, quod unanimiter fuit electus. Unde statim terminos constituit proclamationum, cum mandatis ad valvas Ecclesiæ Hildensemensis. *Cumque infra & in termino proclamationem nullus contradiceret; nec contra formam electionis, nec contra personam electam aliquid opponeret: Dominus Hildensemensis ipsum in Abbatem ad Sanctum Godehardum confirmavit.* Abbas igitur ad Sanctum Michaellem, Dominus *Henricus* præfatus, currum suum sphæricum statim ascendens, in *Huysborch* Monasterium sui Ordinis perrexit, & Dominum *Lippoldum*, de *Stemmen* militarem, inde secum adduxit & in sedem suam inthronizavit. Cui statim omnes Fratres tunc præsentem manualementem obedientiam præstiterunt. Pater iste venerabilis laudabiliter & bene suum regit Monasterium, bonam & regularem in eo per omnia servans disciplinam; ad omnes viros religiosos & reformatos cujuscunque Ordinis plenam tenens caritatem, obviis manibus benigne satis ipsos recipiens, humanè pertractans, & non modicè

dicè in eorum adventu exultans. Cum convicinis Patribus & Conventibus, & prope Hildensem reformatis, videlicet ad Sanctum Michaelem Ordinis Sancti Benedicti, ad Marienfordenses Ordinis Cisterciensis, ad Caribusesenses, ad Sultenses regulares, ad Fratres Presbyteros & Clericos in Brulone scriptores (*) plenam semper & ubique servans amicitiam & confraternitatem, quales in centum annis in praefatis Monasteriis non sunt servatae. Surrexit interea alia quaedam ejusdem Monasterii à Fratribus ejus foris assistentibus tribulatio, quia Fratres illi, convocatis in unum amicis & cognatis suis, & Consulibus quibusdam Civitatis Hildensemensis, dictum conabantur intrare Monasterium, Abbate praefato & Fratribus, pro reformatione sibi concessis, inde ejectis. Tandem ad Dominum Hildensemensem & ad ejus Capitulum causa perlata est. Qui in aula Episcopali cum Domino Praeposito & quibusdam ejus Canonicis, aliisque Consiliariis suis, praesidens, Fratres antiquos in unum congregatos cum Proconsule Iohanne Luken & amicis aliis audivit, per organum Proconsulis regressum Monasterii sui repostulantes. Abbas autem praefatus secum habuit Abbatem ad Sanctum Michaelem, Priorem de Sulda ex religiosi, Decanum Ecclesiae Hildensemensis, Dominum Iohannem Zwanenlogel Doctorem, Decanum Montis Sancti Mauriti, Magistrum Theodericum, Doctorem Heyfede Decretorum, Ecclesiae Hildensemensis Canonicum. Ubi finaliter tunc fuit conclusum, quod Fratres illi, qui foris adhuc erant, omnes ad suum redire possent Monasterium, quando vellent; sed prius suo Abbati praefato obedientiam promittere deberent, propriaque sua illi resignare; ac deinde secundum regulam vivere Sancti Benedicti, & servare omnia, quae Fratres jam servant in dicto Monasterio. Et ita Conventus ille partis utriusque solutus est, singulis in sua revertentibus. Nullus autem eorum, qui tunc foris erant, in suum rediit Monasterium, sed ad alia non reformata Monasteria, se transulerunt, in quibus usque in praesentem diem permanserunt. Ex hoc tempore usque in praesens Dominus Abbas cum Fratribus ibi remanentibus, & cum his, quos interim investivit & ad professionem suscepit, in bona pace & reformatione, sine omnium illorum impetitione, permansit; in temporalibus & spiritualibus bonis, in regulari observantia, cotidie crescens & proficiens, in exemplum sanctitatis & caelestis conversationis cunctis videntibus & audientibus, ad laudem & gloriam Dei & in salutem plurimorum.

CAPITULUM LII.

De prima reformatione & visitatione Monasterii SANCTI GEORGII prope Nuemborch Ordinis Sancti Benedicti.

Monasterium Sancti Georgii prope Nuemborch, Ordinis Sancti Benedicti in Thuringia, Domino Christiano Abbati ad Sanctum Petrum in Erfordia ejusdem Ordinis, per Dominum Cardinalem Nicolaum de Cusa commissum est ad reformandum. Qui me & collegam meum, Doctorem Paulum, Hallis ad Sanctum Mauritium Praepositum Regularium, de visitationibus Monasteriorum in Erfordia secum venientes, instanter rogavit, ut cooperatores ejus esse vellemus in reformatione & visitatione istius Monasterii: quod fecimus. Invenimus ibi Fratres sine regulari observantia in proprietate viventes, & ad se reformandum valde difficiles. Induximus autem eos, quantum potuimus, ut propter animarum suarum salutem ad regularem se darent observantiam. Quidam igitur Fratres nobis in hoc consenserunt, & ad se reformandum paratos se exhibuerunt; alii contradixerunt. Tunc uni eorum fortissime se opponenti ego dixi: Si non vultis reformari, tunc aut appelletis, si potestis, aut alium vobis eligatis Praelatum, sub quo regulariter vivere valeatis. Sanior tandem & major pars Fratrum nobis in reformationem consenserunt, & tantum in brevi profecerunt, ut non solum perfectam assumerent reformationem, sed etiam *annali Capitulo Bursfeldensi* in cantu, habitu & statutis ceremonialibus, & ceteris omnibus se unirent & incorporarent. Caritatem insuper non parvam ad omnes religiosos, etiam non sui Ordinis, sedulo solent exhibere, ut ipse pluries sum expertus, eos invisendo & in caritate per viam ambulans visitando: quoniam in suo Monasterio mihi & Patribus, mecum ad se venientibus, bene fecerunt, benigne nos tractaverunt, & omnem humanitatem exhibuerunt. Priori enim de Richenberge Iohanni Klovekorne & mihi, in civitatem Nuemburgensem ad reformandum Monasterium Ordinis nostri, Aldenborch nuncupatum, per Ducissam Saxoniae nuncio cum solenni ad se vocatis, ipse Dominus Abbas duas magnas misit amphoras, unam bono vino plenam; alteram bona cerevisia, qua melior ibi non trahitur, repletam; in signum purae dilectionis & verae amicitiae. Quia enim ad eum in Monasterium suum, non longe à civitate situm, non accessimus, ipse tamen nos inconsolatos non dimisit. Reformati enim viri per religiosorum virorum hospitii susceptionem & caritatis exhibitionem in bonis temporalibus & spiritualibus non decreverunt nec depauperantur, sed notabilibus incrementis exinde cotidie proficiunt, ut in pluribus Monasteriis & locis religiosi ipsi experti sumus. In

Ppppp 2

certis

(*) vivebant in commune & scribendo se sustentabant. Vide Cap. seq.

certis enim Monasteriis, ubi ante reformationem vix decem aut duodecim homines de bonis Monasterii vivere poterant & se nutrire, vidimus post reformationem plusquam quinquaginta aut centum, in copia omnium rerum, abundantissime se nunc nutrire, per providam Officialium & discretam provisionem in temporalibus & spiritualibus rebus.

Hæc præmissa de visitationibus & reformationibus Monasteriorum Ordinis *Sancti Benedicti*, quibus ipse interfui aut visitavi, virorum duntaxat, succincte duxi explicanda. Nunc autem de Monasterio ejusdem Ordinis in *Luneborch*, per venerabiles Patres, Dominum *Henricum Bertkou*, ad Sanctum Michaelem in Hildensem Abbatem, & per Dominum *Lippoldum*, in Hildensem ad Sanctum Godehardum ejusdem Ordinis Abbatem, noviter reformatum, dignum duxi enarrare, quomodo id actum fuerit; quia & ipsi mecum in vera caritate sunt sic uniti, ut unum cor & unam animam habeamus in Deo; & eorum in omnibus prosperitatem in bono, & adversitatem in malo, mihi ipsi sicut illis, reputem contingere & evenire; & quia mirabilis ac notabilis, & plena periculo fuit ejus reformatio.

CAPITULUM LIII.

De reformatione Monasterii AD SANCTUM MICHAELEM in Luneborg Ordinis Sancti Benedicti.

Monasterium *Sancti Michaelis* in *Luneborch* Ordinis Sancti Benedicti *Verdenfis* Diœcesis factis est solenne, Fratres conventuales pene omnes de pro genie habens militari; in quo nulla fuit observantia regularis, sed omnes in proprietate & in votorum suorum transgressione vixerunt; quod tandem hoc modo fuit reformatum. Dominus *Otto*, Dux *Luneborghensis* & *Brunsvicensis* literas impetravit ab Episcopo *Verdenfi*, quatenus Patribus ad Sanctum Michaelem in Hildensem, & ad Sanctum Godehardum etiam in Hildensem Abbatibus ejusdem Ordinis, cum suo adjutorio, plenam committeret auctoritatem præfatum Monasterium tam in capite, quam in membris omnibus visitandi & reformandi, & etiam per censuras Ecclesiasticas, cum invocatione brachii secularis, eos ad reformationem compellendi. Præfati autem Patres, per Dominum Ducem *Ottone* vocati, ad eum venerunt, & coassumtis Proconsulibus civitatis, cum istis Patribus ingressus est Monasterium, Abbati & Conventui ibidem eos præsentando. Dux ergo inquisivit ab omnibus, an ad Sanctam reformationem se voluntarie dare assent parati. Cui primo negativum dederunt responsum. Quibus Dux ait: Vos omnes sine frivola excusatione observantiam regularem assumere debetis, alioquin vos in curribus, ad hoc paratis, de vestro Monasterio volumus evehere. Abbas tamen & Prior, cum duobus senioribus & tribus juvenibus, in reformationem consenserunt. Post hæc Abbas ad Sanctum Michaelem Hildensem, curram ascendens de consilio Domini Ducis, duos de antiquis illis Fratribus secum assumpsit, & in Sultam nostram vespere, & tunc mane ad Monasterium suum induxit, ac deinde sex Fratres de reformatis secum assumens, in præfatum *Luneborch* Monasterium induxit. Interea Abbas Monasterii illius cum suis Fratribus pro Episcopo misit *Verdenfi*, ut eis in tanta necessitate succurreret. Qui cum duobus Canonicis Capituli adveniens, rogatus fuit, ut commissionem, Abbatibus & Duci factam, revocaret, viginti florenis sibi datis pro expensis; qui timore Domini Ducis id facere recusavit. Abbas vero ad Sanctum Godehardum in Hildensem ad octo dies solus interim mansit cum illis in Monasterio, Ducem & Gardianum de Cellis habens secum pro consilio, nolens inde recedere, ne januas Monasterii post eum clauderent, non valens reintrare; & ne reformationem ejus etiam excluderent. Qui etiam omnes quæstiones & redargutiones reformationis, sibi tunc propositas, prudenter satis dissolvit. Abbate igitur de Sancto Michaeli de Hildensem reverso, Abbas domus illius sex Fratres reformatores in Ducis, Consulatibus, Patrum & Doctorum præsentia ad obedientiam suscepit. Quatuor autem Fratres ipsius Monasterii, cum ad reformationem dare se nollent, licentiam ab Episcopo & Abbate suo obtinuerunt alium sibi Prælatum eligendi. Admissum etiam fuit, quod decem marce pro singulis personis darentur Monasteriis annuatim, in quibus recepti fuissent, in subsidium expensarum. Mane autem facto in die Sancti Galli anno Domini M CCCC LXX, Abbates præfati in præsentia Episcopi, Ducis & Proconsulum, declaraverunt Abbati & Fratribus Monasterii privilegia & indulgentias Capituli *Annalis Bursfeldensis* ad hoc, ut se illi Capitulo unirent: quibus consentire videbantur. Et ecce subito audierunt sonum valde terribilem campanarum in turri, proprie storme, per certos fratres Monasterii, reformati recusantes, procuratum. Unde magna valde facta est commotio & seditio civium in civitate armatorum ad forum concurrentium; quorum aliqui per monachos incitati fuerunt, ut, ubi campanas sonare audirent, illic concurrerent, certis ipsis propter hoc datis propinis. Dux igitur campanarum sonitu audito, equum suum ascendens, cum vasallis & familia sua continuo civitatem egressurus, cum ad portam venisset, invenit eam clausam, & claudentem apud eam adhuc cum clavibus stantem. Vasalli igitur claves ab eo vi tulerunt, & portam

tam aperuerunt; & ita Dux cum suis inde exiit. Cives vero in forum congregati, ad Monasterium, ubi sonitum campanarum audierant, cum manu armata & violenta accesserunt in magno numero, ultra tria millia ut putabant, vociferantes: Tollite Monachos istos, auferte eosdem de nostra civitate. Aliqui tamen venerunt ad educendos eos, alii ad dimittendum eos, alii ad protegendum eos. Ita clamabant confusè, quod Consulatus non poterat eos compescere. Quidam autem militaris & alii majores civitatis, commotionem civium quietare cupientes, & Monachos inde educere, fidem à populo receperunt, ne eos læderent, sed educi permetterent. Abbas enim ad Sanctum Michaelem in Hildensem, cum Fratibus suis per gradum parvum ascendens, in cameram parvam ibi inventam se abscondit, nihil nisi mortem videns ante oculos. Ideo confessionem suam fecit Abbati Sancti Godehardi; sed propter introëuntium Monasterium importunitatem absolutionem non accepit. Libenter, dixit, mortem pro sancta reformatione suscepisset; sed membri alicujus amputationem aut cerebri excussionem libenter non habuisset, ne sibi & aliis fieret inutilis, & aliis factus fuisset onerosus. Cumque in *commodo* illo modico tempore se occultassent, vir quidam, spatam manu tenens, elevans acumen ejus in sublime, ad eos ascendit. Hoc videns Abbas, dixit intra se: Hæc spatam cor meum jam pertransibit. Cum autem vir ille gradum illum altius ascendisset, cognitus est ab eis, quod non venit, ut inimicus, sed ut amicus, volens eos avifare, quomodo se habere deberent. *Episcopus autem Verdensis* cum omnibus vassallis & servis suis, quam cito potuit, fugam arripuit, sicut Dux Otto prius fecerat. Cumque Abbas ad Sanctum Michaelem Hildensem cum Fratibus suis de civitate educi debuisset, sicut militaris præfatus communitatem rogaverat, sine sui & Fratrum suorum læsione, oportebat eum prius *homagium* facere, hoc est, *en orvede*, (***) ut nihil unquam contra eos ageret, qui sibi & suis hanc injuriam intulissent. Illis ergo januam Monasterii appropinquantibus, ut exirent, horribiles, & inauditi, & non intelligibiles insonuerunt clamores: Illi non sunt hic omnes. Nos volumus omnes videre. Educatur ille cum nigra corona; (Abbatem ad Sanctum Godehardum notantes.) Exeuntibus autem illis, Abbas ad Sanctum Michaelem Hildensem brachium Proconsulis unius apprehendit per totam viam usque ad portam civitatis, ne populus ille seditiosus ipsum luto aut lapidibus jactaret. Quod si fecissent, Proconsul, ut ipse dixit, eum reliquisset, necum eo lapidaretur; quia nondum mori fuit paratus. Cumque ad portam venissent, navicula ibi tunc parata erat, quæ ipsos ad Monasterium Monialium, *Lune* vocatum, ibi in propinquo, transvexit. Abbas vero ad Sanctum Godehardum in Hildensem tantum populi tumultum audiens, & voces tam horribiles, abscondit se in cubiculo intra cubiculum; ubi primam januam terribilissime effregerunt, sed per quendam inde expulsi, ad eum non pervenerunt. Post hæc Consules ad Monasterium venerunt, Abbatem præfatum consolantes; quibus se ostendit. Hunc Dominus Deus tanquam scintillam, qua ignem reformationis rursus reaccenderet, occultaverat: quem Consulatus rogavit, quatenus injuriam sibi factam Consulatus non imputaret; quod & ipsi in magno tunc rerum & corporum suorum fuerant periculo & timore: quod Principis animum sedare vellent, quia ipsi tunc in crastinum ad Ducem, in Monasterium Monialium ejusdem Ordinis, *Ebstorp* vocatum, fuga lapsi, vellent accedere, & Principem repacificare, sperantes, quod res illa optatum adhuc sortiretur affectum. Abbas igitur Sancti Godehardi in crastinum cum eis publicè per civitatem transvectus, in *Ebstorp* pervenit; quem Abbas Sancti Michaelis in Hildensem cum Fratibus suis è Vestigio subsecutus est. Consulatus ibi Domino Duci promisit, quod perverfos Monachos de Monasterio vellent ejicere, & hujus seditionis autores de civitate eliminare, & reformatores illos sine Duce in Monasterium ipsum reinducere; quod cum magna gloria & decenti comitativa, cum equis pene quadraginta, gloriose perfecerunt, Abbati ipsius Monasterii eos cum debita reverentia præsentantes. Qui gratosè eos suscepit, & ad omnia benivolum se præbuit. Est vir proceræ staturæ, de bona progenie, beneliteratus, more secularium statum servans satis honestum pro sui nominis dignitate, sed tunc non reformatus. Prædictos ergo Fratres, reformatores suos, quos ad obedientiam suam susceperat, ad tractatus etiam admisit Capitulares, & reformationem juxta *Capitulum Bursfeldense* in cantu, habitu, & in omnibus Capituli illius observantiis, ipse cum Fratibus suis benivole tandem suscepit, eidemque Capitulo annali se univit. Hanc Capituli illius unionem Abbas & Conventus perpetuò se velle servare, pro se & successoribus suis, sigillorum suorum, Abbatis videlicet & Conventus, appensione communierunt, in fidem & firmitatem perpetuo duraturas. Abbates de Hildensem literas has secum in Hildensem detulerunt. Abbas tamen Monasterii in officio seu dignitate sua permansit, bona Abbatiæ retinens gubernanda. Frater *Antonius*, Prior ante in Hildensem ad Sanctum Michaelem, vir bonus & bene religiosus, constitutus est ibi in Priorem, bona Prioratus & regimen Monasterii in spiritualibus conservans strenueque gubernans. Antiquus Prior factus est ibi *Cel-*

(**) urfede.

lerarius, & alia talia habet ibi officia. Alius factus est Sacrista five Custos. Quatuor Fratres cum duobus juvenibus ibidem permanserunt. Quatuor Fratres cum Abbatibus in Hildensem perrexerunt; & quatuor alii absentiam postulantes, illam obtinuerunt. Præfatum ergo Monasterium jam diu in bona permanfit reformatione usque in præsens, sicut oculata fide, jam pluries ab Abbate & à Priore ibidem hospitio receptus, ipse cognovi & aspexi, *versus Zegeberge & Lubike* visitationis gratia pergens, & denuo inde rediens. Ista de Monasteriis Ordinis Sancti Benedicti, quæ visitavi, & ego ipsis, vel ipsi mihi bene fecerunt seu ad reformationem adjumento fuerunt, dicta sufficiant. Misericordias ergo Domini in æternum cantabo, qui mihi hanc gratiam promerendi præbuit occasionem, ut etiam in tam sancto Ordine & strictiori observantia fructum aliquem sanctæ reformationis obtinerem, ac participem me faceret omnium bonorum Ordinis illius.

CAPITULUM LIV.

De prima inchoatione Congregationis Presbyterorum & Clericorum Hildensemii IN BRULONE devotorum, & eorum privilegiis.

Congregatio devotorum Presbyterorum & Clericorum Hildensemii in borgo luminum in Brulone hoc habuit initium. Devotus quidam Clericus, nomine *Godfridus*, de domo congregationis Clericorum in *Hervordia* ante annos nunc triginta venit in Hildensem, hospitio susceptus in *Cartallo* in aula Episcopali. Tempore illo nullum fuit in Hildensem Monasterium reformatum, sed Canonici in *Cartallo* communem tunc habebant mensam, sicut & hodie, juxta primariam eorum foundationem & institutionem. Omnes igitur religiosi reformati cujuscunque Ordinis, undecunque venientes & ad eos divertentes, in omni caritate ab eis fuerunt recepti & bene tractati. Fuerunt ibi tunc valde probi & honesti viri, bonæ conversationis, Deum timentes, & quæ Dei sunt, semper & ubique diligentes & promoventes, ibidem præbendati; videlicet Dominus *Johannes Hagben*, post Abbas in *Bursfelda*, multorum Monasteriorum & personarum reformato, Magister *Henricus Bodewerder*, Rector scholarium Hildensemii in Summo, & post Monialium Ordinis nostri Præpositus & reformato, Dominus *Wernerus*, caput & primus illorum Canonico, qui etiam nobis in *Sulta* & in aliis quibusdam locis magnam ex orichalco dedit pelvim pro lotionem pedum hospitem, in *Marienrode* Monasterio Cisterciensium prope Hildensem specialis confrater, & ibi sepultus: Dominus *Hermannus Hilligestad*, magnus omnium Religiosorum fautor & promotor, per quem tempore meo Monasterium in *Sulta* conreformatum est. Misi enim ad eum, quando mihi in reformatione aliquid defuit, juvenem IX. annorum, cum schedula, id sibi scribendo, qui omnia mihi necessaria à Domino Præposito in Summo, ab Officiali & à cæteris impetravit & procuravit. Plures tales tunc in *Cartallo* viri Deum timentes, habitabant, qui cunctos religiosos reformatos, tanquam proprios fratres, hospitio suscipiebant, & in *coclimine* dormire faciebant, domo ad eos pertinente. Clericus iste *Godfridus*, cum Domino *Sifrido* in cimiterio Sancti *Godehardi* communiter moram trahens, libros consuevit ligare, & Canonicis in *Cartallo* frequenter se sociavit; quibus & desiderium suum pro congregatione Clericorum inchoanda sæpe proposuit. Dominus tunc *Wernerus* præfatus capellam habuit in antiquo foro Hildensemensi in curia *Lareman*, quam Domino *Bernardo de Buren*, primo hujus congregationis Rectori, cum Presbyteris & Clericis sibi junctis, concessit, ut ibi celebrarent, & domos circumjacentes ad habitandum conducerent. Quod & fecerunt, & Pater præfatus cum Domino *Reynero*, & aliis Clericis congregationis Monasteriensis ibidem permansit. Consulatus autem Hildensemensis tallium ab eis exegerunt de domibus, quas inhabitabant; quod dare omnino recusabant, sacerdotali & clericali libertate gaudere volentes, nec seculari se subicere potestati. Transtulerunt autem se in alium locum, in domum cujusdam Canonici ad Sanctam Crucem in Hildensem, ab omni servitio civitatis liberam, *Johannis Westphalen* nuncupati, qui etiam capellam in eadem habuit domo cum altari consecratio. Ibi ergo per duos annos horas suas Canonicas & missas legerunt, in propriis se expensis nutriendos, & manibus scribendo cotidie laborantes. Deinde cum ad primum colloquium in civitate Monasteriensis Pater *Bernardus Buren* Rector eorum pervenisset, ubi semel in anno *Dominico Cantate* omnes illarum ibidem congregationum Patres solent convenire, ad tractandum & diffiniendum de his, quæ statum suum concernunt, convocatis in id ipsum de *Northorn* & de *Bodike* Prioribus: unanimiter omnes ibidem tunc concluderunt, si Pater *Bernardus* propriam in Hildensem non haberet domum & habitationem, quando visitatores nostri, per generale Capitulum nobis in *Saxonia* deputati, ad nos venirent visitandos, tunc cum ipsis ad propriam redirent domum, unde exissent. Ego autem in *Sulta* Pater, de generali Capitulo in *Windedsem* celebrato reversus, cum ibi manus ad cœnandum lavarem, dixit mihi Dominus *Bernardus* præfatus: Libenter dicerem vobis aliquid, si auderem. Cui respondi: Concernit hoc statum vestrum? Respondit: Ita. Tunc dixi: Velleis mihi hoc subicere? Quæ enim vos concernunt, me concernunt. Profectus vester est profectus meus, ita sumus
anti

uniti in caritate. Tunc dixit; Patres hinc modo concluderunt, si propriam domum non habuerimus, cum visitatores vestri ad vos venerint, quod tunc cum eis ad domos nostras redire debeamus. Quo audito, accessi ad Dominum *Nicolaum de congregatione Clericorum in Widenbach in Colonia*, qui & Pater erat tunc omnium, & Conventualis domus Monasteriensis, dicens: Domine Nicolae, conclusistis vos, quod Dominus Bernardus cum suis Fratribus redire deberet ad domum post Pascha cum visitatoribus, si locum proprium in Hildesem non habuerint? Respondit: Ego darem caputium meum, quod nunquam ibi venissent. Nunquam aliqua congregatio nostra ita incepta fuit, ut tanto tempore domum non haberent propriam. Respondi: Nos *Saxones* graves sumus ad bona inchoanda, sed cum bona quaecunque inceperimus, firmissime in eis perseveramus. Volo autem & desidero, ut integrum annum adhuc habeant, ad providendum sibi de loco proprio. Tunc Dominus Nicolaus dixit ad Dominum Bernardum, Rectorem Clericorum in Hildesem: Præpositus de Sulza vult, ut per annum adhuc ibi permaneat. Faciatis ergo sic. Quo audito, cum gaudio in Hildesem pariter regressi sumus. Post hæc locum, quem nunc inhabitant, liberum ab omni impetitione Consulatus obtinuerunt; Ecclesiam pulchram cum quatuor Altaribus ibi construxerunt, cryptam sub sanctuario & choro inferius, cum Altaribus duobus construentes, quam cum Altaribus & cimiterio consecrari procurarunt, in qua omnia ecclesiastica honorifice conservant Sacramenta. Magnam etiam domum pro dormitorio & cellis Fratrum superius, & inferius pro refectorio & hospitum domo & cellario construxerunt, & pro cellis Patris Procuratoris & senioris optime adoptaverunt. Plures etiam alias domos, pro coquina & aliis operibus mechanicis, in locis diversis posuerunt. Hortum etiam bonum pro oleribus & arboribus generum diversorum fructiferis sibi adoptaverunt, aggerum altum cum fossato profundo in fine horti habentes, & in introitum congregationis publicam plateam; curiam etiam lapidibus stratam, & puteum bonum & altum in ea. Super omnia bonos habent & bene morigeratos ac disciplinatos Fratres, tam Presbyteros quam Clericos & laicos, sicut aliqua domus congregationum illarum habere dinoscitur, ubicunque etiam situta; officia etiam habentes diversa, præsertim *scripturarum*, qui propter Monasteriorum Saxoniarum novam reformationem, plurima cotidie à Monasteriis utriusque sexus & Ordinum diversorum ultra viginti milliaria acquirunt; libros, missalia, antiphonaria, gradualia, Capitularia sive collectaria, & pro libraria ad scribendum & ad ligandum, in pretio *ultimæ mille florenos*. Habent etiam optima à Sede Apostolica, & à Diocesano suo, atque à Capitulo Cathedralis Ecclesie, privilegia exceptionum, gratiarum & dignitatum, qualia nullæ congregationes Patrum suorum habere dinoscuntur. Istis non obstantibus, ipsi tamen in sua simplicitate habitus, & morum humilitate, in Prælati sui vera, non ficta obedientia, atque in omni claustrali disciplina, singuli se ipsos conservant; qui non altum sapere, sed in verbis, moribus, & in omni sua conversatione, humilibus consentire probantur. Unde non parvam laudem inter Canonicos & Religiosos, inter seculares & spirituales, ubique reportant, eorum sanctam conversationem & vitam bonam plurimum collaudantes & ex animo venerantes. Et quamvis in temporalibus & spiritualibus bonis satis bene stent, & bene proficiant, nulla tamen signa avaritiæ in ipsis poterunt denotari; quia prudenter & humiliter in dandis se habent omnes responsis, ne peccent in sermone.

CAPITULUM LV.

Quomodo Domino REYNERO non reverso, BERNARDUS DE BUREN, Dominum Johannem Loef pro socio recepit, qui multis annis confessor factus fuit Sororum in Eldas.

Anno secundo sequente Dominus *Bernardus* cum Domino Reynero venit ad primum colloquium in civitatem Monasteriensem, & tunc Dominus *Reynerus* ibi remansit. Interim ego iterum ibi veni de Capitulo nostro generali, & tunc dixi Domino *Nicolao Patri omnium de Colonia*: Quid nunc dicitis de Congregatione Clericorum in Hildesem? Respondit: Non acciperem mille florenos, quod ibi tunc non remansissent. Ego: Et ego. Credatis ergo mihi, cum aliquid à vobis petiero; quoniam Zelo Dei commoveor ad omne bonum promovendum. Dominus Bernardus tunc dixit mihi, quod Dominus Reynerus ibi manere vellet, & libenter alium secum sumeret. Accessi ergo de consilio Domini Nicolai ad cellam Patris domus illius, ubi Sacerdotes convenerunt, instanter petens, alium mihi & Domino Bernardo in socium deputari Sacerdotem. Qui responderunt: Quem ex omnibus nobis eligitis? Respondi; Quem ipsi cognoveritis utiliore. Ego singulas vestras non nosco personas. Hoc ergo vobis committo. Rediens ergo ad Dominum Nicolaum, inveni Dominum *Johannem Loef* cum eo in genibus sedentem: quibus dixi, quod

quod confensum Patrum haberem. Tunc Dominus Nicolaus dixit: Dominus *Johannes Loef* paratus est vobiscum pergere, si ego volo & consulero. Respondi: Ipse ad hoc bonus est: concedatis nobis eum. Tunc dixit Dominus Nicolaus: Domine Johannes; Præpositus de Sulda vult, ut secum pergatis. Placet ergo mihi, ut ad Saxoniam secum pergatis, & aliquid boni ibi faciatis. Pervenimus igitur sani in Hildesem, ubi cum Domino Bernardo & Fratribus suis habitavit. Post hæc visitatores nostri, *Arnoldus Huls* & *Wilhelmus Keppel*, congregationem illam etiam visitaverunt. Sorores tunc in *Eldas* non habuerunt confessorem & rectorem, secum commanentem. Rogaverunt ergo Patres præfatos, quatenus de Rectore & Confessore continuo sibi providerent. Supervenit ibi Frater *Godfridus*, Prior in Wittenborch, cui Sorores illæ per Episcopum Hildensemensem commissæ fuerant, eo quod de Monasterio Wittenborch ortum primo habuerant, & in fundo unius Fratris eorum habitabant. Pater enim *Rembertus*, Prior in Wittenborch, tres secum de domo Sororum in *Scuttorp* Sorores adduxit, & in allodio suo collocavit, donec locum eis aptum inveniret; quas tunc in *Eldas* collocaverat, ubi plures secum Sorores congregaverant, jam ultra sexaginta. Ego etiam tunc ibidem superveni. Cum igitur magna inter eos inquisitio fieret, quis ad hoc idoneus de Fratribus illis esset? Ego respondi: Non video hic meliorem & utiliore ad hoc, quam Dominum *Johannem Loef*. Qui omnes uno ore, tam Priores quam Pater Bernardus & Fratres sui, contradixerunt, dicentes, nullatenus id eis bonum videri. Ego tamen in sententia mea permansi, quia in conscientia id utilius judicavi. Tandem mihi omnes consenserunt, dicentes: quia Pater de Sulda ita firmus manet in proposito, speramus, quod ita placet Deo. Piacet igitur etiam nobis omnibus, quod ita fiat. Vocantes autem eum, curam Sororum in *Eldas* sibi commiserunt, ut Pater & Rector earum esset, & in sancta vita & bona conversatione eas custodiret. Qui per annos jam XXXIII. non solum sorores in *Eldas*, sed etiam tres alias sororum domus five congregationes in bona disciplina, sancta conversatione & regulari observantia usque hodie laudabiliter conservavit, videlicet in *Lemego*, in *Hervordia* & in *Detmoldia*. Ista quatuor congregationes regulam assumerunt, de licentia Domini Apostolici, *almi Patris nostri Augustini Episcopi*, griseam tunicam pro habitu deferentes & nigrum caputium. Horas legunt de Beata Virgine in *Teutonico* pariter in Ecclesia sua; & cætera servant, sicut ante consueverant, & faciunt in domibus congregationum in Diœcesi Trajectensi, *laborando*, & *legendo inter laborandum*, præsertim, in lanificio & in similibus. Misericordias igitur Domini in æternum cantabo, qui tanta hac in terra fecit bona, in reformationibus nostri & aliorum Ordinum, diversorum Monasteriorum seu de novo fundatorum; Patre de Sulda cum aliis Prælati & magnis Principibus cooperantibus, & eas effectualiter prosequentibus, ad laudem & gloriam nominis sui: qui in cordibus suis in cognitionem & amorem Dei, & in propriam ex hoc salutem, viventes pervenerunt. Clericus iste *Godfridus*, inceptor congregationis Clericorum in Hildesem, in principio reformationis Monasterii in Bodike Ordinis nostri Diœcesis Paderburnensis, *visionem vidit, quomodo in spiritualibus & temporalibus proficere & crescere deberet, & multum fructum in Ecclesia Dei producere, in animarum plurimarum salutem*; sicut factum vidimus, & superius descripsimus. Similem visionem vidit super Monasterium Sancti Bartholomæi in Sulda Ordinis Canoniorum regularium Hildensemensis Diœcesis in principio reformationis ejus, quam mihi ibidem Patri tunc narravit. Quod oculata fide jam omnis novit Saxonia, & regiones circumjacentes; *Thuringia, Westphalia, Marchia, Holsatia*, per Patrem de Sulda visitatæ seu reformatæ. Sit igitur laus & gloria Christo per secula infinita, Amen.

Congregationem Fratrum Presbyterorum & Clericorum devotorum in *Hervordia* ob rogatum Patrum, in civitate Monasteriensi pro colloquio annali ibidem congregatorum, cum Domino Bernardo Buren in Hildesem Rectore & Patre congregationis visitavi; non Sedis Apostolicæ autoritate seu Capituli provincialis, quod Patres ibi non servant, sed caritativa visitatione; sicut in singulis domibus sibi unitis solent visitare. Invenimus ibi Dominum *Conradum* Patrem & Rectorem, virum devotum, simplicem, & multum pro observantia Zelosum. Qui omnes Fratres suos in bona tenuit disciplina, humilitate & simplicitate, quæ usque hodie, per annos plusquam XXX, in eadem permanent congregatione. Et sicut ipse libenter Patres Ordinis nostri, & aliorum quorundam etiam suæ conversationis, invisere & visitare consuevit: ita etiam libenter Patres & Fratres undecunque venientes, hospitio suscepit, quemadmodum usque in præfens suscipere comprobatur; quia nos regulares, ad generale Capitulum in Windesem de Saxonia pergentes & inde redeuntes, cum bono modo possumus, ad eos divertere solemus; qui fati nos caritative suscipientes, humanè secundum suam possibilitatem pertractant. Qui idcirco in bono statu nunc videntur permanere, quia domui Monasteriensi se incorporaverunt, & Patrem devotum inde pro Rectore susceperunt.

CAPITULUM LVI.

De Ordine Fratrum voluntariè pauperum; de vita, conversatione, & habitu, ac institutione eorum; mihi in Sulta Patri per Episcopum commissorum ad visitandum, investiendum, & in cæteris.

Ordo novus, Fratrum voluntariè pauperum nominatus, Anno Domini MCCCCLXX. in Hildesem primo surrexit. Qui licet ante centum annos in diversis Almanix partibus & in Hildesem habitaverint, voluntarie pauperes nominati: singularem tamen habitum & regulam almi Patris Augustini jam in brevi susceperunt. Hoc enim anno isti Fratres voluntarie pauperes, paupertatem, continentiam & obedientiam secundum regulam almi Patris nostri Augustini, & secundum antiquas eorum laudabiles consuetudines, statuta five ordinationes promiserunt, & habitum novum pro parte assumerunt. Deferunt enim mantellum griseum latum, superius circa collum multum rugatum more suo antiquo; sub illo scapulare habentes cum caputio nigri coloris super tunicam griseam, vel pelliceam aut supparum. Et ita, cum ad Ecclesiam vel per civitatem ire habent, semper incedunt. In domo autem sua commanentes, manducantes, laborantes seu orantes, deposito mantello, in scapulari super tunicam cum caputio semper nunc debent incedere. Hunc igitur habitum de licentia & mandato Domini Ernesti, Hildensemensis Episcopi, per Supporem nostrum in Sulta, Bertoldum Eyke, nunc Priorem in Wittenborch, de licentia nostra, eo quod mihi facere, sicut debueram, non vacavit; quia ad venerabile Capitulum nostrum generale in Windesem perrexeram, dum hæc agerentur; (Venerabilis tamen Pater, Dominus Henricus, Abbas ad Sanctum Michaelem in Hildesem, cum multis testibus & quibusdam, de Consulatu Hildensemensi, præsentibus tunc erant,) omnes devota mente susceperunt, & in eadem missa professionem coram Altari in capella habitationis eorum, expressam juxta formam præfatam, fecerunt, quam Procurator eorum in præsentia omnium præfatorum ad se suscepit, qui & Prelatus eorum nuncupatur, nomen aliud non habens, nisi Procurator, quod nomen est officii non dignitatis, quoniam in humilitate & paupertate semper vivere devoverunt. Et quia secundum regulam Beati Augustini, & non Beati Benedicti vivere promiserunt, idcirco me in Sulta Patrem de mandato Domini Hildensemensis in visitatorem & confessorem suum delegerunt; etiam, si opus fuerit, in casibus reservatis, five per me, vel per aliquem ipsis per me deputandum, absolvendi. Communiter tamen in matrice Ecclesia confiteri, & semel circa mensem communicare consueverunt. Possunt tamen in capella sua, cum sic utile videbitur, etiam aliquando communicare. Conformes ergo jam nunc sunt in habitu, & in omnibus ceremoniis, & modo vivendi, Fratribus sui Ordinis in Colonia, & circa Rhenum, & in Halberstad, qui fraternitatem & unionem mutuo servant tanquam Capitularem. Omnes Fratres isti laici sunt, indocti, sine literis, nisi aliqui inter eos essent, qui in seculo Teutonice legere didicissent. Fuerunt enim futores, sartores, & opera mechanica similia in seculo exercentes. Ideo nec Presbyterum nec Patrem habent secum commorantem; sed unum ex ipsis in superiorem suum elegerunt, quem per omnes domos suas Procuratorem nominant; Patri tamen habentem officium singulis injungendi, quid facere vel dimittere debeant; cui & obedientiam secundum regulam Beati Augustini, ut præmissum est, promittant. Hic etiam Procurator singulis providet de necessariis victus & vestitus, & in similibus. Reditus non habent, quia voluntarie pauperes sunt, nec pecuniam, nec propria; sed vivunt de elemosynis fidelium, quas ostiatim mendicant. Cotidie enim duo & duo simul vadunt per civitatem, uno die per istas plateas, alio die per alias plateas, ostiatim elemosynas petendo. Non intrant domos, sed ante ostia domorum foris stant, in Teutonico dicentes: Panem propter Deum. Quandoque datur eis aliquid, quandoque nihil: & tunc dicitur eis: God berade ju, quod quandoque hilariter, aliquando cum erubescencia ad se recipiunt, præsertim, qui primo ad eos veniunt ad cohabitandum. Sed in hoc, sicut & in cæteris omnibus, propriam suam addiscunt frangere voluntatem, naturam & erubescenciam. Quod ergo de hujusmodi elemosynis comportant acquisitis, hoc cum debita gratiarum actione & cordis lætitia pariter manducant in uno refectorio. Homines enim communiter eis sunt bene inclinati & satis favorabiles; quia apud infirmos, quacunque etiam infirmitate detineantur, vigilare solent, & diebus ac noctibus, usque ad mortem, eos custodire; necessaria ministrare, in bono confortare, & contra Diaboli tentationes in extremis animare: etiam ipsis mortuorum corporibus omnia cõrequisita usque ad sepultura ministrare, & etiam corpora defunctorum usque ad sepulchra deferre & subterrare. Multum ergo utiles sunt in magnis civitatibus propter infirmorum & funerum custodiam, & exequias eorum rite perficiendas. Quamvis autem hujusmodi misericordix opera cunctis exhibeant infirmis, ubi ad hoc fuerint requisiti: districtam tamen valde vitam inter se, in domo & in Ecclesia, solite observant. Media enim nocte surgunt ad matutinas, quas in capella parva habitationis suæ

cum *Pater Noster*, more suo submissa voce singulariter singuli sine reclinatioe, in genibus suis erecti pariter persistentes, persolvunt. Quibus finitis, singuli suis internis vacant contemplationibus *de vita & passione Christi*, per duas pene horas in genibus sic permanentes, nisi forsitan pro aliquo parvo relevamine retrorsum super pedes se modice repausent. Quibus expletis, ad cellas reversi, super lectos suos ad dormiendum modicè, se disponunt. Mane inter quartam & quintam vel circa, iterum surgentes, ad matricem suam ecclesiam Canonorum secularium omnes pariter ad audiendas matutinas accedentes, & retro in ecclesia seu in turri, in loco eis deputato, se collocantes, horas suas minores, per *Pater Noster* in certo numero, singuli singulariter persolvunt. Per duas igitur aut per tres horas matutinas missas, & alias horas Canonicas audiendo, continuo ibi in genibus erecti ita persistent, & consueta exercitia *de vita & passione Christi*, ubi nocte dimiserant, reassumentes, sine tadio & sine mentis evagatione ruminant, & illis se conformant; magnam dulcoris suavitatem, Dei notitiam, & omnium interiorum suorum quietem, conscientiarque suæ tranquillitatem & pacem in illis invenientes. Et valde mirum videtur, quod tanto tempore & tot horis, in tanto hominum secularium tumultu, contemplationi possint vacare, & omni die in genibus erecti sine reclinatioe posteriori permanere, sine capitem suorum dolore & corporum suorum notabili gravamine. Exercitia sua in scriptis non habent, sed unus illa didicit ab alio, secundus à secundo, & sic ulterius; & tamen singuli eadem habent exercitia, etiam in omnibus pene domibus, in Colonia & in Saxonia. Amorem enim mundi & omnium, quæ in mundo sunt, reliquerunt. De illis ergo cogitare indignum judicant, sed potius de Deo & de bonis suis exercitiis, sine distractionibus notabilibus; eo, quod puri sunt laici indocti, & diversis rebus & phantasiis non occupantur, nec cogitant de castino; quoniam Dominus Deus eorum est Procurator, & non dimittet eos improcuratos de cunctis sibi necessariis. Clericis & doctis viris est impossibile ita ad aliquod unum suas figere mentes, & tanto tempore, omni die & nocte, sine omni tadio, imo cum maxima cordis lætitia circa unum & similia exercitia sic permanere, ut faciunt simplices isti laici; qui abjecti sunt in mundo, mundumque & omnia, quæ in mundo sunt, propter Deum contempserunt, ut illi soli in summa paupertate & cordis sui munditia, & proximorum suorum necessitate extrema, sedulo servitio voluntarie deservirent; non parvam gloriæ coronam ab omnium retributore Deo indubiè præstolantes. Cum igitur in Ecclesia mane similiter ita persistent, si procurator eorum quoquam ire habet pro domus suæ necessitate, hoc tunc dicit seniori ibi existenti. Et tunc assumpto socio vadit ad negotia sua perficienda. Sic etiam facit in domo consistens, si quoquam ire habet aut alios Fratres emittere; quia duo & duo communiter per civitatem solent incedere. Finitis his, propter quæ in ecclesia permanerunt, ad domum pariter revertuntur. Et tunc Procurator eorum disponit, per quam vadant plateam ostiatim mendicatum, & qui ire debent; quia hodie per unam vel duas vadunt pateas, cras per alias. Merito ergo voluntariè pauperes vocantur, quia proprietarii non sunt nec in rebus nec in conscientia; sed pauca, quæ habent in vestibulis & utensilibus, sunt eis omnia communia. Mane, quando surgunt, nesciunt, quid in prandio vel in cœna manducabunt, quæ Dominus Deus adhuc dabit. Facto autem prandio, Fratres ad opera manualia, in domo peragenda, se disponunt, nisi aliqui circa infirmos in civitate necesse habeant occupari. Hora vespertina iterum vadunt omnes ad matricem ecclesiam, eam cum *Pater Noster* & devotis exercitiis persolvendo. Deinde post horam vel duas in domum reversi, præparant se ad cœnandum. Cœna cum silentio, (sicut & in prandio fit) & modica in Teutonico lectione peracta, post paucum tempus de voluntate Procuratoris completorium suum in capella omnes, qui possunt interesse pariter, singuli singulariter persolvunt, ac deinde per horam ibidem consistentes, solitis exercitiis, mentalibus orationibus & contemplationibus, iterum insistent, & semper in genibus erecti sine aliqua inclinatione; quia sedilia & scamna aut sedes alias in capella sua non habent. Tunc demum ad signum Procuratoris inde recedentes, singuli cum silentio ad cellas & lectos suos revertuntur, operam dantes dormitioni, ut iterum media nocte ad laudandum Deum possint exurgere. Cum vadunt ad ecclesiam, neminem in domo pro ejus custodia derelinquunt, non timentes aliquid perdere, quia nihil habent, nisi singulorum vestimenta & domus utensilia. Expediti, sine omni cura superflua, Domino Deo suo libere in divinis vacare possunt. Multum etiam caritative ad invicem, & cum omnibus hominibus eos visitantibus, solent conversari; Zelosi tamen plurimum, ut, sicut Ordinem & consuetudines à majoribus & prædecessoribus susceperunt, ita diligentissime inter se illas custodiant, non sibi ipsis nec aliis in hoc aliquatenus parcentes; quoniam ita hodie, sicut ante centum annos, omnes observantias suas in singulis domibus custodire conantur, & bene custodiunt. Unde sæpius miratus sum de talibus viris indoctis. Et ego hoc anno Domini MCCCCLXXI. cum Procuratore domus congregationis eorum in Halberstad, autoritate Domini Hildensemensis juxta formam & dispositionem Juris Canonici eos visitans, inveni ipsos veros Ordinis sui observatores, secundum regulam almi Patris nostri Augustini, & Patrum suorum primitivorum optimam institutio-

tutionem. Fratres isti voluntariè pauperes in diversis Diœcesibus habent domos sive congregationes, jam bene fundatas. Magna à Sede Apostolica, ad instantiam Ducis Burgundie Karoli, habent privilegia, videlicet, quod possunt habere capellas, & in eis altare & campanile, & cum opus fuerit, in eis communicare. Nihil tamen agere debent in præjudicium matricis ecclesie. Et ego, visitator eorum, ordinavi, quod Procurator eorum de cætero non vocabitur Procurator, sed Pater, quia Prælatus eorum est. Faciunt ei obedientiam in facie Ecclesie coram Altari in missa, quam visitator eorum celebrat vel cui id commiserit; & promittunt ei tria substantialia Ordinis servanda. Merito ergo nomine Patris intulatur, quia habet eis mandare, & omnia facere, quæ ad Patrem, Abbatem aut Priorem de jure pertinent facienda. Et ita jam servant in Hildesem, in Halberstad, in Colonia, ut dicunt mihi.

Finis Libri Primi de reformationibus & visitationibus Monasteriorum
Virorum.

LIBER II.

REFORMATIONUM FRATRIS IOHANNIS BUSCH,

De

Monasteriis Monialium, per Priorem in Sulta & quosdam alios visitatis, & ad reformationem perductis seu reformari inchoatis, & jam in bona competenti reformatione persistentibus.

CAPITULUM I.

De Monasterio in Wenninſen Monialium, quomodo Reformationi primò fortissime restiterunt.

Monasterium Monialium in Wenninſen Ordinis Canoniorum regularium Diœcesis Mindensis, cum primum reformare tentavimus, Episcopum Mindensem & proceres terræ ibidem undique in castris, (*) contrarios habuimus; sed Ducem *Wilhelmum seniore* Brunsvicensis nobiscum, & Papalem atque concilii Basiliensis auctoritatem. Dux ergo *Wilhelmus, Ludolphus de Barum*, supremus ejus Consiliarius; Prior tunc de Wittenborg *Rutgerus* & ego, intravimus ad eas in chorum ipsarum, convocatis ibidem Priorissa & cunctis sanctimonialibus. Dominus Dux pileo deposito nobis adstantibus dixit: Domina Priorissa & vos sorores omnes, volo ut reformationem assumatis & regulam vestram observetis. Quæ manibus ante pectus complicatis stantes, uno ore responderunt: Nos omnes pariter conclusimus & simul juravimus, quod nolumus nos reformare nec regulam nostram observare: rogamus, ut non faciatis nos perjuras. Quibus Dux ait: Malam datis responſionem: deliberetis vos melius. Quæ chorum exeuntes, festinè redierunt, & ad genua procidentés, manibus ante pectus complicatis eundem sermonem responderunt: Nos pariter juravimus, quod reformationem servare nolumus: precamur, nolite nos facere perjuras. Dux iterum respondit: responſio vestra adhuc non valet; ideo meliùs deliberetis. Exeuntes autem, secundò redierunt, & toto corpore super ventres in choro prostratæ, manibus ante pectus complicatis, tertio eundem sermonem responderunt: Quod pariter omnes juravimus, quod regulam observare nolumus: ideo perjuras nos non faciatis, oramus. Tunc Dux ait: Surgite, non sum dignus, ut me adoretis. Surgentes igitur, quædam earum lites habuerunt cum Domino *Ludolpho de Barum*, Ducis Consiliario. Tunc Duci dixi: quid prodest, quod hic stamus & cum Monialibus litigamus; exeamus chorum & deliberemus, quid jam agere debeamus. Exeuntibus igitur nobis de choro circa dormitorium, moniales statim omnes extensis brachiis & pedibus in modum crucis, ad pavementum chori super ventres suos se posuerunt, & altissimis vocibus Antiphonam: *Media vita in morte sumus*, per totum exclamaverunt. Nos autem hujusmodi voces audientes, putabamus, responſorium fuisse: *revelabunt cali iniquitatem Iude*. Unde Dux territus, totam suam terram metuebat interire. Cui ego dixi; Si ego Dux essem hujus patriæ, libentius tantum illum haberem quam centum florenos, quia non est super nos, & terram vestram, maledictio sed benedictio & ros celestis: sed super moniales istas durâ increpatio, & signum reformationis earum. Sed pauci hic sumus nec nisi nostram qua-

Qppp :

tuor,

(*) vicinis habitantes.

tuor, & multæ moniales. Si cum colis, & manicis suis longis lapidibus impositis, nos invaderent, quid faceremus? Vocentur ad nos plures in adiutorium. Tunc Dux solus ad chorum earum accessit, dicens: Hoc vos super corpora & animas vestras cantatis: & servis suis, qui cum monialibus in choro earum stabant, dixit: Veniatis vos huc ad nos; qui statim ad nos exilierunt. Moniales igitur Antiphona finita sequebantur servos illos usque ad nos, putantes, quod cistas & scrinia earum vellemus violenter aperire, & omnia nobiscum tollere. Congregatis igitur omnibus coram nobis, Dux ait: Cur non timuistis Antiphonam: *Media vita*, super me cantare; iuro extentis digitis ad sancta Dei Evangelia, quod vos reformare debetis, alioquin in terra mea vos nolo sustinere. Si Episcopus Mindensis & amici vestri in hoc se mihi volunt opponere, aut eos de mea terra ego volo eicere & expellere, aut ego inde cum baculo volo exire. Audientes hæc Priorissa & Conventus, territæ rogaverunt Ducem, ut amicos & cognatos suos ad se vocare possent, ut de eorum consilio facerent, quid facere oporteret: quod per nostram intercessionem tandem Dux, licet difficulter, concessit. Amici igitur, parentes & cognati earum ad certos terminos, per Ducem eis & nobis assignatos, ibidem nobiscum convenerunt: qui, sicut moniales petierant, in simili forma pro eis petierunt; cumque ii duabus aut tribus vicibus, eis pro deliberatione datis, in sua sententia permanissent: Tandem Dux de nostro consilio finaliter eis dixit: Vos hinc volo ut recedatis; nolo eis injuriam facere, sed volo omnino, ut se reforment. Statim amici earum & cognati præcipiti cursu de Monasterio, juvenibus eorum cum clypeis se sequentibus, exierunt. Mandavit igitur Dux, ut januam Monasterii nobis aperirent; quæ per nuncium responderunt: claves Monasterii se perdidisse. Tunc Dux de mandato nostro, quod id autoritate sua non potuit, longo arrepto scamno cum quibusdam rusticis & villanis in ostium ambitus Monasterii tam validè impegit, ut ejus repagula, vectem videlicet ferreum cum ostio confringeret, & ligneum vectem contrudendo etiam depelleret; quod lapides secum de muro quadratos in modum cussinorum sedilium ab utroque latere, cum aliis lapidibus minoribus, secum tolleret. Ita fortiter ostium illud contruserunt, sicut in castris vincendis ipse Dux sæpius egerat & devastandis. Aperta igitur janua ambitus Monasterii, intravimus, & in chorum earum ascendimus. Jacebant ibi omnes super ventres suos in morem crucis prostratæ, per circuitum earum ad circulum parvas habentes imagines ligneas aut lapideas Sanctorum ad longitudinem unius cubiti, & inter duas imagines cereum ardentem; ut eas, quas muri & repagula contra Ducem & nos defendere non poterant, saltem sancti cum luminibus invocati protegere dignarentur. Cumque Ducem & nos circumcirca se stantes vidissent, surrexerunt omnes, & ad nos venerunt. Tunc Dominus Dux, capucio sive pileo deposito, dixit coram omnibus: si adhuc vos vultis reformare, tunc volo vos in terra mea sustinere; sin autem non, tunc currus jam sunt parati, qui vos de terra mea evehere debent, forsitan nunquam redituras. Quæ responderunt: Abjiciatis monachos illos de collo nostro, tunc omnia facere volumus libenter, quæ jubetis. Dux ad hæc respondit; omnia quæ vobis dico & facio, de eorum consilio facio, Priorem de Wittenborch *Ruigerum* & me designans. Ego tunc dixi uni moniali mihi adstanti: Soror, faciatis, sicut Dominus Dux desiderat; nos pie & clementer volumus vobiscum tenere. Quæ cum indignatione respondit: Vos non estis frater meus, quare me sororem vocatis. Frater meus ferro est vestitus, & vos linea veste. Injuriam sibi factam putabat, quod sororem, & non claustralem virginem eam nominavi. Quia tamen Dux in sua perstitit sententia, finaliter responderunt, quod Præpositum non haberent. Si illum haberent, qui reformationem cum eis incipere vellet, tunc omnes paratæ essent eam incipere. In hoc verbo Dominus Dux & nos omnes assensimus.

CAPITULUM II.

De eodem Monasterio, quomodo reformationem inceperunt habito Præposito; & de una, quæ adhuc contradicens, sensus perdidit.

Habito demum Præposito, bene eis convenienti, videlicet Domino *Dirico Kornacker*, cum Dux & nos cum amicis earum reversi fuisset, assignavimus eis, quot fercula in diebus carniæ, & quot in diebus lactiniorum mane & vespere habere deberent; item quot pelliceas tunicas, calceos & cætera necessaria annuatim habituræ essent, ita, ut ipsæ & amici earum & cognati optime contenti essent. His ita dispositis, Dux & amici earum de Monasterio cum bona pace omnes discesserunt. Nos autem Patres, & Ducis Consiliarius cum suo Notario, ibi de nocte illa remansimus. Crepusculo vero adveniente, moniales pro Præposito suo novo miserunt, pro necessitatibus suis ipsi loqui habentes. Qui ab eis ad nos reversus, dixit: Domina mea Priorissa & Moniales dicunt, quod ita, ut promiserunt, servare nolunt, sed ut sunt & fuerunt, permanere volunt. Quibus auditis, eadem nocte nuntium curforem ad Ducem direximus, ut summo mane ad

nos rediret, & tot viros secum adduceret: ut, si forte *Episcopus Mindensis*, aut amici earum in castris habitantes, nobis & sibi resistere vellent & reformationem impedire, quod tunc eos cum potentia effugaret. Dux ergo *Wilhelmus* in crastinum mane venit ad nos cum ducentis aut trecentis viris, qui ad unum pene miliare à nobis vespere recesserat; & dixit mihi: Domine Pater Præposite, (sic enim me vocare consuevit) ego potius elegerem, quod Episcopus Hildesienfis vel Mindensis aut Comites de Hoyen me diffidissent, ut inimici mei capitales; quam quod adversus fœminas moniales sic armata manu venissem. Sed quod id mihi consulistis, & quod pro animæ meæ sit salute, ideo libenter feci & facio, quod à me desideratis. Minimus igitur tunc ad Priorissam & Conventum, ut ostia Monasterii nobis aperirent: quæ statim omnia ostia claustrum, per quæ intrare habuimus, nobis festinè aperuerunt, scientes, Ducem ex commissione nostra clavem regni & Imperialem, sanctique Petri Apostoli habere; quia ostium prius confractum per eum reparari procuraverant. Intravimus autem in earum tunc refectorium, & viri, qui cum Duce venerant, in ambitu earum permanferunt. Cumque Priorissa cum conventu suo ad nos vocatæ venissent, Dux omnibus dixit; quamobrem heri vobiscum concordata servare jam non vultis? Auditis super hoc earum defectibus & querimoniis, illos statim emendari curavimus. Posthæc mandavimus omnibus, ut Priorissa, & non Præposito, ut consueverant, facerent obedientiam. Ad quod omnes nobis, præter unam, consenserunt. Per totam enim Saxoniam, Thuringiam & Misniam Præposito suo, & non Abbatisæ aut Priorissæ, obedientiam solebant promittere; quod ego per totam terram, ubi visitavi seu reformavi, immutare consuevi, dicens, quod nullam Præposito obedientiam promitterent, nisi esset de Ordine suo eis prælatus & per Episcopum confirmatus. Talis enim non solus habitat cum Monialibus, sed etiam fratres secum habet sibi professos. Cum igitur Moniales omnes ad Priorissam in nostra accessissent præsentia, & manualem ei obedientiam præstitissent, illa una dixit: hoc nunquam faciam; quæ statim corruens in terram, sensus suos amisit. Cumque aliæ Moniales aquam frigidam in faciem ejus projecissent, & ligamina ventris & pectoris ejus dissolvissent, si forte posset respirare: permansit tamen sensibus privata; cumque per horam ita sustinuissemus, & non esset ei vox neque sensus, duo viri eam in sedem gestatoriam assumptes, de refectorio in infirmariam eam deposuerunt. Videntes hæc ceteræ Moniales, quod Dominus esset nobiscum, timore perculsæ, dexteras omnes nobis dederunt, & quod voluimus & mandavimus, gratanter in se receperunt. Omnia igitur, quæ mandari poterant, & vasa, è quibus comedere, bibere, aut (in quibus) coquere consueverunt, quæ eis peculiaria fuerunt, de mandato nostro in commune coram nobis ad refectorium deportaverunt. Quædam tamen dolentes, quod ita sua omnia resignare deberent: ollas suas tam valide à se projecerunt, ut pedes earum ad pavimentum confringerent. Posthæc omnes mihi aut Priori de Wittenborch confitebantur in domo capituli earum, me in uno ejus angulo, Priore in alio residentibus, & à nobis ab excommunicationis sententiis, quas propter inobedientiam inciderant, sunt absolutæ. Die sequenti cum eis in refectorio manducavimus; *Benedicite & Gratias*, more nostro cantavimus; inclinationum & stationum cerimonialia in choro & in refectorio eis demonstravimus; *Capitulum culparum* servavimus, & de singulis Ordinis nostri observantiis regularibus oculata fide ipsas informavimus. Et quia non cum austeritate sed cum pietate eas instruximus, dixerunt nobis: Nos prius putavimus, quod nimis austeri & inhumani fuissetis; jam videmus, quod, sicuti Angeli Dei, mansuetissimi estis. Plus jam vobis quam Domino Duci credimus. Dux autem cum posthæc ad Episcopum Mindensem in diatam venisset, occasione accepta durè eum redarguit, quod Moniales suæ Diœcesis nobis in reformationem consentire prohibuit, & nisi id revocaret, capitulis ejus voluit esse inimicus ad statim. Episcopus igitur, metu Domini Ducis compulsus, tandem nobis ad omnia consensit, ac etiam Prælatos suæ diœcesis nobis in adjutorium reformationis transmisit, ut post patebit. Cum ergo in carruca nostra duobus equis præcedentibus ego inde redirem, & ad angustum silvæ locum, ubi carruca vix pertransire poterat, pervenissem, duo compani ibidem stantes me expectaverunt, unus à dextris cum hasta oblonga in veste linea, alius cum arcu extenso, jaculo superposito, in anteriore parte ferreo, me volentes sagittis & hasta perforare & occidere; dicentes ad aurigam meum: expectate, expectate; & ego dixi eis: boni focii, quid mihi desideratis, vultis aliquid? Unus respondit: Bene videtis, quod aliquid volumus. Et dixi, quid tamen vultis? Responderunt: Inclusistis in *Wenniszen* Moniales, & amplius non exhibunt? Ille autem cum hausta, statim ad carrucam accurrerit, volens me perforare; alter arcum extensum levavit, jaculo me volens per sagittare; qui tamen territus, præ timore manibus suis contremuit. Tunc videns mortem ante oculos, cœpi cogitare: Hic in die novissimo te oportet resurgere, quia aut in pectore, aut in cor vel in caput tuum letale vulnus accipies. Propter sportam carrucæ infra cingulum non poterant me lædere, & habui securim manualementem in carruca: si propius accessissent, potuissem

sem me defendisse, eo quod tam tenuem ventrem habuissent sicut ego. Habui tamen bona & placabilia verba cum eis; præsertim cum audirem, quod propter Moniales præfatas me vellent invadere. Uni etiam proximiori dixi: Bone sociæ, date mihi manum vestram, extendens ad illum unam manum meam, & adjeci: omnes nos sumus concordēs, Episcopus, Dux, amici Monialium in castris, & ipsæ etiam Moniales; omnes sumus concordēs, date mihi manum vestram. Tunc ille cum hasta perrexit mihi manum suam, dicens: Bone Domine, vos Moniales in sua pace dimitteretis, quod bene decies plures vobis sunt insidiati, ut vos occiderent aut spoliarent vos equis vestris & omnibus quæ habetis, aut vulnerarent, seu molestias vobis multas inferrent? Sed Dominus Deus huc usque vos præservavit. Dimittetis ergo eas in pace. Interim quod ista cum eo conferebam, laicus noster auriga de equo descendit, stans circa eum, qui arcum extensum habebat. Qui dixit ad aurigam, quid tu facis modo? cui alter dixit, soror sis contenta. Videbatur autem mihi, quod frater ejus carnalis erat, quod tamen fateri erubuit. Tunc ille qui arcum tenuit, arcum sic extensum ad terram deposuit, & ad jactum lapidis à nobis recessit, ore sibilans, & manu contra silvam signum faciens, ut in latibulis suis reliqui permanerent, quia tunc pariter concordēs fuimus. Quia autem arcum tenens, tremore concussus fuit, quod arcum in sublime levatum sine commotione quietè tenere non potuit, creditur malæ fuisse voluntatis interficiendæ seu vulnerandæ. Sed Dominus Deus noluit, in aliud tempus me reservans. Illis igitur sic in pace dimissis, ego versus *Wittenborch* viam arripui. Prior de *Wittenborch* à remotis me in equo sequebatur; quem tandem videntes advenientem, etiam timuerunt me ulterius invadere, ne per eum vicinis convocatis, apprehenderentur. In *Wittenborch* pervenientes, quia propter labores autumnales pauci tunc erant in choro, ego in chorum intravi: ubi de Dominica Vesperas cantavimus. Tunc dixit Prior de *Wittenborch*: ego per illam viam amplius nolo pergere, pelli suæ metuens. Cui respondi: Ego in Psalmo, *Laudate pueri Dominum* in vesperis inveni, quod adhuc ad Moniales reformandas pergere volo, quia tam humilem adhuc me non sentio, quod dignus sim martyrio. Qui ait: si præmissis non obstantibus, vos adhuc ad Moniales vultis pergere reformandas, ego etiam pergam vobiscum. Altera die ad aliud Monasterium per eandem viam porrecturi, ad Castrum *Haltreborch* pervenimus, de quo duo quidam socii, nos illac venire conspicientes, ascensis equis descenderunt, hastas in manibus tenentes & calcaria splendida in pedibus; qui in vadum castri, ubi nos pertransire oportebat, se dederunt. Prior autem in equo me præcesserat. Tunc dixi aurigæ meo: ut video, compani isti propter nos de castro descenderunt, & nos & nostra jam requirunt. Qui respondit: Ego XIV. florenos darem, ut hic modo non essem, quia propter nos jam descenderunt. Cogitavi ergo intra me: alloqui eos volo, cum de aquis vadi ascenderint, ipsos salutando. Si me resalutaverint, tunc boni sunt & amici; si non, tunc quærent nobis malum. Dixi ergo eis, cum nos pertransirent: Bonum mane, vos boni socii, qui ad hoc non responderunt, sed dixerunt: Vultis iterum pergere ad Moniales? Respondi: ad illas non, sed alibi; statimque cum equis à nobis subtracti ad silvam, quo ituri eramus, nos præcesserunt. Tunc Priorem nos præcedentem vocavi, dicens: Videtis, quod isti nos præcedere & lædere quærent? Quo igitur vultis ire? Cumque moram ad deliberandum nos in via faceremus, dicti equestres se diviserunt: unusque in una via ante silvam, & alius in alia via ante silvam aliam nos præstolabantur. Declinavimus igitur à viis istis per agros extra viam ad castrum Domini Ducis *Wilhelmi* de *Brunsvich* in *Calenberg*. Quo pervenientes, vidimus eos ante silvas diversis in locis nos expectantes. Prandio autem ibi facto, castri illius Provisorum rogavimus, ut equitem cum Balista suo nobis concederet, qui nos, quo tendebamus, securè perduceret; quod & fecit libentissime, & ita manus eorum evasimus. Præfatum autem in *Wenniczen* Monasterium nunc in bona & competenti persistit reformatione & regulari observantia, excepto, quod in habitu & cantu nondum nobis sunt conformes.

CAPITULUM III.

De visitatione & reformatione Monialium in *Mariensee* Ordinis Cisteriensis, Diocesis *Myndensis*, & primo quomodo reformationi restiterint.

Monasterium Monialium in *Mariensee* Ordinis Cisteriensis *Myndensis* Diocesis per Ducem *Wilhelmum* de *Brunswyk* & per me ac Priorem in *Wittenborch*, *Patrem Ruthgerum*, hoc modo ad primam sui venit reformationem. Moniales ejus irregulariter, dissolutè & incontinenter vixerunt, in peculio & proprietate, Episcopum *Myndensem* in hoc habentes defensorem. Accepta etiam ab eis pecunia, dedit eis potestatem in vita pristina & mala permanendi. Dux tamen præfatus, quamvis id Episcopo fuit contrarium, coëgit eas ad se reformandum, & coëgit Episcopum, ut ambasiatores sibi mitteret ad hoc perficiendum. Misit ergo

ergo suffraganeum suum Episcopum Misinensem, (**) Dominum *Abbatem de Lochem* Patrem *Hinricum Hagen* Ordinis Cisterciensis, Decanum ad S. Johannem in civitate Myndensi, & Protonotarium suum, qui cum Duce, Priore de Wittenborch & mecum, dictum Monasterium Monialium ad reformationem perducerent. Cumque ad Monasterium pervenissemus, praefati quatuor, ab Episcopo Myndensi missi, primo soli ingressi sunt ad Moniales, inquirentes: an se cum bona voluntate vellent reformare, juxta mandatum Dominorum Episcopi & Ducis? Quae nullatenus eis in hoc consentire volebant; & una earum juvencula, velum & coronam de capite deposita, ante pedes Suffraganei projecit, dicens: Huc usque semper mihi dixistis, quod me reformare non deberem; modo ad reformandum me vultis compellere. Ecce, velum & coronam vestram; amplius Monialis esse nolo. Cumque nuntii Episcopi Myndensis ibi nihil proficerent, ad nos redierunt, dicentes: in mandatis se non habere, ut eis vim facerent, aut per fortes ad reformationem eas compellerent, sed totum nobis commiserunt; si etiam super summum altare se ponerent, ut omnes inde abstraheremus, & ad reformationem eas compelleremus, aut à Monasterio suo eveheremus. Quibus dictis, à nobis recesserunt. Dux ergo de consilio nostro quatuor currus cum equis suis ad ostium Monasterii jussit adduci, quibus Moniales rebelles de Monasterio suo eveherent. His auditis, Abbatissa & Moniales super testudinem chori & Ecclesiae fatis altè & latè conscenderunt. Tunc Dux quibusdam servis suis mandavit, ut extra Ecclesiam scalam ponerent, tectum Ecclesiae contingentem, & sic ad eas sub tecto ascendentes, inde eas extraherent, cui dixi; hoc non expediret, quia Moniales primum ibi ascendentes lapidibus prosternerent seu interficerent. Nobis etiam tractantibus & varios modos, quomodo inde avelli possent, colloquentibus: ego in Ecclesiam earum redii, & unam in choro adhuc ambulans videns, dixi ei: Nisi omnes ad statim de testudine Ecclesiae descendentes, ad Ducem ante portam ambitus Monasterii veniatis, adhuc hodie omnes capiimini & extra terram & dominium suum in curribus, ibi paratis, educemini. Vespere isto eritis in castro suo *Nyenstad*, cras in castro suo *Calenberg*; deinde extra patriam & terram suam, forsan nunquam rediturae. Quo audito, omnes perturbatae sunt & conterritae, & ideo de testudine descendentes, venerunt ad Ducem & ad nos, ante portam ambitus eas praestolantes. Tunc Dux Abbatissam interrogavit, an regulam suam servare & in Monasterio suo vellet permanere; quia si non, tunc statim currum ascenderet, & de terra sua exiret. Quae statim respondit: Faciam libenter omnia, quae vultis. Tunc ego singulas alias Moniales interrogavi similiter, quae omnes responderunt, libenter; praeter unam juvenulam, quae obedire contempsit. Videntes tandem Moniales ita fieri oportere, omnes nobis in reformationem consenserunt. In crastinum autem omnes Moniales Priori de Wittenborch & mihi fuerunt confessae, & à sententiis excommunicationis, quas propter inobedientiam inciderant, à nobis absolutae, Papali autoritate. Deinde chorum intrantes, *Te Deum laudamus*, alta & lugubri voce nobiscum percantaverunt. Ad communem igitur vitam ex illa hora usque in praesens omnes se dederunt; omnia sua peculiaria in commune deportaverunt; commoda sua privata fatis bona per nos destrui permiserunt. In choro cum eis cantavimus, in refectorio cum eis comedimus; capitulum culparum eis servavimus, & de singulis, quae ad reformationem earum pertinent, prout ipsi novimus, (quia alterius Ordinis erant,) eas informavimus. Quia igitur nimis altè Missas cum Capellanis cantabant, Capellanis altè inchoantibus & ipsis in eadem voce Monialibus respondentibus; ego ab usum istum ferre nolens, accessi ad chorum Monialium, & Praeceptor existens, incepti, prout Monialibus reformatis bene deservivit; donec per se eandem formam cantandi arriperent, & sine tali clamore, moderatè & religiose de cetero cantarent. Praefatae etiam Moniales, cum primo illac Dux, Prior *Rutgerus* & ego pervenimus ad reformationem eis insinuandam, omnino contradixerunt, & quando ab eis recessimus, in choro incipientes Antiphonam: *Media vim*, super nos altissimis vocibus decantaverunt, & per Ecclesiam cum tali cantu nos prosequentes, etiam candelas de cera ardentis super nos & contra nos in terram projecerunt; & una juvenula, extra Ecclesiam super cimiterium nos secuta, cum cantarent; *Sancte Deus, Sancte fortis, sancte & immortalis* &c. Trina vice cantando; genibus flexis etiam terram in signum nostrae maledictionis ter momordit, & lapides ac terram post nos projecit. Cui diximus: Hac vice de vestra reformatione superfedemus, sed in brevi revertemur; tunc oportebit, ut faciatis, quae pro salute vestra sunt facienda. Confessis igitur & absolutis, atque ad pacem reductis Monialibus, de consilio Ducis, Prioris & Monialium ego in curru magno cum quatuor equis & auriga inde perrexi in *Derneborg*, Monasterium ejusdem Ordinis Monialium diocesis Hildeshemensis, cum litteris Dominorum Episcopi Hildeshemensis & Ducis, pro Monialibus reformatis nobis concedendis. Et quia hora tardiori ibidem veneram, post completorium Abbatissae & Capitularibus in unum congregatis,

(**) f. Mynsensem (In MSC. Sultensi est Misinensem), qui etiam Episcopi Hildeshemensis fuit suffraganeus.

gatis, proposui negotium mihi commissum. Tunc Abbatissa ex ore omnium respondit: Venerabilis Pater, non propter litteras duorum, sed propter vestram paternitatem tres volumus vobis concedere Moniales, Priorissam nostram, & duas alias, vobis ibidem bene utiles, & propter Deum, & sanctam reformationem promovendam. Habito consensu exivi tunc de Monasterio. In crastinum autem Domina Abbatissa cum tribus istis Monialibus preparavit se, & currum omnibus mecum ascensis, perreximus per *Hildesheim* ad praefatum Monasterium; & Praepositus earum nobiscum in equo suo circa currum etiam perrexit nobiscum, (ut videret, ubi Moniales suas dimitteret) per octo milliaria. Priorissa illa de *Derneborus* assumpta tunc ibi fuit in Abbatissam; quae per annos jam XVI. in bona conservavit Monasterium & Moniales reformatione & regulari observantia, cum adiutorio fororum, de suo Monasterio sibi ad hoc concessarum, ad gloriam Dei & animarum plurimarum salutem perpetuam.

CAPITULUM IV.

De Monasterio Monialium in *Barsingehusen* Ordinis nostri, quomodo ad reformationem pervenit.

Monasterium Monialium in *Barsingehusen* Ordinis nostri regularissarum, diocesis Myndensis eodem tempore, anno videlicet MCCCCLV. etiam reformatum fuit; in quo Moniales per multa tempora dissolutam valde vitam habuerunt, in proprietate, in incontinentia & in inobedientia viventes; nullam pene claustralem servantes disciplinam, nisi quod chorum suo tempore communiter visitabant. Dux ergo volens eas reformare, multis modis id cum eis attentavit. Consiliarius autem Ducis supremus, Dominus *Ludolphus de Barum*, Plebanus in *Hanover* ad *S. Georgium*, vir prudens multum, & pro reformatione bene Zelofus, Priorem de *Wittenborg* *Rutgerum* & me in dotem suam vocavit, consilium à nobis requirens, quomodo ad earum reformationem possemus melius pervenire, varios nobis modos proponens. Cui tandem respondi: Dicatis vos, quid ego jam cogito. Respondit: Quomodo id scire possem? Cui dixi: Vos ista & ista nobis proponitis; non videtis, quis modus sit melior? Qui parumper deliberans, dixit: Iste modus est melior, ipsum plenè exponens, Et respondi: Hoc est, quod cogitavi, quia non vidi modum meliorem. Ex illa hora videns, me experientiam habere reformationis, libenter meum de cetero secutus est consilium in Monasteriis reformandis. Cumque Moniales ad se reformandas difficiles valde fuissent, Dux per currus voluit eas de Monasterio suo ejicere. Videntes igitur Moniales, quod amplius reformationem evadere non poterant, consensum tandem nobis dederunt. Et quia Moniales, quibus eas reformare debuimus, pro tunc habere non poteramus, Prior de *Wittenborg* *Rutgerus* & ego propriis in personis modum & formam sanctae regularis observantiae, in choro, refectorio, claustrum & capitulum ad oculum ipsis demonstravimus. In choro, quomodo stare, sedere, inclinare & cantare deberent, ostendimus; in refectorio mensas duas vel tres, ut singulariter comederent, disposuimus; *benedicite* & *gratias* cum eis cantavimus; capitulum culparum cum eis servavimus; & cetera ordinis nostri ceremonialia eis deservientia, prout opus habebant, verbis & rebus declaravimus. Ego autem specialem ad eas respectum ex commissione habui, & Pater *Rorgenis* ad Moniales in *Werder*. Et quamvis graciles erant, strictas albas tunicas & longas subtus habentes de panno; desuper autem vestes nigras lineas quasi transparentes, quas superpellicea vocant, habentes, non cinctas sed latas cum manicis, quas pro Cappis deferunt, sub quibus omnia membra sua videre poterant, quae palam subtus habebant: capitulum tamen culparum cum eis servantes, se ad terram super matram in medio positam singulae prosternebant, culpas suas coram nobis aut altero nostrorum, sicut informatæ à nobis fuerant, confitentes. Moniales istae ante adventum meum ad istas, coram Duce & Priore satis valide reformationi resisterant, ita, ut evectionem illarum de Monasterio suo ipsis minarentur; & etiam ad effectum perduxissent: ego tamen cum benevolentia, prudentia & mansuetudine perduxi eas ad omnia, quae volebam, ad veram reformationem pertinentia, quantum tunc in principio fuerat factibile. Mihi etiam semper satis fuerunt obedientes, & gavisae fuerunt in adventu meo, quando veni ad eas visitandas; & usque hodie in sancta vita & regulari observantia, per Abbatissam Ordinis nostri in *Viseke* informatæ, per annos quam plurimos permanerunt.

CAPITULUM V.

De visitatione & reformatione Monialium in *WERDER*. (*)

Monasterium Monialium in *Werder* Ordinis nostri Regularissarum Myndensis Diocesis prope oppidum *Hanover* ad unum miliare, in habitu, vita & moribus per omnia similes erant Moniali-

(*) vulgò Marienwerder.

Monialibus in Barfingenhufen, licet istæ magis benignæ essent & tractabiles, majorem virgineum habentes aspectum & conversationem, sicut verbis & moribus nobis ostenderunt; de bona communiter progenie, & ideo citius nobis in reformatione consentientes. Ad istas reformandas Prior Rugerus & ego, cum Duce Brunsvicensi *Wilhelmo* seniori, & ejus Consiliario Domino Ludolpho accessimus; & precibus primo, minis etiam adjunctis institimus, ut se reformari permitterent. Quæ propter Ordinis rigorem se nimium gravari posse metuentes, cum essent pro majori parte juvenulæ, pro primo nobis consentire trepidabant; malitiosè tamen nobis non responderunt, sed magis orando & supplicando, ne nimis gravarentur. Nomen enim reformationis ante ejus assumptionem omnibus videbatur importabile pondus. Postquam autem in sancta reformatione ad breve tempus perstitissent, & eam continuare incepissent, paulatim multum dulcescere cœpit, & eas in non parvum mentis gaudium & bonæ conscientie pacem perduxit. Consenserunt tandem nobis supplicantes, ut cum pietate benignè cum eis procederemus; quod etiam libenter fecimus, quia non perversè & rebelliter se contra nos erexerunt. Una tamen earum alta voce, in choro cum ipsis flans, contra Ducem & nos exclamavit, dicens: Nos nolumus reformari, nec morem nostrum antiquum relinquere, & aliam novam vitam assumere. Cui Dux respondit: Cur tu tam frontosa es, ut audeas, omnibus aliis nobis consentientibus, ita perversè respondere? aut debes te cum aliis reformare, aut de Monasterio tuo expelli invita. Quæ æque perversa permansit, verbis & moribus contradicens, quantum potuit. Tandem ipsum Monasterium clanculo egressa, publicè apostatavit. Cujus soror carnalis bona fuit & permansit, in Priorissam ibidem postmodum ordinata. Habito igitur consensu permanentium, chorum cum ipsis intravimus; inclinationes, stationes, & cætera Ordinis nostri ceremonialia, regularemque observantiam, ex toto eas informavimus; mensas in earum refectorio more nostro composuimus; capitulum culparum ipsis tenuimus; cum ipsis cantavimus, & more nostro cantare docuimus. Ex tunc usque in præsentem diem in competenti permanserunt reformatione, regulam & ordinis constitutiones, & cætera ad id requisita, diligenter observando.

CAPITULUM VI.

De Monasterio Monialium ad SANCTUM GEORGIUM PROPE HALLIS, quomodo reformationem primò inceperunt.

Monasterium Monialium Ordinis Cisterciensis diœcesis Magdeburgensis propè & extra oppidum Hallense exemptum est à jurisdictione ordinarii Archiepiscopi Magdeburgensis; quia ordini suo incorporatum, & à capitulo ipsius Ordinis *Abbati de Tynna* (***) commissum, qui confessorem, fratrem Monasterii sui, ibidem semper commanentem, ordinare solet. Unde & eisdem gaudent privilegiis, quibus totus ordo; & ita ordinarius loci nihil eis habet mandare de his, quæ ordinem concernunt, nisi in quantum de jure. hoc est, semel in anno eas visitare. Archiepiscopus ergo *Fridericus* tempore meo, cum essem ad *Novum Opus* Hallis Præpositus, non potuit eas per potentiam reformare; quia exemptæ, & per se ad reformationem non fuerunt inclinatæ. Contigit autem, quatuordecim Abbates Ordinis Cisterciensis Hallis servare colloquium, videlicet de Saxonia, Misnia & Thuringia de mandato Abbatis Cisterciensis; in quo Abbas de (***) *Valkenrode* præfatus fuit, vices Abbatis tenens Cisterciensis. Quod audiens Archiepiscopus Magdeburgensis, me misit ad Abbates præfatos, in concilio congregatos, ut nomine suo eos rogarem, quatenus inde non recederent, quin dictum Monasterium prius reformarent. Accepi mecum in socium Patrem *Godfridum de Tyela*, in *Windesem* mecum professum, qui Prioratum in *Wittenborg* resignaverat, & ad me in *Novum Opus* advenerat. Ivimus autem primò ad Monasterium Sancti *Mauritii* Ordinis nostri virorum, quod in via erat; ubi ipse potavit, & ego nolui; similiter ad Moniales. Reversi inde, Pater *Godfridus* eadem nocte infirmitatem incurrit incurabilem, qua & mortuus est. Unde quidam putabant eum intoxicatum. Ego autem nescio, Deus scit. Per nullam enim medicinam, nec per valentem & expertum medicum curari poterat, per *Magistrum Conradum*, Ducis Saxonie & civitatis Erfordensis & Hildenshemensis assumptum medicum; quia certa ignorabatur ejus infirmitas. Venientes autem ad Patres Abbates, intromissi sumus; quibus voluntatem Domini Magdeburgensis intimavi, dicens: Venerabiles Patres, Reverendissimus Dominus meus *Fridericus*, Magdeburgensis Archiepiscopus, misit nos ad vestras Paternitates, instanter rogans, ut hinc non recedatis, nisi prius Monasterium Monialium Ordinis vestri hinc prope civitatem reformetis, quod Ordini vestro noscitur incorporatum. Et adjeci, quod Dominus Magdeburgensis jam est apud nos in Novo Opere, vestrum personale sibi dari petens responsum. Miserunt ergo duos Abba-

(**) de *Cyna* vocatur in MSto Sultensi; alibi tamen de *Tyna* vel etiam *Tynna*.

(***) *Valkenrede*.

Abbatem ad eum, Dominum *Henricum* Abbatem in *Marienrode*, & Abbatem de *Michelstein*, respondentem, quod duobus Abbatibus ejus vellent committere reformationem. Quibus Archiepiscopus: Precor, ut in presentia omnium Abbatum ejus inchoetur reformatio. Cumque id omnes audissent, responderunt: Si Dominus Magdeburgensis personaliter velit interesse, tunc etiam presentes se vellent exhibere. Altera die Dominus Magdeburgensis cum aliquibus Abbatibus unam partem fororum examinavit, & Dominus de *Walkenrede* cum aliis Patribus aliam partem. Singulae autem Moniales super Evangelium seu regulam extensis digitis juraverunt, quod veritatem dicere vellent, super quibus interrogatae fuissent, & quanta bona peculiariter haberent; quanta etiam bona Monasterium haberet in communi. Quae omnia coram praefatis Praelatis statim in scriptis sunt redacta. Promittebant etiam tunc singulae, quod reformationem suam juxta Patrum suorum informationem libenter vellent suscipere. His ita peractis, Abbatibus de *Marienrode* & *Michelstein* commiserunt praefatum Monasterium reformandum, & tunc in castrum ulterius exsequendum. Post haec Abbas de *Walkenrede* valedicens Sororibus, ait: Devotae Sorores, nos Abbates post Dominum Magdeburgensem precamur, ut pro nobis oretis. Sed Praepositus Novi Operis Sororum non vult habere orationes; quia dicere consuevit, quod vellem magis, quod nunquam super me cogitarent: quia, si cum earum orationibus ad (*) *Tundali* pontem venirem, statim inde in ignem caderem. Et his dictis, a Monasterio omnes discesserunt. Ego autem, Abbatem de *Marienrode* & de *Michelstein* de hospitio suo seculari tunc educens, in Novum Opus ad me hospitio suscepi, cum eis dictum Monasterium visitaturus. Sequenti die, prandio in Novo Opere facto, anno Domini MCCCCLI. praefati Abbates, & ego, in Novo Opere Hallis tunc Praepositus, accessimus ad Monasterium *Sancti Georgii* praefatum, pulsantes ad ostium, ut nobis aperirent, ad visitationem earum perficiendam. Moniales ab intus responderunt: Patres Ordinis nostri Abbates libenter suscipiemus, sed Praepositum Novi Operis intrmittere nolumus. Haec ideo dixerunt, quia Prior ad Sanctum Mauritium Hallis Ordinis nostri dixerat Abbatissae: Praepositum Novi Operis ad vestrum refectorium intrare non permittatis. Quod si feceritis, tunc oportebit vos omnia facere, quae voluerit. Sic enim fecit nobis. Intravit ad nos in refectorium nostrum, & induit nobis habitum suum, habitu nostro, quem ultra ducentos annos portavimus, abjecto. Quamvis hoc ita fuerit, non tamen in serio, sed jocando id dicebat; quia optime tunc inde fuit contentus: Moniales tamen ita eis etiam futurum pertimescebant. Patres Abbates responsum hujusmodi earum audientes, mihi dixerunt, ut parumper me foras sustinerem: ipsi ad eas intrare vellent, & nihil ibidem sine mea facere praesentia. Ad Monasterium ergo earum in refectorium ingressi, ubi omnes congregatae erant, dixerunt: Venerabilis Domina & Sorores carissimae, audivistis heri, quod nobis a Patribus Ordinis nostri commissa fuit hujus Monasterii vestri visitatio & reformatio, & Praepositus Novi Operis ex parte Domini Magdeburgensis interesse debet. Nihil ergo sine ipso hic jam possumus efficere. Responderunt: Si sine ipso hic nihil facere potestis, tunc hinc recedatis; quoniam ipsum habere nolumus. Abbates responderunt: Si nos admittere non vultis, tunc vos, Domina, & vos Sorores Officiales, in Dei nomine excommunicamus, & super Conventum interdictum ponimus; & Praepositus Novi Operis, vester Archidiaconus, per totam civitatem vos excommunicatas publice denunciari mandabit. His dictis surrexerunt, abire volentes. Tunc Abbatissa & reliquae Sorores, genibus Patrum provolutae, rogaverunt, ut manerent. Siverunt ergo, ut intrarem: sed loqui non deberem. Miserunt autem *Capellanum de Michelstein* pro me, ut ad eos venirem, sed loqui non deberem; quia Sorores id nollent habere. Tunc dixi: Jam si intravero, tunc oportet, ut se reforment. Et factum est ita. Intravi earum refectorium, ubi Patres cum eis sedebant. Quaedam Moniales mihi assurgentes inclinabant, aliae non. Dum haec agebantur, singulae Moniales omnia sua propria, quae mandi poterant, & in quibus edere aut bibere seu coquere solebant, in communi deportabant, videlicet, amphoras stanneas, scutellas, ollas, cacabos, vitra & his similia. Tunc Abbas de *Marienrode*, qui praesidens fuerat & dux verbi, dixit mihi: Quid ultra faciemus? Ego autem digitum ori meo imposui, designans, quod loqui non deberem. Abbas dixit: Cum Monialibus loqui non deberetis, sed bene nobiscum. Tunc dixi: Hic non sunt omnia earum peculiariter bona; sed in commodis earum, quae inferius habent extra dormitorium, reliqua inveniemus. Statim Abbas exclamavit: Singulae Moniales ad propria sua commoda seu domos statim vadant: nos subsequemur. *Doctor Paulus* ad Sanctum Mauritium Hallis Ordinis nostri, & convivator meus, ad ostium Monasterii interim, quod circumire cepimus, pulsavit; & de voluntate nostra admissus, commoda earum nobiscum circumivit. Postquam omnia diligenter perspeximus, iterum ad refectorium earum regressi sumus omnes. Abbatissa vero cum quatuor aut quinque Monialibus senioribus suis accessit ad nos cum lacrymis & voce lugubri,

(*) *Tundalus*, natione Hibernus, patria Cassellensis, professione Carthusianus, refertur ad annum 1148. Reliquit librum apparitionum suarum, extantem in Bibliothecis quibusdam; ubi recenset, quomodo per pontem in Purgatorium S. Patricii venerit.

bri, dicentes: Venerabiles Patres, nos pauperes sumus sorores; reformationem & communem vitam propter paupertatem nostram servare non possumus. Permittatis ergo, nos, ut sumus, permanere. Abbas præfatus dixit: Volumus loqui & deliberare. Tunc dixit mihi: Quod jam datis consilium? Quid respondebimus? Ego autem dixi: si se propter paupertatem hic pariter nutrire non possunt, tunc dicant nobis, quot Moniales de Monasterii bonis hic possunt nutrire, tot hic volumus dimittere; reliquas omnes nobiscum in curribus volumus abducere ad alia Ordinis sui Monasteria in Hildensemensi & Halberstadenfi diocesis, ubi copiosè eis de necessariis providebitur. Quodsi propter paupertatem personarum remanentium horas suas cantare non possunt, placet nobis, quod tunc eas legant. Dominus Magdeburgensis sufficientes ad hoc nobis currus procurabit, ut eas hinc evehamus.

CAPITULUM VII.

Quomodo istæ Moniales ad reformationem se dederunt, & quid eis ad reformationem datum fuerit per Patres & seculares.

Moniales istæ ab Abbate de Marienrode hæc audientes, à nobis recedentes, deliberare voluerunt. Cumque tandarent nobis dare responsum, misimus ad eas *Abbatem Lapidis Sancti Michaelis & Doctorem Paulum*, ut eas de præmissis plenius informarent, si forte non bene nos intellexissent. Redeundes tandem ad nos, Domina Abbatisa nomine omnium rogando dixit: Mei Patres venerabiles, instanter obsecrando desideramus, ut nos omnes simul in Monasterio nostro permanere permittatis, quia Deum & sufficientiam habemus. (*) Libenter enim panem & lacticia comedere volumus, ut hic pariter remanere valeamus. Respondit Abbas: Nos loqui volumus. Recedentibus illis à nobis, Abbas dixit mihi: Quid vobis videtur respondendum? Dixi: jam dicunt, quod satis habent: sed cras aliter sunt dicturæ, sicut frequenter in aliis expertus sum Monasteriis Monialium. Confulo ergo, ut dicatis; si parentes & amici earum, qui annuos eis redditus dare consueverunt, quando in proprietate vixerunt, illos ipsis in communi viventibus dare voluerint, sicut ante, imo etiam meliorare; & cotidiana subsidia, sicut prius consueverunt, tunc eis dare; ut cum parentibus & amicis suis præmissa conferrent: Si post mensem unum ad ista consenserint, & tunc bene deliberato animo cum suis amicis dixerint, se ad comedendum & bibendum, & alia corporis necessaria sufficientiam habere, & hoc Domino Magdeburgensi intimaverint; tunc vultiseas in suo dimittere Monasterio. Sin autem, cum Dominus Magdeburgensis id vobis significaverit, tunc redire vultis, & in curribus eas de suo evehere Monasterio, ut prædictum est. Hæc ideo dixi, quia Abbates non poterant ibi diu permanere: jam tunc multa dicerent & promitterent, & parum aut nihil inde postmodum servarent. Si etiam Domino Magdeburgensi negotium à Patribus illis committeretur, tunc ipse id mihi ulterius committeret perficiendum. Sicut & factum est. Idcirco tunc oportebat, ut servarent servanda. Abbates ergo responderunt eis per omnia, sicut eis proposui, mensem ad bene deliberandum ipsis concedentes. Mecum autem ad *Novum Opus* venientes, chartam eis remittendam ego conscripsi; quam Patres figillantes, Domino Magdeburgensi, Monialibus transmittendam, tradiderunt. Abbatisa vero & Moniales post finem mensis ad me miserunt, dicentes mihi, quod omnia in regula sua & charta eis ascripta jam servarent, & in communi mensa comederent; quod hoc Domino Magdeburgensi, ut in mandatis haberent, referrem. Ego respondi: Dominus Magdeburgensis magnus est Dominus & Princeps hujus patriæ: oportet, ut ad eum mittatis; ut sciatis, quibus responsum dare debeatis. Cum hoc fecissent, Dominus Magdeburgensis misit me & *Doctorem Paulum*, pro responso ab eis suscipiendo. Quo pervenientes, Abbatisa cum quatuor sororibus ad *fenestram locutoriam* stans apertam, dixit nobis: Venerabiles Patres, dignemini dicere Domino nostro Magdeburgensi, quod jam omnia facimus, sicut debemus, & sicut in charta sua Domini Abbates nobis mandaverunt: communem mensam habemus, in refectorio omnes pariter manducamus, in communi vivimus, & cætera facimus, sicut oportet. Quibus respondi: Habetis chartam Patrum vestrorum? illam nobis ostendatis. Qua perlecta, dixit: Volunt vobis parentes & amici vestri annuos vestros dare census, ut consueverunt, & eos augmentare? Responderunt: libenter eos dare volunt, ut assolent, sed eos meliorare, nondum sunt deliberati. Tunc dixi: Bonum est, quod hoc jam habemus; quia in aliis Monialium Monasteriis reformandis expertus fui, quod illi, qui Monialibus, in proprietate viventibus, annuos census dare consueverunt, cum post in communi viverent, id facere negaverunt, dicentes, quod suas bene vellent nutrire, sed non omnes. Dixi ulterius: Vos Domina & hic stantes Sorores dicitis, quod jam servatis omnia servanda, & ita ulterius serva-

Rrrr 2

serva-

(*) phrasî Germanica, wir haben Gott und genug.

servare vultis. Hic pauca vestrum sunt: alia id possent denegare. Oportet ergo, ut refectorium vestrum intremus, & ab omnibus ista audiamus. Cunctis igitur Monialibus in refectorio earum nobiscum congregatis, dixi: Carissimæ Sorores, Domina vestra Abbatissa in præsentia quatuor Sororum dixit nobis ante fenestram locutoriam, quod diceremus Domino: Vos jam servatis omnia, quæ tenemini, & quæ Patres Abbates in charta vobis reliquerunt observanda. Placetne omnibus vobis, quæ dixit, & vultis illa libenter sic servare? Responderunt singillatim omnes per me interrogatæ: Libenter. Et ego: Si vultis, faciam in Ecclesiis per totam civitatem publicè prædicari, quod propter paupertatem vestram Patres Ordinis vestri volunt vos de Monasterio vestro ad alia Ordinis vestri Monasteria evehere, ad Hildensem aut Halberstadensem dioceses: si jam velint in eleemosynis vobis succurrere, tunc possitis hic permanere. Responderunt: Venerande Pater, utinam id facere velletis! perpetuas inde gratias vobis referre vellemus. Quod cum factum fuisset, viri & femina civitatis, ipsis compassæ ex corde, ne virgines illæ ad exteras terras eveherentur, tantum eis contribuerunt, ut toto illo anno de propriis bonis, in principio reformationis ab eis in unum comportatis, nihil attingerent. Ego autem ad statim duos eis transmissi currus magnos, frumentis plenos: unus triticum ad panes, alius brasium hordeaceum ad cerevisiam, per civitatem & forum ad Monasterium earum deferebant, omni populo aspiciente, in exemplum singulis juxta facultates suas similiter faciendi. Nos enim in oriente civitatis, ipsæ in occidente morabantur. Saccum etiam plenum caseis albis & parvis superposui pro lacticiis. Doctor Paulus, Præpositus ad Sanctum Mauritium Hallis, misit eis in subsidium reformationis unam aniam vini. Assumerunt ergo cum gaudio & bona voluntate observantiam regularem, in qua usque hodie, per annos pene viginti, devotè permanserunt.

CAPITULUM VIII.

Quomodo ad confessionem primò venerunt, & de morte Abbatis de Tynna.

Cum in principio reformationis earum Moniales reformatas pro earum instructione non haberem in observantia regulari, oportebat, ut per memetipsum eas in singulis informarem. Assumpto igitur Fratre probato, ad Monasterium earum introivi; cum eis in refectorio comedi, ad nolam sedi: Abbatissa cum alia sorore ad unum latus meum, & tunc alia Sorores seniores in alio latere mecum sederunt. Conventus autem à lateribus sedit, chorus contra chorum. Frater, qui mecum venerat, ad mensam more nostro cum accentibus nostris legit, circa fenestram sedens. Quando Monialis ad mensam legit, tunc ipse in superiori mensa mecum sedit. Una Monialis cum ancilla nobis ministravit. Quomodo capitulum culparum servare deberent, veniam prius petendo; culpas suas publicè confitendo; per ipsum eis oculata fide demonstravi. In choro cum eis in divinis fui, inclinationes, stationes, & alias Ordinis ceremonias, juxta modum & formam Ordinis, quantum mihi inde constabat, ostendi, & quomodo in claustris & dormitorio, in ambitu & laboratorio se habere deberent, declaravi. Cum igitur, ut præfatus sum, Monasterium earum Ordini & Monasterio de Tynna ex antiquo extiterit incorporatum: ideo confessorem Ordinis, ab Abbate de Tynna sibi deputatum, semper secum habebant commanentem; quæ etiam sub pœna excommunicationis Papalis nemini, qui non est de suo Ordine, sine speciali sui superioris licentia, poterunt confiteri. Confessor autem earum, quem tunc habebant, quantum ego reformationem earum promovi, tantum ipse nifus est eam impedire. Tandem dixi Abbatissæ: Consideravi, quod confessor vester reformationem vestram, in quantum potest, solet impedire. Necessarium ergo mihi videtur, ut ego Sorores vestras in confessione semel expediam; quia à Patribus vestris visitatoribus auctoritatem ad hoc recepi. Respondit Abbatissa: Sorores non audent vobis confiteri, propter mandatum Apostolicum & Abbatem de Tynna, & confessorem, nobis per eum transmissum. Respondi: Quia auctoritatem ad hoc habeo, dicatis eis: Confessor sedet in Ecclesia ante fenestram, ubi soletis confiteri; potestis ergo ibi ire, & confiteri. Priorissa igitur aut senior Sororum venit ad fenestram, & ex toto mihi fuit confessa, nihil dicens in principio confessionis suæ; sic incipiens in Teutonico: *Confiteor Deo cali & cætera*. Cumque finem confessionis suæ fecisset, dixi: Soror, scitis etiam plura? Quæ statim territa dixit: Estis vos Præpositus Novi Operis? Respondi: Etiam. Ait: Sum ergo Præposito confessa? Dixi: Ita. Ait: Quid nunc faciam? quid dicam? Respondi: Taceatis inde, quod ego audivi confessionem vestram, ut alia etiam veniant ad confitendum; alias sola estis mihi confessa. Quæ fecit hic. Absoluta à me recessit, tacens, quod mihi fuerat confessa. Venit alia post eam Soror, confessionem factura, dicens in Teutonico: *Ego cognosco me ream, & cætera*. Non dixit *benedicite*, sicut Sorores Ordinis nostri dicunt; ubi confessor responderet: *Dominus*, tunc *confiteor* dicunt

cunt in Latino; & confessionem dicunt in Teutonico, *quamvis interdum sint bonæ Latinistæ*, propter majorem erubescenciam & confessionis expressionem. Post finem hujus confessionis dixi ei, sicut & priori: Soror scitis plura? Illa etiam territa respondit, sicut prima. Et ego dixi ei, sicut primæ. Hoc modo omnes singillatim mihi confessæ fuerunt. Postquam ergo semel mihi confessæ fuerunt, elegerunt libentius mihi confiteri, quam proprio confessori, in Monasterio earum secum commoranti. Audivi per annum earum confessiones, & quando id mihi non vacabat, tunc aliquem de Fratibus meis ibidem mihi ad audiendas earum confessiones, non obstante confessore Ordinis earum præsentem. Audiens hæc Abbas de Tynna, male de me fuit contentus; unde & scripsit mihi: Si Ordinem suum ingressus, ita me haberem, ut mihi committerentur: tunc me proprium pastorem, ad vitam æternam eas perducentem, meritò sequerentur: jam me, alienum imitantes, nescirent, quorsum eas perducerem, & cætera similia. Hic Abbas de Tynna post hæc venit in Magdeburg, per Cardinalem Dominum *Nicolaum de Cusa* ad Capitulum provinciale vocatus, sicut omnes Prælati totius provinciæ quinque diocesium. Ad quem Abbas de *Marienrode*, & ego, in hospitium suum accedentes, rogavimus, ut nobis in reformationem Monialium illarum acquiesceret. Qui omnino nobis restitit, & in sua sententia contra nos obstinatus permanfit. Tunc Zelo Dei commotus, respondi; Domine Abbas, ut audio, vos reformationem earum vultis impedire. Dominus Deus non dimittet vos impunitum. Et ita frustrato nostro desiderio, recessimus ab eo. Abbas iste, antequam de civitate Magdeburgensi discessit, in gravem incidit infirmitatem; & antequam ad proprium Monasterium perveniret, mortuus, diem clausit extremum. Reformationem ergo earum nec ipse, nec sui amplius impediunt. Ideo usque in præsentem diem, in competenti bona perseverant reformatione.

CAPITULUM IX.

Quomodo Moniales ORDINIS BEATÆ MARIE MAGDALENÆ DE PœNITENTIA prope Hildesem primò reformationem inceperunt.

Monasterium Sanctimonialium, Ordinis Beatæ Mariæ Magdalena de pœnitentia nuncupatum, prope civitatem Hildesem anno Domini M CCCC XL, statim post reformationem Monasterii in Sulda, reformatum est. Fuerat ibi tunc Præpositus Dominus *Hermannus*, antea plebanus in *Ilten*; qui pestilentia tunc in Hildesem grassante correptus, lecto decubuit; & videns mortem ante oculos suos, misit ad me, in Sulda tunc Patrem Priorem, obnixè petens, ut Moniales suas assumerem ad reformandum. Cui respondi: quod hoc Priorissæ & senioribus Monialibus diceret: si illæ me rogarent, tunc facerem libenter. Domina igitur *Hillewigis de Hanensee*, soror Domini *Eghardi de Hanensee*, Præpositi Ecclesiæ Hildesemensis, honesta & prudens Domina, cum aliquibus de suis senioribus Monialibus pro me misit, dicens: quod de consilio Præpositi sui Domini *Hermannus* libenter se vellent reformare, obnixè à me postulantes, modum & formam perfectæ reformationis ipsis per me tradi & demonstrari. Quibus libens annui & consensimus. Mortuo igitur præfato Præposito, Dominus *Alberius Loppensede*, ad S. Andræam Hildesemæ Canonicus, eidem in Præpositura successit; qui valde diligens reformationem temporalemque & spirituales Monasterii illius profectum; laboravit, in quantum potuit, ut ipsa eorum reformatio debitum fortiretur effectum. Frequenter hic me sollicitavit, ut opus implerem, quod Priorissæ promiseram. Miserunt autem pro me, ut reformationem cum eis inciperem. Vocavi ad hoc Priorem de Wittenborch, *Godfridum de Teyla*, in Windesen mecum professum, qui autoritatem eas absolvendi habuit ab omnibus casibus & criminibus à Concilio Basiliensi. Similiter & Prior de Windesen mihi autoritatem suam in litera dedit patenti, sigillata, super eas, & super omnia Monasteria virorum & Monialium Ordinis nostri per totam Saxoniam; etiam absolvendi ab omnibus sententiis suspensionis & excommunicationis & interdicti, dummodo se vellent reformare; dispensandi etiam super omnibus, quæ horis Canonicis Beatæ Virginis in quibusdam Ordinibus & Monasteriis solent super addi: quamvis diu in reformatione & observantia regulari permanferint. Prior ergo de Wittenborg præfatus & ego ad dictas accessimus Moniales, gratiosèque ab eis suscepti, primo omnium earum audivimus confessiones, autoritate nobis commissa ab omnibus eas casibus & criminibus absolventos; de quo magnum gaudium valde in illo tunc extitit Monasterio, dum magno conscientia pondere sentiebant se absolutas. Procedente vero tempore Dominus *Eghardus de Hanensee* Præpositus Ecclesiæ Hildesheimensis, frater Priorissæ ibidem, cum consilio Dominorum Capituli sui, voluit etiam, ut ordinaria autoritate perfectè se reformarent. Misit ergo mecum Dominum *Borchardum de Hartenberge*, Canonicum Ecclesiæ Hildesheimensis, & Dominum *Rolandum de Elß*, Officialem curiæ Hildesheimensis, ad præfatum Monasterium,

rium, ut se plene reformarent; ubi invenimus Venerabilem Dominam *Hillegundam* Priorissam ad reformationem promittissimam. Ipsa enim primo eam ibi incepit, & sorores suas verbo & exemplo, cum omni benignitate & mansuetudine, ad hoc induxit & animavit, bona pecuniaria ab eis recipiens & in commune reponens, & ut regulam & constitutiones suas servarent, præcipiens & exhortans. Cum autem præfati Domini, & ego cum fratre meo *Johanne Bodiker*, in Sulta seniore, ad eas in refectorium intrassemus, & de ulteriori reformatione eis proposuissemus, de omnium ipsarum voluntate & assensu Priorissa dixit: Precamur, ut vos, *Domine Borcharde de Hardenberga*, & vos, Domine Officialis, hinc recedatis, & nos in pace dimittratis. Cum venerabili Patre nostro de Sulta, & cum fratre suo *Johanne Bodiker* bene concordabimus; sicut ipsi nos informaverint, libenter faciemus. Ordo enim noster ab ordinario loci est exceptus: idcirco ipsum & suos, nisi ad visitandum duntaxat suo tempore, difficulter admittimus; quod in jure Canonico ipsi novimus esse concessum, ut videlicet *Moniales sue Diœcesis, etiam exemptas, semel in anno, per se vel suos possit visitare*. Illis autem abeuntibus & multum gavisis, quod me & fratrem meum libenter vellent audire, & facere per nos eis proposita, statim inchoavimus ea, quæ nondum perfectè per se assumserant. Nam tres mensas in refectorio posuimus, unam in capite, & duas à lateribus, quatenus non in una mensa omnes, una contra aliam, ut consueverant, sederent; sed singulariter singulæ ex uno latere mensæ omnes sibi considerent; & in medio super mensam superiorem contra faciem Priorissæ titinabalum desuper appendimus, quo signa ante & post comestionem sororibus daret ad conveniendum seu de mensa surgendum. His ita dispositis ego accessi, & signum pulsavi, ut omnes refectorium ingrederentur. Quo intermisso, ego steti in tetro latere chori Priorissæ; dein ipsa cum sororibus de choro suo secundum Ordinem; frater enim meus stetit in capite chori finistri, & circa eum sub Priorissa cum choro suo sinistro secundum Ordinem. Puellas vero parvulas, noviter investitas, crinibus suis retro in collo præcis, statuerunt ex transverso contra mensam superiorem. Cunctis igitur in locis suis stantibus, ego more omnium religiosorum reformatorum, *Benedicite* præcinui, & frater meus, & ego cum eo, versum: *Edent pauperes*, quia cænandum erat in æstate, profecti sumus. Sorores autem, quia nunquam *Benedicite* cantaverant ad mensam in risum concitatae sunt, nihil nobiscum cantantes. Sed cum ad: *gloria Patri*, venissemus, inclinatis capitibus & scapulariis ad se attractis, ulterius nobiscum cantaverunt. Frater autem meus ad medium procedens, petivit benedictionem ad legendum. Benedictione finita ascendit ad Lectorium, & ego ad medium mensæ superioris. Priorissa cum alia sorore ad dextram meam, & alia duæ sorores ad sinistram meam ad mensam eandem se collocaverunt. Chorus dexter ad dextram mensam, & chorus sinister ad sinistram mensam se posuerunt; & una Monialis cum famula seculari omnibus nobis ad mensam ministraverunt. Unam amphoram parvam cum cerevisia ante me posuerunt, majorem tamen, quam duæ earum habebant, quam una haustu, si voluissem, poteram epotasse. Postquam semel inde bibi, hoc videntes, statim majorem mihi amphoram apposuerunt.

CAPITULUM X.

Quomodo in choro, in Capitulo & in cerimoniis sint instructæ, & de mutatione confessoris.

Cæna finita, cum omnes à comestione cessassent, nolam, contra me super mensam pendentem ad unum latus, parumper tetigi, ut sonum daret. Quo audito, Lector dixit: *Tu autem Domine miserere nostri*. Conventus statim cum inclinatione respondit, *Deo gratias*. Cunctis igitur in locis suis stantibus, postquam nolam pulsavi, ego ad locum meum vadens, cantavi: *Memoriam fecit mirabilium suorum*, &c. Et cum Psalmo: *Miserere*, chorum intravimus processionaliter, & ibi gratias complevimus. Non solum tunc, sed etiam alio tempore cum eis in prandio cum eodem fratre comedi in earum refectorio, videns, an omnia debite servarent, ut edoctæ fuerant: quia primæ fuerunt moniales, quas in Saxonia in reformatione instruxi, non habens Moniales reformatas, per quas informationem; videlicet in *Heiningen*, in *Stederborg*, in *Erankenberga*, in *Magdeburg ad albas Dominas*, & in similibus. Divinis etiam cum eis interfuimus; quomodo in inclinationibus, stationibus, sessionibus & in cæteris ceremonialibus se habere deberent in choro, eas instruentes; & quomodo in Festis præcipuis altius & solenniùs, in Apostolicis festis moderatius, & in ferialibus diebus simplicius & bassius cantare deberent, informantes; & ut nimiam festinantiam in cantu suo vitarent, sed magis morosè & religiosè cantantes, se reformatas in cantu suo demonstrarent. Similiter, cum horas suas Canonicas, sive de
beata

beata Virgine legerent, ut debitas in medio versuum pausas semper & ubique fervarent, & non nimis tractim nec nimis festinanter, sed medio modo legerent & persolverent, exhortati sumus. Capitulum culparum quomodo servare deberent, eas informavimus. Interrogabant autem, an illud capitulum ex Evangelio vel ex Epistolis Pauli sumi deberet? Quibus respondi: Capitulum istud est culparum propriarum, non lectionis sanctarum scripturarum. Accessimus ergo cum eis in domum Capituli earum, ubi ego cum fratre meo sedi ex transverso in capite domus ante fenestras, ac Priorissa & Moniales in lateribus, chorus contra chorum; chorus Priorissæ nobis à dextris, & Sub-Priorissæ à sinistris. Informaveram autem fratrem meum, quomodo & quid pro culpis suis diceret, ut modum dicendi culpas audirent & viderent. Dixi ergo ad fratrem meum: Frater Johannes dicatis culpas vestras; qui statim surgens in medium capituli, inter sorores super pavimentum de asseribus factum toto corpore se prostravit. Moniales vero stupefactæ mirabantur, quid frater ille antiquus sic ibi jacendo portenderet. Cui dixi: Surgatis! qui surgens, pavimentum prius osculatus est, & tunc super pedes constitit, dicens, Carissime Pater, est culpa mea: Ego risi in refectorio, quando legere debui *Benedicite*; ego in mensa circumspexi hinc inde; male custodivi oculos in choro & in refectorio; veni aliquando tarde ad chorum; sine licentia de choro remansi; silentium fregi locis & temporibus constitutis; ad fenestram sine licentia & teste interdum locutus fui cum extraneis, & in multis aliis negligenter me habui. Tunc ego dixi: Vult aliqua istum fratrem proclamare? Omnes tunc sorores me inspexerunt, nescientes, quid in verbis illis notare. Tunc dixi fratri meo: Frater, est malefactum, quod intra *Benedicite* videtis, & oculos vestros in choro & refectorio non melius custoditis. Cum extraneis sine licentia vobis loqui non licet & sine teste, nec ex choro sine licentia remanere vobis licet. Tunc iterum se prosternens toto corpore ad pavimentum, dixit: Est mea culpa. Cui dixi: Surgatis. Et osculato iterum pavimento, in pedes surrexit. Tunc dixi: Legatis *Psalmum*; *Miserere mei Deus*, & sedeatis. Qui inclinans, ad locum, quo pritis federat, ivit sessum. Tunc dixi omnibus: *Sic facietis omni sexta feria*. Singulæ enim sorores hoc modo culpas suas in Capitulo dicent, excepta Priorissa, & proclamationes tunc facient, ut ego jam feci; & omni *feria sexta*, dictis culpis, disciplinam à Priorissa vestra aut Sub-Priorissa accipietis, sicut ante reformationem omnes consuetæ fuistis & Moniales per totam patriam pro negligentis quotidianis. Moniales istæ annis tunc octo *confessorem* habuerunt *terminarium* in Hildesheim de Ordine Augustinensium, qui, quantum ego, ut in reformatione proficerent, laboravi, tantum ipse in secreto in confessionibus eas inde retrahere videbatur. Contigit autem, quod confessor ille diceret Domino *Alberto* Præposito earum: tot annis fui confessor earum; jam nihil ab eis habeo, nisi unam vel duas in tribus aut quatuor hebdomatibus refectionem. Vellem quod ab eis essem liberatus; alium bene sibi acquirerent confessorem. Hoc ideo dixit, quia, cum erant proprietariæ, plura ei manuscula dederunt in pecuniis, in clenodiis & speciebus. Jam, quia nihil proprium habebant, nihil ipsi dabant. Præpositus autem præfatus cum hoc audisset, quod à confessionibus fororum se exonerari postulasset, statim accessit ad Dominum *Eghardum de Hanenze* Præpositum in summo, fratrem Priorissæ, hæc ipsa ei insinuans & petens, ut eum licentiaret. Qui confessorem ad se vocans, in præsentia Præpositi earum dixit ei: Domine Confessor fororum in Hildesheim, regrator vobis, quia jam per octo annos sororem meam Priorissam & omnes alias Moniales Beatæ Mariæ Magdalensæ in Hildesheim in confessionibus expedivistis; & quia jam ab onere confessionis earum exonerari pedivistis, volumus vobis condescendere, & eis de alio confessore providere; & ubicunque vobis & Ordini vestro succurrere potuero, semper me paratum invenietis. Dicto confessore ita jam remoto, Dominus *Albertus* Præpositus earum, statim venit ad me in Sultam tunc Patrem, hæc ipsa mihi denuncians; & adjecit: Dominus *Magnus* Episcopus Hildeshemensis & Dominus *Echardus* in summo Præpositus; Priorissa etiam & Conventus Monasterii Beatæ Mariæ Magdalensæ de pœnitentia in Hildesheim, instanter petunt & requirunt vos, quatenus per vos seu per fratres vestros easdem sanctimoniales assumatis, in confessionibus eas expediendo, & in reformatione sancta, per vos ibidem inchoata, eas debite conservando; consilium, auxilium & favorem in cunctis suis necessitatibus ipsis præstando, ad gloriam Dei & animarum ipsarum perpetuam salutem; nolentes id à vobis denegari, quia primi earum fuistis reformatores, & certa habent documenta, quod olim earum fuistis Confessores. Cum hæc mihi in ambitu Monasterii nostri proposuisset, tandem de consilio fratrum meorum conreformatorem, *Hermannii Leonis* & *Johannis Bodiker*, assensum præbui; ne tantum bonum, ibidem bene inchoatum, per indiscretum Confessorem periclitari contingeret, in perpetuum animarum earum periculum & damnationem. Ego igitur & fratres mei in Sulta Ordinis Canonorum regularium, Monasterium illud Monialium Ordinis Beatæ Mariæ Magdalensæ de pœnitentia in Hildesheim, in spiritualibus habuimus in provisione ultra annos triginta tres, & eas semper in confessionibus interim expedivimus, & eas in bona competenti reformatione conservavimus, ut cunctis videntibus usque in præsens oculata fide palam datur cernere.

CAPITULUM XI.

De habitu istarum Monialium, quem portaverunt & nunc deferunt; de lectisterniis, de silentio & de Priorissis, quæ in reformatione eas usque hodie conservaverunt.

Ordo iste *Beatae Mariæ Magdalene de penitentia* nuncupatus, easdem habet Constitutiones per omnia, quas Ordo habet *Prædicatorum S. Dominici*; habitum tamen album cum scapulari albo semper deferentes. Moniales istæ *vela nigra super pepla alba capitibus suis habent imposta, & crines* (a) *capitum suorum radi non faciunt cum rasoriis, sed in occipite cum forpice super collum eos abscindi faciunt*, sicut omnes etiam faciunt Moniales cujuscunque Ordinis per totam Saxoniam, Misniam & Thuringiam. Sorores nostræ istæ ante reformationem & in principio reformationis suæ *pepla crispas*, vulgariter dicta *Ransê* deferebant, quemadmodum B. Mariam Magdalenam portasse existimabant, & *tunicas superiores usque ad cingula super pectora multum strictas*, ut graciles apparerent, & à *cingulis ulterius, usque in oram earum, multum latas cum multis plicis*, more secularium foeminarum. Ego autem cum fratre meo *Johanne Bodiker* animadvertentes, habitum istum non esse satis religiosum sed magis seculi præferre vanitatem, multis & piis admonitionibus successivè eas induximus, ut hujusmodi pepla crispas deponerent, & *pepla alba, simplicia, sine rugis capitibus suis reimponerent*; tunicas etiam suas, superius strictas, inferius latas & rugatas, per amplius non deferrent; ne seculi vanitatem & animi sui curiositatem magis quam religiositatem sequi viderentur: sed *de quatuor dumtaxat partibus tunicas sibi met facerent superiores, superius cum nodis constringendas*, ut exui faciliter possent propter disciplinas suscipiendas, more omnium per orbem Monialium reformatarum. Quæ tandem post plurimam nostram in hæc eadem exhortationem ad cuncta jam præmissa animo volenti libenter assensum omnes præbuerunt, & usque in hodiernum diem ita incedere delectantur. Super lectos de plumis, aut super saccos dormire consueverunt (*) *noppis impositis, linteamentum inferius habentes laneum, superius lineum, quod etiam laneum secundum statuta sua esse debuisset*. Unde quodam tempore circa jejunium dixi singulis, quod per tempus jejunii tentarent dormire sub linteamento laneo. Responderunt, quod sic non possent dormire, quia *noppæ linteaminum laneorum, in ora earum introeuntes, somnum earum impedirent*: sed si pepla contra facies earum linteaminibus possent assuere, tunc libenter vellent sub eis dormire. Cum illud omnibus concessissem, acquieverunt placito, & jam laneis dumtaxat utuntur linteaminibus, & *laneis camiseis præcinctis*, nisi fuerint infirmæ, aut alia necessitate cogente. Habent in constitutionibus suis, quod, quæ inter duo capitula culparum semel frangit silentium, pro penitentia agere debeat, (& quidem, pro pluribus vicibus silentiis fractis,) tot vel tot disciplinas; aut toties ad terram comedere, & similia. Ordinavi igitur juxta earum statuta, ut omni die feriali mane post primas capitulum fervarent culparum, & quæ in aliquo rea fuerit, hoc ibi tunc dicat; quæ non, nihil ibi tunc dicat: & in sextis feriis omnes culpas suas dicerent, & post completorium singulis diebus domum capituli pertranseuntes, quod est inter chorum & dormitorium, in via disciplinam acciperent à Priorissâ aut Sub-Priorissâ, unam vel duas, de mane in capitulo eis impositas. Septem enim verbera, cum virgâ data vimineâ, *unam faciunt disciplinam*, ut septem peccata mortalia cum suis dependentiis per ea deleantur. Sic enim cunctas per Saxoniam Moniales informavi. Si duas desiderant disciplinas, tunc alia septem addunt verbera, & ita ulterius. Tales tamen possent excessus delinquentium esse notabiles, quod ad unam disciplinam plura meritò addi deberent verbera. Sextis tamen feriis omnes, culpis suis dictis, à Priorissâ seu ab ea, quæ fervat Capitulum, communem accipiunt disciplinam, more omnium Monialium Saxonie, ut prædictum est. Habent etiam in Statutis loca & tempora filendi & loquendi non satis debite expressa, & minus eis convenientia, & hoc tamen per licentiam. Disposui vero, ut *mane post Primas*, de Capitulo exeuntes, *licentiam à Præsidente petant loquendi*, videlicet, quod loqui possint ad invicem locis & temporibus per nos eis constitutis, de rebus utilibus & necessariis. Sed in locis in jure prohibitis, dormitorio, oratorio & refectorio, perpetuum servabunt silentium, & maximè post completorium profundum silentium; & infra horas regulares tempore, quo divina in choro servantur, omnino silebunt. Habent etiam in consuetudine bona, quod post confessionem, cum communicatione sunt, illo die non loquantur, nec ipsa die communicationis earum: si tamen ita oportuerit, tunc paucis verbis *in Latino* loquantur, quid opus habent. Tunc enim ante prandium manent in divinis, aut cantando horas missam, & cætera, aut audiendo primas Missas; & tunc post prandium manent in cellis aut in choro, & in hieme in refectorio, orantes, devotè meditantes, seu sacros codices perlegentes, de quibus ad cordis compunctionem & mentis

(a) nec crines capitis per valla abradant, sed in occipite super collum per forpitem abscindunt.

(*) nappis.

& mentis devotionem se possunt exercitare. Tres etiam in reformatione jam habuerant Priorissas; quarum prima fuit *Hillegundis de Hanensee*, ut prædixi, quæ XV. annis ante reformationem & IX. annis in reformatione in tali fuit officio; quæ etiam reformationem sanctam ad se primo assumpsit, virgo proba & honesta, sanctæ conversationis & maturitatis cunctis diebus vitæ suæ permanens. Unde & à fororibus suis & etiam à secularibus in honore & reverentia, condigna moribus suis, habebatur, qui bonam ejus voluntatem & promptum animum, ad se & suum Monasterium reformandum, plurimum collaudabant. Habuit enim zelum bonum pro domo Dei & regulari observantia usque in finem vitæ suæ, publice & durè contrascentes redarguens. Nunquam aut ad me, ante januam seu fenestram vocata, sola venit, sed communiter Sub-Priorissam suam secum assumpsit; nec otiosa coram nobis stetit aut sedit, sed cum laneo glomere & instrumentis, sibi ad hoc aptis, venit, caligasque aut foccos, mecum loquens, texere consuevit. Tunicas etiam superiores de albo grosso panno, non bene lato, communiter tunc fuit induta, serialibus præsertim diebus, cum quibus etiam advenientes hospites deforis frequenter visitavit. Sæpius enim miratus fui ejus in hoc humilitatem, eo quod aliter educata, talia non abhorruit, ut ego; quia naturæ meæ erant contraria. Fuerunt etiam ibidem duæ aliæ sorores, una senex, alia mediocris, quando ego ibi veni, conventum ad colloquium vocans; quæ semper in albis, splendentibus ut nix tunicis & peplis incedebant; quas vix videre poteram, ita eas abhorruï; quia nec nitida nimis, nec plurimum abjecta vestimenta deferentes semper honoravi. Domina ista ante mortem, Prioratus sui officium libere resignavit, ut quietius viveret & conscientiam suam ad æterna gaudia præpararet.

CAPITULUM XII.

De duabus aliis Priorissis, quomodo dictum Monasterium in reformatione conservaverunt; & de statuta temporalium ejus.

Postquam Domina Hillewigis officium Prioratus sui resignavit, Domina *Gertrudis de Harlesem*, ejus Sub-Priorissa, de ejus consilio electa fuit in Priorissam, filia civis *Hildeshemensis*; quæ dictum Monasterium per annos XV. in competenti bona reformatione cunctis diebus vitæ suæ fideliter conservavit. Non est enim parvum bonum tot virgines, tricesimum numerum excedentes, infirmioris sexus personas, in virginali custodia, in Ordinis rigore, in pura conscientia & pace bona debite conservare; quod plus esse, quam miracula facere, vero iudicio, sicut expertus sum, judicarem. Huic multa adversa, etiam quædam prospera, in hujusmodi officio degenti, occurrerunt, interdum de propriis suis personis, aliquando ab extraneis; quandoque in spiritualibus, nonnunquam in temporalibus. Sed quia reformationem sanctam plurimum dilexit, & se suumque conventum de consilio nostro, quando Præpositus fui in Sulta, & de consilio Priorum in Sulta me subsequens, quando Hallis fui Præpositus, & quando in *Windesem* reversus fui, semper rexit & gubernavit; ideo in bono statu se & conventum suum semper conservavit: & cum in *Windesem* reversus fui, litteras nomine suo & Conventus mihi direxit, infinitas gratiarum actiones mihi referens pro labore & servicio, ipsis omnibus fideliter impensis, prospera multa mihi precando. Hujus tempore Priorissæ Monasterium Monialium ejusdem Ordinis in *Frankenberg* in *Goslaria* fuit reformatum, ubi plures miserat pro ejus reformatione sorores; quarum unam *Alborgim Cramers* ibidem in Priorissam elegerunt, & aliam *Gertrudem Vromeken* in Procuratricem. Similiter in Monasterium *Heiningen* Ordinis nostri etiam duas, pro ejus in principio reformatione, concessit sorores, videlicet *Albeiden Verden* cum alia; & in *Stederborch* Monasterium Ordinis nostri etiam sororem *Beatam de Harlesem* cum alia sorore: quæ Monasteria usque hodie in bona permanent observantia regulari. De eadem Priorissa, quomodo diem clausit extremum, habetur in Lib. III. hujus operis, & quod ad regna pervenit cælestia. Huic in regimine successit per electionem Domina *Margaretha de Hanensee*, amita & cognata primæ Priorissæ superius positæ, quæ jam per annos octo suam fecit diligentiam, & sicut ordo & observantia regularis à prædecessoribus suis servatus est, ita in esse & in bono profectu satagit Ordinem & observantiam regularem custodire, & quantum potest, se ipsam & sibi subiectas in anteriora & salutis viciniora perducere. Frequentius à Deo bonas in hoc ipsum habet inspirationes & internas Dei allocutiones; licet diversis modis impedita, in effectum aliquando non possit perducere, quandoque à se ipsa, aliquando ab aliis. Indubie speramus, reformationem Monasterii sui, quam prædecessores sui nondum perfecerunt, per ipsam successu temporis ad plenum consummandam. Hujus tempore ad instantiam Abbatissæ, tres sorores missæ fuerunt in Monasterium Ordinis nostri Monialium in *Viseke*, videlicet *Dorothea* & *Anna*, ambæ dictæ de *Warendorpe*, de *Lubike*, & soror filia de *Stenberge militaria*, pro informatione Monialium ibidem in *scientiis Grammaticalibus*, & in ceteris, & in cantibus; quæ ibidem per annum permanserunt. Monasterium illud in temporalibus satis abundat,

Ssss

&

& in fororum suarum necessitatibus satis est provisum, & in ceteris, ad reformationem requisitis, competenter dotatum, ita ut absque omni temporalium rerum penuria libere & absolute, sine notabili extrinseco impedimento & cura superflua, die ac nocte Domino Deo suo bene possint regulariter deservire. Non enim gravibus occupantur externis laboribus, sed, ne otiose & verbosè, sicut plerisque Monialibus moris est, claustrum suum circumstant; manuum suarum laboribus, cum ab officio divino eis vacuum fuerit, moderate solent insistere, & nere, filare caligas, manicas & soccos neetere; & inter laborandum septem Psalmos & vigiliis, omni pene die seriali, perorare; ante prandium septem Psalmos, post prandium vigiliis, ex earum Constitutionibus. Anno autem presentis, videlicet LXXII, propter contentionem Electi & Postulati Pontificum, inter se concertantium, & totam pene Diocesim rapinis vastantium & incendiis; maxima temporalium bonorum suorum sustulerunt dispendia, agrorum & coloniarum suorum combustiones, & pecorum ablationes. Sicut omnia in, & prope Hildeshem Monasteria cujuscunque Ordinis fuerunt passa, sic & ipsa; quemadmodum *Caribuscenses* & *Benedictinenses* similiter, & quidam *Canonici seculares*, ut ajunt, ultra mille florenos Renenses in bonis suis perdiderunt, nihil unquam pro restauratione recepturi. Praefatum autem Monasterium jam ultra triginta tres annos in sancta permansit reformatione, in qua Domina *Margaretha*, pro nunc Priorissa, cum ceteris suis sororibus sanctimonialibus, sicut & omnes ante eas a tempore reformationis, juxta Prioris de Sulta & fratrum ejus, confessorum earum, consilia, in regula & statutis & ceteris Ordinis observantibus libenter se rexerunt; & quamdiu id ita servaverint, in bona permanebunt regulari observantia. Sexus enim femineus sine viris probatis & reformatis, & eorum sanis consiliis, ad meliora eas saepius vocantibus, in debita regulari observantia diu non potest subsistere. Ad oculum etiam videmus, nullum Monialium Monasterium cujuscunque Ordinis, quarum in Saxoniam, Misnia & Thuringia non est parvus numerus, in bono proposito, sancta vita & reformatione debita sine Patribus reformatis diu persistisse: quoniam, ubi Moniales & devotae sorores certis temporibus non confitentur, non communicant, Capitulum culparum omni hebdomade ad minus semel non servant, a Patribus suis omni anno non visitantur; (sicut Papa mandavit, quod Episcopi per se vel suos ad hoc deputatos, omni anno, etiam exemptos, sub mandato & poena peccati mortalis debent visitare) tales Moniales & sorores ab observantia regulae & vita religiosa ad vitam dissolutam, Deo & hominibus odiosam, in animarum suarum grande periculum & damnationem perpetuam, cito prolapsas frequenter vidimus & audivimus; quae primo per vitae dissolutionem, Dei timore sublato, ad proprietatem in parvis rebus, dein in majoribus rebus, ac porro in peculium pecuniarum ac vestium declinantes: tandem ad carnis desideria & ad incontinentiam sensuum exteriorum, & sic ad actum nefarium prosilientes, omni immunditiae & spurcitiae successivè se tradere non verentur. Sic non itur ad astra, sed in profundum inferni. Soli citè igitur sunt Praelatae & Moniales, in aliqua reformatione viventes, quatenus regulam & constitutiones suas exactè conservent; & Patres habeant, approbatos viros, regulam suam observantes, ad quos in omnibus dubiis suis possint recurrere, & eorum consiliis securè se committere; qui eas exhortari non omittant, quotiens opus fuerit; ad minus semel in anno visitent & videant, si bene aut male omnes & singulae ordinem suum servant. Quoniam regulam & Ordinem suum servant in statu sunt aeternae salutis & in rectissima via, quae ducit in caelum, juxta Salvatoris nostri sententiam; qui omnia relinquentibus & se imitantibus centuplum repromittit, & vitam aeternam perpetuo possidendam.

CAPITULUM XIII.

De Monasterio Monialium in *Derneborg* Ordinis nostri, quomodo primum inceptum est reformari, & de habitu ipsarum & confessione.

Monasterium Monialium in *Derneborg* Ordinis fuit Canonice regularium, ad duo miliaria distans ab *Hildeshem*, in quo Moniales diu in proprietate, in vita dissoluta, incontinenter, ut fama publica volabat, vixerunt. Magnus igitur *Hildeshemenfis* Episcopus, & ejus venerabile Capitulum, misit me in Sulta Patrem cum Domino *Borchardo de Hardenberge*, in summo ibidem Canonico, & Domino *Rolando*, curiae Episcopalis Officiali, ut illud reformarem. Moniales istae regulam almi Patris Augustini professae, eam non servabant; de Monasterio suo, quando volebant, exhibant, licentia tamen a Priorissa petita; longo tempore foras aliquando permanentes. Aliud pene nihil, nisi sanctum seculare, id est, habitum antiquum, cantum secularem, disciplinam corporalem, & chorum, quando volebant, frequentantes, cum certis antiquis ceremonialibus observabant. Ad informationem igitur nostram, dederunt se ad vitam communem, & Domini praefati totum negotium reformationis earum mihi committentes ex parte Dn. *Hildeshemenfis*, inde

reces-

recesserunt. Ego autem cum fratre meo, qui mecum ibi erat, ab eis omnia propria & peculiaria suscepi, ut sic de cetero in communi viverent. In refectorio earum mensas posui, superiorem pro Priorissa & senioribus, & alias mensas ab utroque latere, ut chorus contra chorus ibi sederet & manducaret. Comedi ibi cum eis ad nosam sedens in mensa superiori, Priorissâ cum una mihi ad unum latus, & duabus aliis sororibus ad aliud latus confidentibus. Monialis una cum famula seculari nobis ministravit; alia Monialis ad refectorium legit multum bene sine titubatione. Chorum cum eis visitavi, in inclinationibus, stationibus, sessionibus, cantibus & ceremoniis ceteris eas informavi. Capitulum culparum pluries eis cum fratre meo tenui, fratre meo primo culpas suas coram eis confitente juxta meam informationem, prout eis conveniebat. Dein ipsæ omnes singulatim, excepta Priorissa, ad mattam se prosternentes & surgentes, culpas coram me Præsidente & Conventu, collateraliter assidente, proferebant. Cum autem primum mihi confiteri debuerunt, timuerunt valde, dicentes, quod tam grandem pœnitentiam, sicut ego in aliquo excedentibus imponere consuevi, nequaquam portare prævalerent. Audierant enim, quod frater quiddam in Sulta tres culcos, in gutture cum homines potant, apparentes, semel plus potaverat quam mihi bene placuerat: & quod tunc ipsi injunxi pro pœnitentia, ut tribus horis jaceret ante mensam nostram in refectorio, magnum os equi mortui in ore habens ex transverso; & cum unus de fratribus hoc videns solveretur in risum, ego accipiens amphoram sive crufibulum, projecit illud tunc in os & faciem ejus. Hoc pro certo tenentes, fama illa per totam terram illam de me volante, addiderunt: Nos virgines sumus & puella; tam grandem pœnitentiam pro tam parvo delicto facere nequimus. Quibus respondi, dum hæc flentes mihi narrarent: Reverenda Domina & sorores, totum falsum & mendacium est, quod de me audistis; quia tribus horis comedere non solemus. Sitis in bona pace; bene pariter concordabimus. Fama ista de potu & pœnitentia per me injuncta, ab aliquo Campano (Compano) conficta, per totam civitatem Hildesheim & per totam patriam usque in Luneburg, publice in conviviis cum vino & cerevisia publice recitari consueverat, ejus impossibilitatem non advertentes; nihil aliud invenire valentes, quo tunc reformationi se opponerent. Postquam autem semel earum audieram confessiones, libentissime mihi confitebantur. Per tres enim annos continuos confessor earum permansi, quia ante earum communionem per unum vel duos dies ad duo milliaria pedester illac ivi cum socio fratre vel laico, ad expediendas eas in confessione, & post earum communionem sequenti die etiam pedester ad duo milliaria redii in Sultam, non sine corporis mei interdum fatigatione. Sed, ut eas ad sanctam & bonam vitam possem perducere, libenter id feci. Tria tunc habui Monialium Monasteria, quæ primo ad reformationem perduxî, & eas in confessione necesse habui ante communionem earum ad quindenam aut paulo plus expedire. Primum fuit in Hildesheim *ad Albas Dominas*, quia albas tunicas & scapulare album desuper ferunt, pepla alba in capitibus & sub mento deferentes, & velum nigrum super omnia capitum suorum pepla & velamina, & sunt Ordinis Beate Mariæ Magdalene de Pœnitentia. Secundum Monialium Monasterium, quas in confessionibus habui expedire, est præfens Monasterium in *Derneborg* Ordinis nostri, ubi tribus annis per me aut fratres meos fui confessor. Tertium est Monialium Ordinis Sancti Benedicti, ad unum milliare distans de Hildesheim, *Escharde*. Mutavi ergo vices in confessionibus earum audiendis, quia nunc in Hildesheim, nunc in Derneborg, alio tempore in Escherde eas in confessionibus expedivi per meipsum; & tunc ad alia Monasteria alios misi fratres meos ad audiendum earum confessiones, ut ipse scirem & audirem, quomodo in singulis istis staret Monasteriis; an proficerent seu deficerent in temporalibus & spiritualibus rebus. Monasterium nostrum in *Sulta* fuit primum Monasterium, in & prope Sultam reformatum, dein *sorores ad Albas Dominas*, dein *ad S. Michaelem* virorum Ordinis S. Benedicti. Ultimo *ad S. Godebardum* ejusdem Ordinis S. Benedicti. *Carthusienses* prope civitatem Hildesheim semper in regulari observantia à principio suæ institutionis ubique permanserunt, & *Monachi Ordinis Cisterciensis* ad quartale milliariis de Hildesheim etiam suo modo inveni in sua reformatione; qui tamen pleraque, in ipsis delapsa, temporibus nostris etiam recuperare studuerunt & emendaverunt, quod *Marienrode* nuncupatur.

CAPITULUM XIV.

Quomodo Moniales istæ ad reformandum difficiles; quæ comedere debent, emittebant; & quomodo reformationem suam ad huc evadere laborabant.

Cum præfatum Monasterium in *Derneborg* primum reformare debui, Moniales istæ valde difficiles ad hoc se reddiderant. Panes enim, carnes, caseos & similia, quæ ipsæ comedere debue-

debuerunt, mulierculis & puellis, ad fenestras seu januas ambitus ad se venientibus cura sportis & sacco lineis, dare consueverunt, ut dicere nobis possent, quod non haberent, unde in communi viverent; & ita earum reformatio propter paupertatem impediretur. Etiam per hoc efficere gestiebant, ut parentes & cognati earum, qui annuos eis redditus dare consueverant jure hæreditario, aut aliàs apud se dispositos, ante reformationem, quando in propriis vixerunt; post assumptam communem vitam tales eis redditus dare denegarent, communitatem nutrire nolentes, qui proprias filias seu neptes de propriis bonis suis libenter enutrierant. Hæc & his similia, à Monialibus informati, dicere & facere consueverunt. Nihil tamen eis profuit, sed ad reformationem se dare oportebat. Quando ista & his similia in isto expertus fui Monasterio; idcirco in aliis Monialium Monasteriis, per me reformatandis, id antea disposui, ut amici, parentes & cognati earum, antequam reformationem assumerent, apertè promitterent, omnia filiabus & cognatis post reformationem se daturos, quæ antea ipsis dare consueverant, imo ut etiam illa meliorarent; alioquin de proprio Monasterio ad alia ejicerentur & eveherentur. Quod ita in multis Monialium Monasteriis factum vidimus & audivimus. Contigit autem, socium quendam vagum secularem in *Derneborg* tunc advenisse; cui Moniales ibidem conquestæ fuerunt, quod non haberent, unde viverent, & in magna egestate reformationem servare deberent, non adjicientes, quod à se abjicerent, quæcunque possent, ut reformationem evaderent. Laicus iste venit ad me, longum habens cultellum, ut gladium, in cingulo suo de collo pendentem; & ego cum fratre *Johanne Bodiker* Seniore nostro per pratum *Klingenberg* circa Monasterium nostrum ire volui in castrum *Marienborg* ad Præpositum in summo, ibidem tunc commorantem. Cumque pratum illud introissem, stans sub arbore ilice, companus iste ad me clamavit de platea: Ubi inveniam Abbatem de Sulta? Cui dixi: vultis ei aliquid? Respondit: Si eum haberem, bene sibi dicerem. Quia ergo verba sua & apparatus mihi non placuerunt, idcirco respondi: Eatis ad Monasterium ad jactum lapidis inde; ibi vobis, ubi sit, bene dicent. Qui continuo ad nos sepem transiliens, venit, dicens: Forte vos estis, quem quæro! quare Moniales in *Derneborg* ad reformationem compellitis, cum non habeant ad manducandum? Ego potestatem à Domino Hildeshemensi accepi prohibendi vos, ne amplius illuc eatis. Post hæc retro me vadens, magnum suum extraxit cultellum, caput meum per medium volens secare & occidere. Quod primum non vidi, sed frater, qui mecum erat, hoc videns, cucurrit ad stipitem, non remotè illuc jacentem, volens me defendere. Duo autem cives, ante portam civitatis stantes, & aspicientes, quod cultellum tanquam gladium extraxisset, & retro me stans, illum in altum elevasset, ut me percuteret; cum impetu accurrunt, unus similem habens cultellum evaginatum, alter baculum magnum, me volentes defendere, & ipsum, si non cessaret, repercutere. Ego videns, eos ita accurrere, valde fui miratus, nesciens, quid prætenderent. Tandem retro respiciens, vidi cultellum supra caput meum vibratum, fugam arripui currens ad viros, qui mihi obviam venerunt. Forstian, quia illos armata manu vidit venientes, me paratos defendere, percutere me perimuit. Qui tamen, durè ipsum increpantes, illæsum abire permiserunt. Intravi tunc civitatem in domum Officialis, & ille companus semper me insequebatur; qui dixit Officiali: Domine, ego cultellum istum jure amisi, quia eum publicè in Domino Episcopi Hildeshemensis evaginatum extraxi. Si ergo vultis eum accipiat. Qui respondit: Portetis eum ad vocato castrum *Sturwoldi*, & dimittatis istos Dominos in pace. Omnia enim, quæ Pater Præpositus in Sulta fecit cum Monialibus in *Derneborg*, non propria auctoritate, sed de mandato fecit Domini Hildeshemensis; & ita eum à se dimisit. Hæc ideo scripsi, ut, si qui esse cupiant boni reformatores, quod tunc adversa nulla formidabunt. Si perseveraverint, effectum bonum consequentur. Cumque propria à Monialibus istis tollerem, & in communi reponerem, contigit, ut commoda & cellaria earum introirem. Habebant autem plures earum in ambitu Monasterii cellarium parvum, in quæ per gradus tres vel quatuor descendebatur, valvas habentia, quibus tegebantur; cerevisiam & alia sua peculiaria conservantia. Quæ cellaria mihi demonstrantes, ante me in ea descenderunt. Tunc ultima earum dixit mihi: Jam Pater præcedatis Vos, quia mecum cellarium est sicut aliarum sororum, & impræmeditatè subito feci sic. Cumque in illud descendissem, illa continuo clausit ostium seu valvam super caput meum, & desuper stetit. Ego autem solus eram ibi inclusus, intra me cogitans; Si Moniales istæ me hic inclusum secretè, sic bene retinerent? Et clamavi ad fratrem meum, foras ibi cum eis stantem, ut disponeret, quod mihi ostium aperirent & inde exire permetterent. Tandem post aliquam moram, valvam cellarium aperuerunt, & inde me exire permiserunt. De cætero nunquam in aliquo Monialium Monasterio in aliquam clausuram præcedere volui, ne mihi aliquid simile ibidem contingeret; præsertim unde leviter exire non potui. Sed quando duæ vel tres me præcedebant, tunc eas bene sequebar. Una sola præcedens non mihi sufficiebat, ne cum una sola ad tempus me recluderent, dicentes super me, quod non cogitarem. Soror, quæ hæc fecit, bona satis & simplicissima erat; unde miratus fui, quod talia potuit excogitare. Postquam

ego

ego tribus annis in reformatione eas conservavi, confessiones earum audiendo, & eas cum collega visitando; quædam earum, sanctam earum reformationem non plene diligentes, imo potius eam evadere cupientes; videntes etiam, quod nullus de eis se intromitteret nisi ego solus; putantes, si me non haberent, quod tunc ad libitum suum vivere possent, & vitam pristinam dissolutam reassumere: rogabant amicos suos in castro propinquo, & cognatos ac parentes in Hildeshem, ut modum invenirent, quo à me & fratribus meis possent liberari. Cumque ad Episcopum & Dominum *Eghardum de Hanezee* Præpositum Ecclesiæ Hildeshemensis id perlatum ab amicis earum fuisset, Præpositus ait: quid obest illis super tali viro probo & religioso? Responderunt: Moniales id instanter desiderant. Post longam deinde deliberationem amici & cognati earum intentum suum obtinuerunt, sed in suam confusionem & damnum perpetuum. Nam post me Dominum *Henricum*, Abbatem in Marienrode, in patrem & reformatorem receperunt, qui statim unam sui Ordinis sororem in Priorissam eis præfecit, *Monialem de Woltingerode*, volens per eam Ordinem suum illic introducere, & Ordinem nostrum inde ejicere. Quod sequenti tempore perduxit ad effectum, ut patet in sequentibus.

CAPITULUM XV.

Quomodo Moniales istæ de proprio Monasterio sunt ejectæ, & remanentes & reversæ habitum Cisterciensem induerunt, & quæ mala inde sunt secuta.

Magnus Episcopus Hildeshemensis, *Eghardus Hannezee* Præpositus, *Iohannes Swanevogel* Decanus Ecclesiæ Hildeshemensis, & Dominus *Henricus Abbas de Monasterio Marienrode* Ordinis Cisterciensis, Commissarius istius Monasterii, quodam mane cum curribus & equitibus ad præfatum venerunt Monasterium ante primas, & vocaverunt ad se Moniales istas, ut statim de choro ante primas earum ad se foras ambitum exirent Monasterii. Quæ inopinatè sine ornatu capitum suorum & sine vestibus melioribus in vestibus nocturnalibus ad Episcopum & Prælatos præfatos foras Ecclesiam descenderunt: quibus præsentibus dixit Dominus Decanus; Bonæ sorores, quia sanctam reformationem in vestro Monasterio servare nolulistis, ideo currus istos statim una post aliam per scalam istam ascendatis, ad diversa alia Monasteria transvehendæ, ubi vitam vestram emendare, & regularem observantiam melius custodire valeatis. Quæ plurimum territæ & contristatæ, humilibus precibus & lacrimis supportari inde expetierunt, emendationem veram promittentes. Episcopus autem & Prælati præfatos nihil precibus, singultibus & ploribus earum permoti, mandaverunt, ut quantocius scalas, ad currus positas, ascenderent, & sicut vestitæ erant, sine libris & rebus suis propriis, in curribus se locarent, Monasterium exirent & ad loca alia, singulis disposita, celerius properarent, nullas adversus præmissa suscipientes excusationes. Hæc audientes & videntes præfatæ Moniales, cum amplius non poterant verbis aut factis reluctari, sine omni provisione in antiquis suis vestibus, peplis & coronis; cunctisque rebus suis propriis in cellis & commodis ex toto derelictis, currus ascenderunt & de Monasterio sunt ejectæ; quædam earum in *Marienrode* Monasterium Monachorum, quædam in *Wullichusen* Monialium Ordinis vestri Monasterium, quædam in *Woltingerode* Ordinis Cisterciensis Monasterium, & in loca similia; nunquam ibidem in habitu antiquo ad permanendum reversuræ. Abbas enim præfatus ita disposuit, ut sicut Priorissa ibidem nuper electa, Ordinis fuerat Cisterciensis, sic etiam Moniales ejusdem Ordinis Cisterciensis secum assumerent, quotquot haberet necessarias; ut per eas induceret remanentes, ut habitum earum induerent, sicut in brevi post factum fuit. Pauca etiam de Monialibus ejectis, ad proprium redierunt Monasterium, quæ etiam habitum induerunt Cisterciensem. Omnes alix, in proprio Ordine permanentes, sui Ordinis Monasteria reformata introierunt, ibidem in bona observantia usque in præsens perseverantes. Frequenter id sum expertus, qui personam meam sine rationabili causa repulerunt seu dejicere tentaverunt, quod Deus Dominus noster graviter id postmodum in illos vindicavit. Nam Moniales istæ quia me, animarum suarum salutem multo labore & sollicitudine quærentem, per amicos suos sic abjecerunt; ideo almum Patrem Sanctum Augustinum mecum de loco illo perdiderunt, & ipsæ mecum inde sunt ejectæ, nunquam illuc redituræ. Ego tamen cum Abbatissa & sororibus jam in *Derneborg* Ordinis Cisterciensis in bona sum concordia, quæ multa ob rogatum fecerunt, concedentes mihi Moniales domus suæ pro aliarum Monialium sui Ordinis reformatione; & plura similia seu majora ad instantiam meam peregerunt. Et Moniales in *grisea veste* sæpe tam pulchras animas habent, quam in alba veste. Non enim, qui meliorem vestem, sed qui pulchriorem habet conscientiam, ille melior est apud Deum. Videntes igitur amici & cognati præfatarum Monialium, quod male fecissent, me relinquentes, & alium in Prælatum & Patrem assumentes Monasterii illius, congregati Hildeshem in Prætorium me accersierunt, suppliciter

citer & instanter exorantes, ut ad Dominum Hildeshemensem & ad venerabile ejus Capitulum pro Monialibus illis intercederem, quatenus ad suum redire possent Monasterium. Quod primum recusavi, dicens: quare me inde abjecistis; jam habeatis, quod habetis. Cumque instantius id à me postulassent, tandem respondi: Vocetis Priores de *Richenberge* & de *Wittenborg* & Præpositum de *Wullichbusen* Monialium Ordinis nostri; si mecum ire voluerint, tunc cum eis ibo. Vocati igitur venerunt; & ivimus pariter ad Dominos de Capitulo Hildeshemensis Ecclesie, in Capitolio congregatos, & unus de Consulatu Hildeshemensi nobiscum *Johannes Lustike Boele*. Ego autem ab omnibus rogatus, Dux verbi fui, dicens: Venerabiles Patres & Domini, Domine Præposite, Domine Decane & Domini mei omnes, ex parte nostra & Ordinis nostri, & ex parte Consulatus Hildeshemensis & Sanctimonialium in *Derneborg* & amicorum earum, instanter rogamus, quatenus præfatas Moniales ad suum proprium permittatis intrare Monasterium. Jam ipsæ, & amici earum dicunt cum ipsis, quod libentissime facere volunt & debent omnia, quæ volumus, & quæ in regula eis præcipiuntur facienda. Si id unquam facere detrectaverint, tunc amici & cognati earum nobiscum eas ad id compellere volunt, ut faciant & observent. Qui deliberatione accepta, nos revocantes per organum Domini Decani, qui est os Capituli, ad me dixerunt: Domine Præposite Sulta; Episcopus Hildeshemensis fecit cum Monasterio in *Derneborg*, quod sibi & Consiliariis tunc suis bonum visum fuerat. Si jam aliquid aliud cum Monialibus illis facere velit, & ad hoc consilium nostrum requisierit, libenter dabimus ei consilium prout nobis tunc etiam visum fuerit; quod non ad nos sed ad ipsum, Monasterii ipsius totalis pertinet dispositio seu immutatio. Quo audito responso, satis intelleximus, quod non erat spes illud immutandi. Quædam igitur earum adhuc foras sunt in aliis reformatis Monasteriis, quædam vero in Domino dormierunt; & postea mille florenos libenter dedissent, quod me in Patrem semper retinuissem & S. Augustinum in Patronum & Provisorem, sicut à principio fuerant fundata. Occasione mutationis Ordinis in *Derneborg* & ejectionis Monialium de loco suo, Pro-consules, consules & cives Hildeshemenses plurima plaustra lapidum de Monachorum tulerunt lapidicina, quos Abbas inde in magno numero effoderat. Cives tamen eos in civitatem transvexerunt, & alia damna multa in pratis & lignis ipsis intulerunt; unde maxima inter ipsum & civitatem exorta est contentio. Pro-consules igitur & consules & alios quamplures cives nominatim, autoritate Apostolica propter lapidum horum ablationem, fecit excommunicari, & gravissimum super civitatem poni & fulminari interdictum ad longa tempora. Canonici etiam Ecclesie Cathedralis, & Canonici omnes quatuor collegiorum secularium; Abbates quoque & Conventus duorum Monasteriorum Ordinis S. Benedicti; Prædicatores & Minores Ordinis mendicantium, & omnis Clerus civitatis Hildeshemensis, profanantes interdictum illud papale non servaverunt, sed apertis januis alta voce cantaverunt, appellationi civitatis adherentes. Ego autem cum fratribus meis in Sulta, quamvis cum omnibus in Hildesheim Collegiis, in summo & cæteris, sumus Concapitulares, à Monachis de *Marienrode* per Notarium & testes requisiti, statim organa vocum nostrarum & campanarum suspendimus, & strictissime servavimus interdictum; quia contra conscientias nostras juxta mandatum Apostolicum cantare non audebamus; Episcopi mandato in contrarium nobis factò & minis consulatus cæterisque omnibus non obstantibus quibuscunque; sicut in primo hujus voluminis libro capitulo X, plenius continetur. Præfatum vero Monialium Monasterium ab illo die usque in præsens in sancta semper permanit reformatione; & quamvis per Abbatem de *Marienrode* ad Ordinem pervenit Cisterciensem, & multa bona temporalia & spiritualia ipsis Monialibus administravit, dedit & procuravit, ipso tamen postmodum abjecto, impetrarunt ab Episcopo tunc temporis, ut *Abbas S. Michaelis & Prior de Richenberg* earum essent visitatores, omnium priorum beneficiorum ejus, & Conventus sui plurimorum, ultra CCC. florenorum, immemores & oblita, juxta illud vulgare proverbium:

Gratia nulla perit, nisi gratia sola fororum;

Sic fuit, est & erit: ONDANC in fine laborum.

Abbas præfatus Dominus *Henricus de Marienrode* per Papales & Imperiales sententias victoriam obtinuit contra civitatem Hildesheim, ita ut mille quadringentos ei & Conventui suo darent florenos *Rhenenses* pro emenda & injuriis, domumque & curiam suam in Hildesheim liberam redderent, quæ ante consulatui annum censum dare consuevit. Unum etiam talentum annuatim dant de molendino Episcopali, & plura alia, in quibus Monachorum probatur contra Hildesheim victoria.

CAPITULUM XVI.

De Monasterio in *ESCHERDE* Ordinis S. Benedicti, quomodo reformatum est.

Monasterium in *Escherde* Ordinis Sancti Benedicti, per unum milliare distans ab Hildesheim, hoc modo primum fuit reformatum. Habebant antiquam Priorissam, quæ resignaverat;

verat; unde novam eligere habebant. Missus igitur fui à Domino Hildeshemensi Episcopo *Magno*, ut eas in confessione expedirem, quia tunc in crastino Domini, per Episcopum deputati, vellent me sequi, & vocæ Priorissæ interesse electioni. Accessi ibi ad Præpositum Monasterii, Presbyterum secularem, litteras commissionis meæ Episcopi Hildeshemensis ipsi ostendens; qui Monialibus suis id denuntiavit. Quod audientes conterritæ, mihi confiteri non audebant, eo quod pœnitentias nimis graves, ut audierant, confitentibus imponere consuevi; quod tamen verum non fuit, ut ipsæ post dixerunt. Quibus respondit Præpositus: Mandatum Episcopi in se continet, quod sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsi confiteri debeatis. Si id nolueritis, tunc statim hic ponet interdictum. Et adjecit: Bonæ Dominæ meæ, consulo, ut ei confiteamini. Ego servum meum cum gladio evaginato ponam circa eum; si unum verbum malum aut durum vobis dixerit, ad plattam suam ipsum percutiet. Hoc audientes, & videntes, se non posse evadere, consenserunt mihi confiteri. Præmiserunt autem primo ad me unam audactricem, quæ me primum conquadraret. Sedens in loco confessionis audiendæ, ipsa primò exorsa est, dicens; Domine, quid hic facitis? respondi: Ut vos omnes ad regnum perducam cælorum. Ait: Oportet me confiteri, sed nolo cras propter electionem communicare. Respondi: Mandatum suscepi in confessionibus vos expedire; si Domini venturi cras vobis in hoc velint condescendere, ego sum contentus. Media ergo pars Monialium illo die mihi fuit confessa. Tertiæ Moniali etiam confitenti dixi: Soror, summe ita durus, sicut me esse dixerunt? respondit: Vos aureus estis vir, per omnia suavis & mitis. Vespere quando cœnavimus, dixi Præposito: Quid dicunt de me vestræ Moniales, sum ita austerus, ut putabant? Respondit: quando ad confitendum accedere debuerunt, inhorruerunt capilli capitum suorum; sed quando à vobis recesserunt, valde consolatæ redierunt. Die crastina ante prandium cæteras expedivi, & circa finem unam interrogavi: Sum ita rigidus & austerus; ut auditis? Respondit; Jam habetis mel in ore; sed quando consensum nostrum habueritis, & cordam per cornua nostra pertraxeritis, tunc nobis respondebitis: Oportet, ut jam omnia faciatis, quæ volumus & facere debetis. Cui respondi: Soror bona, ne timeatis, quia benignus & mitis vobis semper permanebo. Die sequenti venerunt ad nos Dominus *Burchardus de Hardenberge* in summo Hildeshemii Canonicus, Dominus *Rolandus* Officialis, & *Magister Henricus* Monialium in *Vullichusen* Præpositus, qui voluerunt & mandaverunt ex potestate Domini Hildeshemensis, ut juxta Decretum Concilii Basileensis omnes electrices ante electionem communicare deberent. Communionem igitur facta, novam elegerunt sibi Priorissam de *Sprengersche* vocatam, Dominam honestam satis & prudentem, mediocri ætatis; quam proclamationibus, tribus distinctis terminis factis, antequam inde recessimus, auctoritate Domini Hildeshemensis confirmavimus. Priorissa ista cum omnibus suis sororibus libenti animo ad sanctam se dederunt reformationem, & ego cum fratre meo de *Sulta Henrico Emmen* ibi remansi, & in quibus se reformare deberent, informavi. In refectorio primum mensas posui, super mensam superiorem titinnabulum in medio appendi. *Benedixit & gratias* more nostro cum eis cantavi, ad nolam in mensa cum eis sedi. Priorissa cum una sorore ad unum latum mihi sedit, & frater meus cum alia seniore ad aliud latum. Una Monialis cum famula seculari nobis ministravit. Contigit ibi non parvum miraculum, quod etiam Prædicator in Hildesheim, qui *reliquias Beate Mariæ de Hildesheim* ibidem advexerat, sequenti die publicè de ambone prædicavit. Ad mensam in primo prandio, quando cum eis comedi, tot panes super mensam posuerunt, quot pro omnibus nobis sufficere existimabant. Post mensam prandio factò, multo plus de panibus à mensa sustulerunt, quam prius apportaverant, nobis & cunctis Monialibus bene satiatis. Cum hoc audissem, Deum, qui omnia potest, benedixi. Monialibus igitur in sua reformatione pro primo competenter instructis, sabbato tunc inde recessi; & secunda feria rediens, novem seu undecim florenos Rhenenses, quos ipsis in Hildesheim procuraveram, mecum illis apportavi. Erant enim virgines bene morigeratæ, piæ & tractabiles, secundum quod regula Sancti Benedicti eas qualificaverat, & ad bonos mores composuerat; in mansuetudine & benignitate ad nos & inter se verbis & factis conversantes, unde parum fui in eis ædificatus. Capitulum culparum cum eis tenui; in choro & refectorio, inclinationes, stationes & cætera ceremonialia eis demonstravi, & quæ ad veram reformationem pertinent, oculata fide intus & foras eis ostendi. Et sicut ego, & fratres mei post me, confessor earum fui; die quadam veni ad eas ad confessiones earum audiendas. Timebant autem tunc mihi confiteri, quia injuriam, ut putabant, mihi tunc fecerant. Fuerunt tunc ibi hæredes Monasterii & amici sive cognati earum, quibus causam timoris sui revelaverunt; qui ad me accedentes, dixerunt: Rogamus, Pater venerande, non male accipiatis, quod dicimus. Moniales istæ paternitatem vestram offenderunt verbis impertinentibus; ideo non audent vobis modo confiteri. Dixerunt enim: *De Sulta* vult nos modo reformare; si hoc eis vultis indulgere, tunc libenter volunt vobis confiteri. Quibus respondi: Non est aliud? libenter eis hoc indulgeo; sint alias in bona pace. Et ita omnes cum gaudio fuerunt mihi tunc confessa.

Ego

Ego igitur & successor meus in Prioratu Sultensi, quando Hallis ad Novum Opus factus fui Præpositus, cum fratribus nostris ultra annum vel duos permansimus ibi Patres reformatores & confessores, donec ad Sanctum Michaelē in Hildesheim Monasterium sui Ordinis reformaretur, sub quibus à prima sui fundatione steterant; ad quos tunc, ut merito debuerunt, benevolō animo redierunt. Moniales igitur istæ in competenti bona permanent reformatione, sub cura & provisione Abbatis de Sancto Michaelē Ordinis Sancti Benedicti, bene reformati. Et gratias Deo! quod nos de Sulta tantum bonum ibi incepimus, in animarum plurimarum salutem.

CAPITULUM XVII.

Quomodo Monasterium IN HETNINGEN Regularissarum de extrema paupertate per reformationem multum in temporalibus profecit, & quomodo primum ad reformationem pervenerunt.

Monasterium Monialium in Heyningen, Ordinis Canonicoꝝ regularium Hildesheimensis Diœcesis, ad quinque de Hildesheim distans milliaria, anno Domini 1451. primo reformatum fuit per Patrem *Bertholdum in Sulta Priorem*, quando ego Hallis ad Novum Opus præpositus fui. Moniales istæ propter vitam non bonam & irreformatam ad magnam pervenerunt paupertatem, & extremam pene pro tanto Monasterio penuriam. Cum autem Dominus *Nicolaus de Cusa* Cardinalis, à Latere Legatus, in Hildesheim pervenisset, Zelum bonum habens pro reformatione Monasteriorum cujuscunque Ordinis, commisit Domino *Magno Hildesheimensi Episcopo* auctoritate Apostolica reformationem omnium Monasteriorum utriusque sexus suæ Diœcesis. Episcopus autem auctoritates suas reformationis certorum Monialium Monasteriorum commisit ulterius Patri *Bertholdo*, in Sulta tunc Priori. Et quia nullam habebant reformationem, debita multa incurrerant, *duorum millium florenorum*, ut dixerunt; pauca etiam pecora, quinque vaccas pro communi tantum, equos & porcos similiter paucos; nec panem sæpe habebant in curia sua ad manducandum. Capellani earum in hieme cœnaturi, mensam ad terram quandoque posuerunt, ut de lumine ignis viderent quid comederent, candelas ad hoc non habentes. Cum multis annis ita in proprietate, inobedientia & in minori vixissent continentia, cæterisque similibus implicata vitiiis; quædam earum anni (*) *Jubilæi*, quod Dominus Cardinalis dedit id desiderantibus & quod pro eo mandavit, facientibus, cupientes esse participes; & sanctam reformationem, quæ tunc ubique per Saxoniam prædicabatur, assumere desiderantes, in Hildesheim pervenerunt, instantias non paucas apud Patrem & fratres de Sulta facientes, quatenus amore Dei & ob animarum ipsarum salutem ad hoc ipsis cooperari vellent, & earum esse Patres & informatores, ut se plenarie possent reformare. Pater de Sulta *Bertholdus* hoc audiens, gravem ad hoc primum se reddidit, putans, in tali bono proposito eas non perseveraturas. Cumque non desisterent in petendo & pulsando, & per se & per alios, sibi notos, instantissimè illud exposcendo; tandem Sub-Prior in Sulta frater *Bertholdus Eyke* earum misertus, spem bonam eis dedit, & per se & per alios Patrem Priorem sollicitavit, ut assensum eis præberet. Qui tandem Papali & Episcopali fretus auctoritate, consensum præbuit. Domina igitur Priorissa *Albeidis de Borsfelde* & *Albeidis Mollers* Sub-Priorissa, tam bono responsō libenter accepto, ad Monasterium suum redierunt, cæteris suis sororibus hæc ipsa denunciante, & ut ad reformationem se præpararent, verbis, quibus poterant, inducentes. Pater igitur *Bertholdus* in Sulta Prior venit ad eas in Heyningen cum plena auctoritate, sibi ad hoc necessaria, & cunctis Monialibus ibidem in unum convocatis, commissionem, super præmissis sibi factam, literatoriè exhibuit & denunciavit; ubi plures invēnit Moniales bonæ voluntatis, quasdam tamen ad hoc non parum difficiles. Sed mandatum Domini Cardinalis & Episcopi, & major pars sororum id desiderantium, prævaluit; & ita tandem omnes in sanctam reformationem consenserunt. Omni igitur proprietate ab eis suscepta, disposuit, ut viverent in communi, & omnia haberent de cætero communia. Et quia pauperes tunc erant, multa eis in Hildesheim ad comedendum & braxandum procuravit, filiginem, brasium, lardum, carnes, butyrum, caseos & similia; quæ secum tulit, quando eas visitavit. Eleemosynas etiam, quas pro suo conventu retinere potuisset, eis assignavit & largiri procuravit: plura etiam de bonis Monasterii sui aliquando publicè, interdum secretè, ipsis detulit & donavit. Pecunias quoque ab extraneis concessit & secularibus, quas alterius eis accommodavit, aliquas sub annuo censu ad redemptionem, aliquas in certis terminis persolvendas. Annuos etiam redditus five victualia quarundam sororum devotarum, reformationem adoptantium, vendidit, ut debita earum persolveret, & uteis ad manducandum provideret. Currus enim earum, cum pro rebus necessariis comparandis seu adducendis in *Brunswic* transmitteban-

(*) Cum Dominus Cardinalis cum anno Jubilæo Hildesiam advenisset. MS. Sultense.

tebantur, frequenter fuerunt arrestati propter debita ipsarum permaxima, ad quæ Præpositi earum, viri seculares, eas perduxerant, & eas contra reformationem, propter temporalia eorum commoda & carnalia, persèpius animaverunt. Prior igitur præfatus *Bertholdus* sæpe pedester, aliquando equester, ad diversas perrexit civitates, villas & oppida, in *Halberstad*, in *Goslaria*, in *Brunsvic* & *Hildesheim*, ut eis victus & vestitus procuraret necessaria, rogando, mutuando, sub annua pensione pecunias assumendo, varios ad hoc sæpe modos, quomodo in temporalibus proficere possent, ex cogitando. Denique tantum pro eis laboravit, diversas terras circumivit, & pro temporalibus earum insudavit, ut jam, majoribus suis solutis debitis, ad tot & tanta pecora modo pervenerint, ut agros suos circa se jacentes, quos antea villani de vicinis villis colere consueverant, per se & servos suos arare possint & colere: quia currus plures, & sex aut septem aratra cum suis equis & pertinentiis nunchabent, ad terram propriam per se colendam sufficientes. Et ubi antea quinque duntaxat vaccas habuerunt, pro nunc octoginta vel centum vaccas, boum ac vitulorum capita, possident, & porcos pene octoginta annuatim nunc pro coquina mactare solent, præter porcos pasculares ultra centum LX. Oves autem nullas habuerant; quas jam in bono numero habent per eum comparatus, ut hodie datur cernere; (a) quia ultra centum homines cum ipsis & Presbyteris suis, totaque familia fervorum & ancillarum suarum, cotidie habent enutrire. Bonis igitur omnibus per Patres & Fratres de Sulda jam se gaudent abundare; & per providentiam Priorissæ & Procuratricum, cæterarumque Monialium officialium, ad hanc bonorum suorum temporalium pervenerunt competentiam. Moniales autem conversæ & donatæ professæque numerum excedunt. Habent etiam de seculo puellas plures, habitum ipsarum induere & ordinem ingredi expectantes. Ita in annis viginti præfatum profecit Monasterium per sanctam reformationem & vitam communem, ut omnia loca & vasa ejus competenter plena videantur. In spiritualibus & in observantia regulari etiam bene profecerunt, ita, quod habitum, cantum ceremonialia, & omnia, quæ ad regularem observantiam pertinent, competenter bene, ut à nostris informatæ sunt, observent. Nam à prima sua reformatione usque in præsens pene semper Patres & Confessores de Sulda, electos viros, habuerunt, secum extra & prope clausuram earum commorantes; quia Pater *Bertholdus* post Prioratus sui resignationem ad certa tempora de nostra licentia reformator earum fuit & confessor, & frater *Hermannus*, in Sulda professus, etiam de mandato nostro ad annos pene viginti Pater fuit earum & confessor, qui ambo apud eas diem clausuræ extremum; & ambo in spiritualibus & temporalibus valde utiles ipsis extiterunt, ibidem sepulti: Pater *Bertholdus* in ecclesia, frater *Hermannus* inter sorores. Ego autem in Sulda Pater Prior in Præpositus præfui eis (b) jam annis XIV; qui, auctoritate sedis Apostolicæ & ordinariorum Episcoporum, in temporalibus & spiritualibus eis præesse, visitare & gubernare, in confessionibus per me vel fratres meos expedire, novitias investire, habitum professarum induere, velum eis imponere, & ad professionem suscipere consuevi. Quandocunque etiam aliquid adverfitatis aut prosperitatis eis occurrerit, ad me & ad Conventum meum in Sulda semper habent recursum, nullum alium super se post Episcopum, nisi Priorem de Sulda vel quibus ipse commiserit, recognoscetes. Frequenter cum collega Ordinis nostri reformato, eas visitavi; aliquando capitulum culparum tenui, in refectorio cum eis bis vel ter comedi, in choro cum eis steti & cantavi, cellas cum fratre & Priorissæ & aliquibus sororibus, de proprietate inquirendo, visitavi: & cum eas etiam aliquando reprehensibiles inveni, in emendatum & incorrectum non dimisi, talique modo eas in debita regulari observantia conservavi. Habitus earum antereformationem talis erat: Albas tunicas longas pro veste superiori deferebant, & super eas subtile album cum manicis, quod *substantiam* vocabant, & super illud vestem lineam, latam & longam, nigram quasi transparentem cum manicis latis & longis, non præcinctam, pro Cappa; vittas super crines, in occipite cum forcice vel forcipe abscissos, parvum nigrum velum sicut vitta defuper, ab Episcopo eis impostum, & super parvum peplum, quod mentum circumit, magnum peplum & latum, quod *clavam* vocant & *coronam*, habentem in quatuor angulis circuitus quatuor cruces aureas, & defuper in medio rosam auream; quam coronam Episcopus eis imposuit. Nunc vero per omnia incedunt, sicut Moniales nostri Capituli generalis in vestibus corporis & capitis; habentes *subtile lincum album super omnia vestimenta sua, est velum nigrum transparent longum & latum super omnia pepla sua*, quod ante non portabant; quod ego in Professione earum eis imponere consuevi. Coronam tamen virginitatis, id est, crucem habentem circulum per circuitum capitis, & in quatuor angulis quatuor cruces aureas seu fericas, & in vertice

cru-

(a) addit MSC. Sultense: competentem quoque numerum habent monialium professarum, videlicet cum Dominica Priorissæ 32. sex novitias, octo conversas, quatuor donatas cum quibusdam sororibus familiaribus.

(b) annis jam pene duodecim MS. Sultense. Ergo Kiloniense MSCrum quod secuti sumus duobus annis post Sultense scriptum.

crucis rotundum agnus Dei, opere polimito paratum, quam coronam Episcopus eis imponit, deferunt subius velum nigrum, quod ego illis impono. Per anulum aureum etiam ab Episcopo desponsantur omnes, digito annulari eis per ipsum immissum, in Christi vice virginum sponsi; quem primo die desponsationis portant & non amplius, propter vanam jaectantiam vitandam. Sunt ergo in vestibus & velis, monialibus Capituli nostri conformes, virginum demta corona, prout moris est in tota Saxonia. Omnes vestes superiores, pepla & vela Patres monialium eas induunt & imponunt, demtis his, quæ causa desponsationis earum pertinent ad Episcopum; sicut ego in *Heiningen*. & in *Erfordia ad Novum Opus* feci & facere consuevi. Sic in statutis, ordinario, cantu & ceremoniis per omnia se nostris conformaverunt. Missalia, gradualia, antiphonaria, psalteria, statuta, ordinarium nostrum & cætera similia sibi procuraverunt aut per se scripserunt. Laneis camiseis & lintheaminibus utuntur, nisi infirmitas aut senium impediatur. Et ita perfectam ordinis nostri tenent reformationem, quia secundum regulam & statuta nostra, publicè in Ecclesia expressam fecerunt linguâ & manibus professionem.

De lite (*) & controversia ratione decimæ inter Monasteria *Heiningen* & *Dorstadt*.

Contigit gravis & damnosa altercatio inter Monasterium Monialium in *Heiningen* & Monialium in *Dorstadt* ejusdem Ordinis, propter decimam animalium, & frumentorum seu bladorum. Unum istorum Monasteriorum ab alio distat vix ad quartale milliari, & Moniales in *Heiningen* per *B. Bernardum* Hildesensem Episcopum ante quadringentos quinquaginta annos fundatæ & investitæ, decimam in villa *Dorstat* sibi proximam possederunt. Cum autem post multos deinde annos Monasterium Monialium in *Dorstat* fundatum fuerat, considerantes provisores Monasterii in *Dorstat* & ejus Moniales, quod ipsi agros totius villæ colerent, ararent, seminarent, meterent, ligarent, infimarent, & omnia agris necessaria per famulos & equos suos elaborarent, & Moniales in *Heiningen* notabiles inde fructus tollerent & in usum suum converterent; totam videlicet decimam villæ agrorum *Dorstat*, paucis exceptis agris, qui ad Plebanum pertinent: valde doluerunt, quod tantos labores omni anno pro Monialibus in *Heiningen* facere cogentur; & ideo post centum aut ducentos annos possessionis decimæ à Monialibus in *Heiningen*, Provisores & Moniales in *Dorstat* ante annos quinquaginta, judicem habentes Decanum Ecclesiæ Hildesensis, impetierunt per mandata pœnalia, excommunicationis videlicet & similia, Moniales in *Heiningen*, ut decimam in villa *Dorstat* ipsæ retinerent vel saltem ejus partem. Cum diu satis illa concertatio & altercatio stetisset, & unaquæque pars jus suum defendere laborasset: amici tandem partis utriusque, contentionem earum ad invicem periculosam & indecentem arbitantes, dulcibus persuasionibus ad concordiam eas inducebant; in quam hoc modo consenserunt: Moniales in *Heiningen* retinere deberent decimam in villa *Dorstat*, sicut ante quamplures annos habuerunt; sed propter fraternam duntaxat charitatem permetterent, quod Monasterium in *Dorstat* tertiam partem decimæ istius, & decimam carniū Monasterii & villæ in *Dorstat*, Moniales in *Dorstat* exinde pacificè usque in finem reciperent & retinerent; & nulla partium istarum unquam hæc concordata, nec jure spirituali neque seculari, impediret seu repeteret. His ita gestis, ambo Conventus mutuò sibi litteras, sigillatas sigillis Conventuum suorum, dederunt, ut ita ab omni altercatione in perpetuum essent separata. In robur præmissorum Dominus *Bosso de Asselborg* miles, ex parte Monialium in *Heiningen*; & nobilis vir, *de Dorstat* dictus, ex parte Monialium in *Dorstat* litteras has sigillis suis, cum sigillis Conventuum præfatorum, firmaverunt. Concordia autem præmissa ultra quinquaginta annos ita permanfit. Postquam igitur Monasterium Monialium in *Heiningen* per XIV. pæne annos steterat in bona reformatione, & Monasterium in *Dorstat* in proprietate manens, nullam pæne servaret reformationem: Dominus Hildesemensis litteris suis bene sigillatis mihi in Sulda Priori commisit dicti Monasterii plenam reformationem, quatenus eas per omnia reformarem in habitu, cantu, regula, statutis & ceremonialibus, sicut in *Heiningen* & *Stederborg* Moniales Ordinis nostri essent reformata. Contigit interim, ut quandam puellam, cognatam cujusdam Canonici in Hildesem Ecclesiæ cathedralis, *Statii*, nomine *de Stöckum*, ad rogatum ipsius & Præpositi in summo Domini *Egardi de Hanensee* investire deberem in *Heiningen*. Tunc dixi Domino Præposito in summo: Dominus Hildesemensis mihi mandavit per suas patentes litteras, quod reformare deberem Monasterium Monialium in *Dorstat*. Dicatis, oro, huic Domino *Statio*, quod mecum vadat, post cognatæ suæ investitionem, in *Dorstat*, & mecum illis dicat, postquam rediero *de Lubeck & Segeberge*, ubi cum Priore *de Richenberg* debeo visitare, ex parte Venerabilis Capituli nostri de *Windesem*, Monasterium Ordinis nostri Canonicorum regularium; tunc eas volo reformare. Tunc

(*) Quæ hic sequuntur, usque ad Cap. XVIII. de Monasterio Monialium in *Stederborg*, desumpta sunt ex MS. Sultensî, & in *Kiloniensi* non habentur.

re. Tunc dixit ei Dominus Præpositus: Domine *Stati*, vadatis cum Priore de Sulta ad præfatas Moniales, & dicatis eis, ut se præparent in reditu suo ad se reformandum. Qui respondit: libenter. Investitione cognatæ ejus in Heiningen facta, & prandio finito, accessimus ad Monasterium in Dorstæt: ubi Priorissa & Moniales in Ecclesiam ad nos convenerunt, quibus voluntatem Domini Hildesienfis insinuavi; & Dominus *Status* id approbavit. Quæ responderunt, se Præpositum non habere. Si illum haberent, qui reformationem secum vellet assumere, tunc bene essent paratæ; & ita inde recessimus omnes, de Præposito earum volentes cogitare. Reversus igitur in Sultam de Lübeck, præfatus Dominus *Status* venit ad me in Sultam: cui legi litteram Commissionis super earum reformatione, mihi missam, videlicet, quod in habitu, cantu, ritu & in omnibus, conformes esse deberent Monialibus sui Ordinis in *Heiningen & Stederborg*. Hoc audiens, continuo respondit: hoc nunquam erit. Cui ego: nisi ista fecerint, ego Pater & Reformator earum esse nolo. Ex illa hora ipse cum suffraganeo Hildesemensi laboravit, ut sibi dictum Monasterium in Dorstæt ad reformandum committeretur; quod & factum est. Dominus enim Hildesemensis *Ernestus* Episcopus illud ei commisit reformandum, & in temporalibus & spiritualibus providendum; quod jam ultra octo annos habuit in Commendis: sed quantum in temporalibus & spiritualibus profecit, ignoratur; de quibus hoc in loco scribere superse demus. Dominus iste *Status*, de *Stöckum* dictus, Ecclesiæ Hildesemensis Canonicus, ante istam Monialium Præposituram maximus noster in Sulta fuit amicus, sæpius nos visitans cum carnis & vini propinis. Sed factus Præpositus, alienavit se à nobis propter Moniales. Nos in Sulta, Patres sumus Monialium in Heiningen, & ipse Præpositus est in Dorstæt; quæ Monasteria de decima inter se contendunt, quarum contentio hoc modo inter eas est exorta. Præfatus *Status* Præpositus, sciens, se Canonicum Ecclesiæ Hildesienfis, & de Vasallis terræ procreatum, magnum habens animum, quæ vellet & excogitaret, cum consilio & auxilio Canonorum & amicorum suorum effectui mancipare; & videns, quod Monasterium in *Heiningen* omni anno decimam tolleret de agris villæ Dorstæt, quos ipse cum suis araret & coleret: non contentus, quod quartam decimæ partem & amicabili donatione fororum in Heiningen sine contradictione sublevaret juxta priora concordata, quamvis illæ de Dorstæt nullum jus in illa decima unquam habuerant; quia antequam Dorstæt erat Monasterium, de Heiningen illam decimam habuisse dicuntur: arbitratur per certas novas ad inventiones, consilio certorum Advocatorum & Prælatorum, aut totam illam decimam, vel saltem mediam partem totius decimæ, Monialibus suis in Dorstæt acquirendam: putans, quia Moniales sunt in Heiningen feminei sexus, quod se contra eum defendere non possent nec præsumerent; non veritus justitiam; concordata inter præfata Monasteria, sigillis Conventuum & Vasallorum roborata, aperte frangens & annihilans, in maximum Monasterii in Dorstæt damnum & detrimentum, sicut finis probavit; & in animæ suæ non parvum periculum: eo quod illa duo Monasteria in mille pene florenos sine causa damnificavit; & qui bonus inter Canonicos suos valde fuit reputatus, diligens divina & quæ Deo erant, nunc nescitur, quid meretur. Non tamen abnuimus, quin in omnibus his bonam habere potuerit intentionem, nobis & aliis pluribus ignotam, quod suæ committimus conscientiæ, & Deo inde rationem reddet. Nunc autem rei gestæ Ordinem & litteram prosequimur.

De eadem lite ejusque fine.

Status igitur in Dorstæt Præpositus Monialium Ordinis Canonorum regularium, totam in Dorstæt decimam nancisci desiderans; cum certis Jurisperitis habens sermonem & consilium, à Domino Hildesienfi judicem ad hoc sibi dari poposcit. Qui de consilio Domini Præpositi in summo Hildesii, dedit ei pro judice Dominum *Arnoldum Heisde*, Doctorem Decretorum, in Ecclesia Hildesienfi Canonicum; qui hujusmodi accepta Commissione, citavit Moniales in *Heiningen*, impetitionibus & querelis Præpositi & Monialium in Dorstæt responsuras. Terminò citationis instante, Notarium ad se, Capitulariter congregatas, vocantes, certos præsentis negotii sui constituerunt Procuratores, in Hildesem & alibi, ubi oportuit & conveniebat; meam personam & Dominum *Johannem Alten* in principales constituentibus procuratores, cum potestate substituendi, & cætera omnia agendi & faciendi, juxta debitam procuratorii formam. Procurator ergo à nobis substitutus, coram judice comparens, audivit, quod totam decimam Moniales in Dorstæt habere vellent. Qui informatus à nobis, respondit, nullum jus eas in illâ habere decima, à Monialibus per ducentos aut trecentos annos in Heiningen semper possessâ. Acceperunt ergo in Dorstæt Moniales tempus probandi, quod proposuerunt, responsum Monialium in Heiningen super hoc recepturæ. Interim contigit in nuptiis, in *Peynis* celebratis, Dominum Hildesemensem & plures terræ primores ibidem adesse: ad quem accesserunt, in præsentia Præpositi & Decani Hildesemensis Ecclesiæ, Vasalli terræ, *Henricus & Aswinus de Bortfeld, Conradus, Bernardus &*

*Bosso de Affeborg, & alii, de Velten & Bock, rogantes Dominum Hildesensem, ut ipse cum suo Capitulo aut cum nobilioribus terræ causam illam determinaret, & à iudice spirituali tolleret: quibus in omnibus cum suis ibidem consensit. Post hoc Præpositus Ecclesiæ Hildesemensis vocavit me in Curiam suam, & in præsentia Cancellarii Domini Hildesemensis dixit mihi: quid vobis videtur, debet Dominus Arnoldus Heifede prosequi causam inter ista duo Monasteria, an prohibebimus eum? respondi: sicut vobis videtur. Ait: volumus primò audire Dominum Hunoldum, partis aliæ procuratorem, quid ipse consulat. Revocatus ad Præpositum, audivi: videtur nobis, quod iudex fundamentum duntaxat audiat singularum partium, quid Moniales de Dorstade pro fundamento habeant, & quid Moniales de Heiningen ad hoc respondeant; sed sententiam super hoc ferre non debet: & ita contentus recessi. Non post multum temporis Doctor Arnoldus Heifede tulit sententiam definitivam, quod decima in Dorstade ad Moniales in Dorstade pertineret, & non in Heiningen. Hanc sententiam dictaverat Dominus Decanus ad S. Andream, Doctor Decretorum, Canonicus Hildesii in summo, ut Priori de Richenberg & mihi dixit; hoc adjiciens: si ego fuisset advocatus vester, perdere vellem Ecclesiam meam parochialem, si sententia pro Heiningen non transisset; quia decima in Dorstade in veritate pertinet in Heiningen Monialibus. Sed advocatus Monialium in Heiningen unam clausulam male scripsit in suis positionibus; ideo totam decimam in Dorstade pertinere sententiavi. Alii autem Jurisperiti dixerunt: putassent, quod prius omnes domus Hildesem partes inferiores suas super omnes partes elevassent superiores, antequam Doctor Heifede talem dedisset sententiam. Tamen, quia lata erat, revocari non poterat; & ipse, suo functus officio, amplius nihil potuit. Cum igitur forma juris sit approbata: *si gnovaris, appella*; Procurator Monialium in Heiningen de voluntate earum & nostra ad Curiam Romanam & sedem Apostolicam à præfata sententia appellavit: & ut clarè tunc patuit per probamenta Monialium in Dorstade, nullum aliud jus in decima illa dixerunt se habere, nisi quod *omnis decima totius mundi pertinet ad Plebanum*, & est ita res spiritualis, quæ vendi sine Simonia vel emi non potest. *Quod tamen omnis decima pertineat ad Plebanum, generaliter non est verum*: quia penè nullibi verum est, quod plebanus integram habeat suæ villæ decimam; & Moniales in Heiningen habuerunt pro fundamento possessionem ultra memoriam hominum, plusquam ducentorum annorum. Et quia non erat consultum, quod decimam illam, plusquam mille florenos valentem, propter negligentiam unius clausulæ perpetuò perdere deberent; idcirco merito appellaverunt à sententia Doctoris Heifede ad sedem Apostolicam. Cumque lis per aliquot annos in Curia Romana pependisset, tandem iudex causæ hujus Apostolicus, auditis probamentis Procuratorum Monialium in Dorstade, iudicem in Hildesem substituit Dominum Johannem Sprenger, Doctorem decretorum, Hildesii in summo Canonicum, ad audiendum & examinandum plures testes, de hujusmodi decima in terra ista notitiam habentes, mediante corporali juramento, scilicet decem aut duodecim. Quorum examen cum Romam per Laicum de Richenberg Nilolaum de Hasselt ad iudicem, causæ istius auditorem, misisset: ipse de consilio & assensu aliorum Coadjutorum Palatii curiæ Romanæ sententiam dedit, in hæc verba: Nos auditor & iudex causarum decimæ inter duo illa Monasteria Monialium Heiningen & Dorstade Diocesis Hildesemensis Ordinis Canonici, regularium, auctoritate Apostolica, consilio & assensu coadjutorum nostrorum, dicimus & pronuntiamus per hanc nostram sententiam, quod Doctor Arnoldus Heifede, Ecclesiæ Hildesemensis Canonicus, malam, iniquam & pessimam dedit sententiam super decimam in Dorstade, quam etiam per præsentem revocamus: & nos, eadem auctoritate & consilio, per hanc nostram definitivam sententiam dicimus, declaramus & pronuntiamus, quod decima in villa Dorstade pertinet in Heiningen Monialibus, & in Dorstade Moniales nullum jus in dicta habent decima, cum omnibus iuribus & pertinentiis suis. A qua ejus prima definitiva sententia pars adversa appellavit, timens, quod totam decimam præfata juxta ejus tenorem perdidisset. Appellatione igitur post sententiam istam interposita, de novo citari fecit Priorissam & Conventum in Heiningen coram iudice Domino Decano Sancti Cyriaci prope Brunswick, ad videndum & audiendum quasdam produci litteras, pro appellatione sua facientes; videlicet litteram, quam Moniales in Heiningen sigillaverant Monialibus in Dorstade, quod quartale decimæ illius cum decima carniū perpetuò retinere deberent, absque omni spirituali aut seculari impetitione. Sed, *frangenti fidem, fides frangetur eidem*. Quia enim Præpositus in Dorstade *Statius* litteram illam fregit, citando Moniales in Heiningen contra litteram illius tenorem, ideo creditur totam decimam juridicè perdidisse. Mandatum etiam iudicis appellati tenet, quod infra duodecim dies citari deberet pars adversa, ad videndum produci litteras, pro appellatione sua facientes; sed fecit contra: quia quarta feria in vesperum citari fecit eas, ut sexta feria coram iudice comparerent, ubi non fuit, nisi una dies intermedia. Ipsæ Moniales sunt in campis longè à civitatibus habitantes, Notarios apud se non habentes, qui tam subito Procuratores legitimos non poterant constituere. Sed cum mihi, in Hildesem constituto, ista per Clericum suum notificassent; ego verus earum creatus procurator cum potestate substituendi, certos in Brunswick constitui ad statim procura-*

procuratores, Dominum *Ludolphum Timmerla* cum cæteris; qui misit ad judicem Decanum, quærens, quando pro tribunali sedere vellet. Respondit: infra secundam & tertiam horam. Cum ergo procurator ibidem tunc venisset, factum invenit iudicium prima hora. Petiit copiam ibidem actorum; respondit: Notarius ivit versus Luneborg. Sed subdole! communiter egit pars adversa. Ego post veniens in Brunswick, obtinui omnia, quæ volebam, quod longum esset scribere. Dissensio ista post longa certamina inter ista Monasteria Heiningen & Dorstat, hoc modo terminata fuit. In Heiningen susceperunt Fratrem *Johannem Oelfinck*, in Sulda professum, qui fuerat hîc multis annis Subprior & Procurator, in Patrem & Præpositum: in Dorstat susceperunt Fratrem *Johannem Bileveldie*, in Wittenborg Priorem, qui officium ibi resignaverat, in Patrem & Præpositum, de mandato Episcopi Hildesienfis, & voluntate Priorum suorum. Hi cum amicis Monasteriorum præfatorum de mandato Episcopi concordaverunt, quod illæ de Dorstat darent Monasterio in Heiningen *pro expensis* (quia decima ad Heiningen de jure pertinuit, & nihil inde ad Dorstat, sicut jam sententiatum fuit in Curia Romana) *centum agros terre amabilis*, quos Sorores in Heiningen colere deberent per annos XXV, & omnem fructum inde provenientem sublevare. Ista contractum Episcopus Hildesienfis sigillavit & confirmavit: & ita omnis earum controversia cessat.

CAPITULUM XVIII.

De Monasterio Monialium in STEDERBORG, quomodo habitum, cantum & omnia, ad reformationem veram pertinentia, susceperunt.

Monasterium Monialium Ordinis nostri in *Stederborg* prope Brunswick ad unum miliare, Hildeshemensis Diœcesis, per *Ducem Henricum de Brunswick*, & per Priorem de *Richenberg Johannem Monasterii*, primò fuit reformatum. Quæ in habitu nigro per omnia, sicut Moniales in *Heyningen*, inceserunt, & antiquo habitu in vestibus, pepis & cæteris deposito, nostris Monialibus per omnia jam sunt conformes, vestitæ sicut in *Heyningen* & velatæ. Monasterium istud est satis dives. *S. Berwardus* Hildeshemensis Episcopus ista Monialium Monasteria in *Heyningen* & *Stederborg* fundavit; & cum bonis hæreditariis unius viduæ & filia ejus dotavit Monasterium in *Heyningen*; atque cum bonis hæreditariis alterius viduæ & filia illius dotavit Monasterium in *Stederborg*. Pro istorum Monasteriorum in reformatione perseverantia, optima eis Papalia & Imperialia, Ducumque Brunswicensium privilegia, in propria persona pergens *Romam ad Papam sibi notum*, impetravit, & uno die in utroque Monasterio, ad duo pene milliaria ab invicem distante, virgines, Deo ibidem in religione sancta servituras, investivit & consecravit, atque Christo, per coronæ virginum impositionem, & annuli ad annularem digitum earum traditionem, vice Christi desponsavit; professionem ab eis secundum regulam Almi Patris Augustini suscipiens, in Ordine Canonicorum regularium perpetuò confirmavit, anno Domini millesimo primo. Et, ut habet se humana infirmitas, quæ nunquam in eodem statu permanet, per quadringentos annos in sancta vita & regulari observantia non permanerant, sed per longa tempora, ultra hominum memoriâ, ab observatione trium, omnium ordinum substantialium, deviaverant, in proprietate, in incontinentia & in inobedientia vitam suam irreligiosam perducentes, usque ad tempora nostra, quo per venerabile Capitulum generale certa Monasteria Ordinis Canonicorum regularium in Saxonia noscuntur reformata. Non solum Monasteria Monialium Ordinis nostri, sed & diversum Ordinum Monialium Monasteria, per eosdem Patres reformatores vidimus reformata; quia non parvum laborem in hoc ipsum habui ad perficiendum, ut in præsentis libri pagina clarius declaratur. Ut ergo dicere cœperamus, Monasterium Monialium in *Stederborg* statuta Monialium Capituli nostri de *Windesem* assumerunt, & ea omni cum diligentia servare & secundum ea vivere devoverant, & in cunctis articulis suis, in quantum possunt, libenter observant. Observantia enim regularis, postquam per plures annos in Monasteriis bene fundatis perstitisset, tandem per Prælatorum & Prælatarum negligentiam disciplina claustralis successivè deperiit; & subditi ad vitia proprietatis, inobedientiæ & incontinentiæ paulatim dilabuntur, ut etiam ædificia Monasteriorum vetustate & reparationis negligentia minentur ruinam, & ita consequenter tota spiritualis & temporalis Monasteriorum profectus interire incipit & deficere. Dominus autem Cardinalis ista cognoscens, mandavit Episcopo Hildeshemensis & Duci Brunswicensis, ut Monasteria sibi subjecta reformarent. Hac autoritate suffulti, commiserunt Priori tunc in *Richenberge* præfato, ut Monasterium in *Stederborg* juxta morem Monialium Capituli nostri reformaret: quod & fecit in habitu, statutis & ceremoniis, ut præmissi. Posthæc cum ego de *Windesem* in Saxoniâ reversus fueram, *Dux Henricus* me rogavit, ut visitator & Pater earum esse vellem cum Priore de *Hammersleve Patre Everbardo*, cui tandem deni consensum. Scripsit ergo mihi in Sulda constituto,

ut certo die, in littera sua expresso, ad visitandas eas venire. Ipse etiam interesse voluit, sicut prius per se & per Capellanum suum interfuit, quando *Abbatessae de Bursfelda & de Huisborg cum Priore de Hamersleve* ipsas visitaverant. Cumque ad eum venissem in Castrum suum *Walfsbute*, dixit mihi: Cras mane veniam ad vos, ut eas pariter visitemus. Cui respondi: ad vos non pertinet, nec ad aliquos seculares, visitare Moniales. Si eas atque vultis visitare, tunc ego nolo interesse; si tamen aliquid ad hoc facere desideratis, tunc cras in domo Capituli earum, nobis visitatoribus praesentibus, dicere potestis: Venerabilis Domina Priorissa & sorores carissimae, Patres isti, *de Sulta & Hamersleve Priores*, ex parte Domini Hildeshemensis & nostra vos debent visitare. Quaecumque vos interrogaverint, illa dicatis eis, & quaecumque mandaverint vobis, ut faciatis, illa perficite: Vultis omnes in hoc nobis acquiescere? Postquam dixerint: ita; tunc dabimus vobis licentiam cum Monialibus singulariter loquendi. Dux ergo in crastinum, cum visitationem jam inceperamus, in examine Monialium occupati, venit cum sua Comitiva ad Ecclesiam earum; ad quem vocati accedentes, dixi: An vellent Conventui dicere, sicut die praecedenti sibi dixi? Ipsis igitur in Capitulo congregatis nobiscum, Dux dixit de verbo ad verbum, sicut ei die praecedenti proposui. Cui omnes sigillatim ab eo interrogatae responderunt: libenter! Tunc ad me respexit pro licentia sibi danda. Dixi ergo: Reverendae sorores, nos damus vobis omnibus licentiam singulariter loquendi cum Domino Duce, si aliqua eum alloqui velit. Et ita omnes surgentes, nos Patres ad locum, pro visitatione nobis deputatum, accessimus, & eam in duobus aut tribus diebus perfecimus. Ex illa hora pluries cum collega Priore eas visitavi, ad minus semel in anno. Puellas de seculo ad eas venientes, & per tempus *in scientiis Scholasticis, in bonis moribus*, in firmo proposito in Dei servitio perpetuo permanendi, bene probatas, saepius investivi & anno finito ad professionem suscepti. Ordinis nostri habitum *albam tunicam subtile* eas indui, *nigrum velum super omnia capitum suorum velamina* imposui. In choro stiones, inclinationes, genuflexiones demonstravi; in refectorio cum eis comedi, & caetera, quae ad veram reformationem pertinent, in cunctis locis & rebus necessariis ostendi. Contigit semel, Ducissam Brunsvicensem Dominam *Helenam*, conjugem Ducis Henrici, *sororem Domini Johannis Ducis Clivensis*, cum Monialibus in Stederborg una mecum in earum comedere refectorio. Ducissa sedit ibi ad nos in medio mensae, ego cum alia sorore ad ejus dextram, & Priorissa cum focia ad ejus sinistram. Cum autem cibus in magna scutella ei anteponebatur, porrexit mihi scutellam, ut ei praescinderem. Et feci sic, accipiensque portionem quam comedere deberet, cum manu sinistra, illam ei ante, posui; quod gratanter accepit & comedit. Et infra *Benedicite & Gratiarum* stetit in Ordine sicut Moniales. Cantum antiquum pro majori parte, usque ad adventum meum ad eas, retinuerunt: sed de Consilio meo & voluntate cantum Capituli nostri generalis assumerunt & ordinarium, & servant usque in praesentem diem. Sic ergo nunc in omnibus nobis sunt conformes; & quamvis seculares habent Presbyteros in Praepositum & Capellanos, Missale tamen pro summa Missa una sororum more nostro ex Missali de Sulta eis scripsit, ut non solum horis Canonicis, sed etiam in Missis conventualibus sint nobis conformes. Quamvis etiam secularem Presbyterum aut Praepositum habuerunt in quotidianum confessorem, ego tamen ter & quater in anno eas in confessionibus expedivi, ut statum scirem singularum personarum, quatenus eo melius & perfectius in sancta vita & regulari disciplina eas conservarem.

CAPITULUM XIX.

De Monasterio Monialium in FRANCKENBERG IN GOSLARIA, quomodo reformatum sit & per quos.

Monasterium in *Franckenberg* Monialium Ordinis Beatae Mariae Magdalene de penitentia, secundum regulam Beati Augustini & constitutiones suas, a sede Apostolica approbatas, fundatum; per Dominum autem Hildeshemensem Episcopum, *Magnum* nomine, & per quosdam terrae Proceres, cum adjutorio consulatus ibidem, primo fuit reformatum. Cum enim Moniales hujus Monasterii multum dissolutam, incontinentem, ut dicebatur, & secularem ducerent vitam, sine observantia trium substantialium Ordinis, ita, ut clamor vitae malae earum ubique spargeretur: viri quidam timorati, salutem earum desiderantes, Dominum Hildeshemensem induxerunt, ut ipsum Monasterium reformaret. *Magnus* igitur Episcopus, Dux Saxoniae ex natione, cum quibusdam Vasallis suis, *Henrico de Borsfelde & Hermanno de Dornten*, *Proconsule Goslarie*, venerunt ad praefatum Monasterium, curram habentes, paratum ad evahendum rebelles & inobedientes. Examinatis igitur singulis, quatuor Moniales de senioribus per curram inde evexerunt, & ad alia loca transmiserunt. Quatuor etiam Moniales Ordinis sui de Hildesheim secum assumerant, quarum unam *Alboreb Cramers*,

Cramers, in Hildesheim Procuratricem, ibidem tunc in Priorissam creaverunt; quæ dictum Monasterium cum sororibus sibi adjunctis ad bonam perduxit reformationem, sicut in proprio edocta fuerat Monasterio; & in tali reformatione per annos multos solícite conservavit, pluresque de seculo puellas pro reformationis suæ firmitate, postquam *scientiis Grammaticalibus* competenter fuerant imbutæ, ad habitum suæ religionis & ad professionem suscepit. Præfatum autem Monasterium Priori de Richenberge *Iohanni de Monasterio* commissum fuerat reformandum cum præfatis de Hildesheim Monialibus. Quo Prioratus sui officium certis de causis resignante, frater *Iohannes Clovekorn* de Osnaburgis, in Northorn Conventualis, in locum ejus per electionem successit; ubi jam ultra XV. annis Prior fuit. Dominus igitur Hildeshemensis ipsi & mihi in Sulta Priori, dictum commisit Monasterium visitandum, & si opus foret, etiam in confessionibus expediendum. Et quia ipse in propinquo, ego autem ad sex milliaria inde distabam, ideo ipse, seu cui de fratribus suis injunxerit, singulis quindenis, cum communicaturæ sunt, earum audit confessiones, & ita per annualem visitationem & frequentem confessionem in bona regulari observantia continuè conservantur. Priorissa ista defuncta, soror *Gertrudis Vromeke* vocata, Hildesheim nata, & ibi ad sorores professa, à juventute sua in bonis moribus educata, semper dulcis fuit & benigna, prudens & religiosa; similes mores & animi mansuetudinem in sorores sibi subjectas effundens; omnium gestiens salutem plus quam propriam voluntatem. Et in hoc non minime laudabilis, quia non in sensu suo abundat. Sicut Patres sui, Prior de Richenberge & ego, seu etiam confessor earum, habere volunt, ita libenter facit, & vult, ut sorores suæ similiter faciant. Si tamen Patres aliquid eis proponerent, quod sororibus non conveniret, hoc humiliter & mansuetè dicit eis; sic tamen, si in sententia sua Patres permanserint, tunc omnino eis acquiescit. Illam gratiam habet ipsa à Deo super omnes Saxonie Prælatas, Abbatisas & Priorissas, quod sui sensus obstinata non est; sicut plures in Saxoniam inveniuntur Prælatæ, quæ in suo sensu permanentes obstinatius, flecti non possunt ad obediendum etiam in his, quæ ad veram viam pertinent æternæ salutis & sanctæ reformationis. Si aliqua Prælata sibi hæc attrahit, ipsa sibi testis est, quod in præmissis rea est, cum ego forsitan hæc de alia scripserim. Sed ordinem inceptum prosequar. Moniales istæ, nunc in Monasterio isto professe, perversæ non sunt, nec reformationi malitiosè se opposentes, sed piæ & flexibiles, ad omne opus bonum, in quantum possunt, paratæ, sicut à Priorissa sua didicerunt. Ipsa enim Zelosa satis est pro Ordinis rigore & claustrali disciplina debite observanda. Observantiam igitur regularem plus jam, quam per longos annos, in omni forma & modo, sicut in Hildesheim ipsa didicit ad sorores, exactè custodit in se & suis sororibus. Licet pauperes sint & in temporalibus sæpe deficientes; patienter tamen mutuo se sustinent, bonorumque hominum Deum timentium solatio & caritativo subsidio aliquando sublevantur. Deus enim usque in præsens nunquam eas dereliquit, sed cum consumptas se putarent & quasi à Deo derelictas, tunc ipse Deus undecunque ex insperato diversis modis de necessariis suis eis notabiliter providit; aliquando personas aliquid secum portantes eis associans, aliquando elemosynas in pecuniis, pannis, panibus, cæterisque rebus per Christi fideles contri-buens. Sorores de penuria sua non murmurant, sed dicunt, satis se habere ad comedendum; quia ex his, quæ patiuntur, didicerunt patientiam. Et, quia bonæ, piæ & benignæ sunt ad invicem, ideoque in bona pace permanent & reformatione, omnipotenti Deo, ipsarum procuratori, die ac nocte fideliter servientes. Et quia *Prior de Richenberg* difficilem primo se reddidit ad curam earum in spiritualibus assumendam juxta mandatum Domini Hildeshemensis; ego tandem ipsum ad hoc induxi sicut & Moniales; & eas in confessionibus expediavi, cum oportuit, & eas cum ipso aliquoties visitavi.

CAPITULUM XX.

De reformatione Monialium ad SANCTAM CRUCEM in Erfordia.

Monasterium Monialium, ad Sanctam Crucem five ad Novam Opus nominatum, Ordinis nostri in Erfordia, Moguntinensis Diocesis, de mandato Domini Cardinalis *Nicolai de Cusa* ego cum certis Patribus civitatis Erfordensis, videlicet Domino *Christiano*, ibidem ad Sanctum Petrum Abbate Ordinis Sancti Benedicti, Domino *Henrico Lodowici*, Provinciali Ordinis Heremitarum Sancti Augustini, Doctore Sacræ Theologiæ, Doctore *Paulo* ad Sanctum Mauritium Hallis Præposito, & duobus Decretorum Doctores, totius Universitatis in sua facultate senioribus, visitavimus, & ad vitam communem assumendam induximus; propria ab eis recepimus, & in communi ea reponi mandavimus. Mirum enim fuit, quod tam multa utensilia à parentibus & prædecessoribus suis in Ordine singulæ sibi reservare potuerunt, quasi jure hæreditario ad se devoluta, hic jam inferius descripta. Summa reddituum annuorum in victualibus *ostoginta sexagena*: summa omnium officiorum Monasterii fuit, *trecenta & quatuor sexagena* annuatim: summa pecuniarum in promtis *septuaginta quinque sexagena*

gena in moneta argentea : decem & septem floreni Rhenenses aurei, unum nobile & unus florenus Ungaria : summa annulorum aureorum viginti duo : summa cochlearium argenteorum decem & octo : summa argenti in scyphis & pialis, undecim marca cum dimidia puri argenti. Amphoras de stanno habuerunt centum quinquaginta, abbas de stanno septuaginta, tunnas sive standers de stanno undecim, ollas areas centum quinquaginta, degbel & sartagines de are octoginta, cacabos & messinc becken simul quinquaginta, lewenbantvate duo, ferra ad coquendum torias duodecim, scuzellas de stanno triginta tres, & duo mortariola area. Moniales pene triginta ibi invenimus, quæ omnia præmissa coram nobis in commune in refectorio suo comportaverunt; & procuratricibus, per nos ordinatis, ea custodienda commisimus. Ego autem cum Doctore Paulo, quia Sorores Ordinis nostri erant, ad debitam Ordinis nostri reformationem eas perduximus. Primo omnium puellas de seculo, quas secum habuerunt, non ut religionem assumerent, sed ut bonos & disciplinatos mores addiscerent; & ut non viderent seu audirent in seculo, quæ eis audire non expedirent; de Monasterio recedere mandavimus, ne claustralem Sororum disciplinam & devotionem impedirent. Mensas in refectorio tres, more reformationis, ut singulariter sederent, non una contra aliam, tunc disposuimus; parvam nolam ad medium superioris mensæ contra faciem Priorissæ appendimus. Et ita cum eis in refectorio comedimus, me in superiori mensa ad nolam sedente, Doctore Paulo, Hallis Præposito, collega meo, cum una Moniali seu ancilla ministrante, & cibos apponente & removente. Chorum cum eis intravimus, inclinationes, stationes & ceremonialia nostra ipsis demonstrantes. Vidimus ibi, quod singulæ Sorores, plures retro dorsum suum in choro, ubi stabant, & in sedibus suis, habebant imagines Christi & Sanctorum sculptas & depictas, juxta singularum devotionem: quas omnes inde sustulimus, & ad orientem circa interstitium chori ipsarum & Ecclesiam reposuimus, ut omnes eas æqualiter aspicerent, devotionem in communi ab eis haberent, & non more consueto in privato. Moniales istæ nigrum deferebant habitum pro cappa super tunicas albas, & parvum velum, ab Episcopo eis impositum, super vittas, & desuper peplum album magnum sine velo nigro magno. Ego autem disposui, ut nigra linea cappa cum manicis deposita, in solo subtili albo more nostro de cætero incederent, & nigrum velum in missa, per me in choro earum celebrata, capitibus earum, super omnia pepla & coronas earum, imposui. Plures etiam de seculo puellas competenter doctas, diversis sæpe temporibus in choro earum frequenter investi, & suo tempore anno elapso, ad professionem suscepi. Anno Domini 1470. ante Michaelis in choro earum quinque novitias, præsentate Erasmo Præposito Novi Operis Hallis, ob rogatum Domini Guntheri, Abbatis in Monte Sancti Petri Erfordia, & Domini Doctoris Henrici Lodewici, ac Priorissæ Nese Paradys ad professionem suscepi, quam non mihi, sed suæ Priorissæ præfatæ in nostra præsentia Prioris in Sulta fecerunt, ante altare in choro superius. Sic enim litera professionis earum continebat. Unde in me ipso sæm miratus, quod Moniales in Thuringia & Erfordia, ultra viginti de Hildenseim milliaria, solennem in præsentia Prioris de Sulta, celebrantis ibidem, fecerunt in ecclesia & in choro virginum professionem.

CAPITULUM XXI.

Quomodo ad instantiam Consulatus Erfordensis transmissi & transdixi ad eas tres Moniales de Diocesi Hildensemensi pro earum informatione.

Post aliquantos annos reformationis earum primæ, per Consulatam Erfordensem litteratorie rogatus sum; qui etiam scripserunt Episcopo Hildensemensi; Præposito quoque & Decano Ecclesiæ Hildensemensis similes litteras, quatenus duas vel tres nostri Ordinis bene reformatas concederemus Moniales, quæ præfatas in Erfordia Moniales verbo & exemplo in veram perducerent reformationem. Ad instantiam ergo Episcopi & Prælatorum præfatorum assumpsi mecum duas Moniales bene doctas, & unam conversam, de Monasterio Ordinis nostri Hildensemensis Diocesis de Heyninghen, quarum ego Pater, visitator & reformator fui cum fratribus meis; quæ in habitu, cantu, statutis & ceremonialibus per omnia nobis in Sulta sunt conformes: & adduxi in curru spherico eas in præfatum Monasterium in Erfordia. Patres autem in Erfordia reformatores, Abbas, & Doctor Provincialis, & ego, autoritate Domini Cardinalis commisimus superiori Sorori mecum adductæ, Albeidi Mollers, quæ Superiorissa fuerat in Heyninghen, Suppriorissæ officium ibidem, & totum regimen Monasterii in spiritualibus; quatenus sine ejus licentia nulla Sororum aliquid notabile faceret: ipsa daret licentiam intrandi vel exeundi chorum, capitulum sextis feriis ipsa servaret, etiam præsentate Priorissæ; quæ tamen culpam dicere non deberet, sed modum servandi capitulum ab ea disceret; & nihil sine ejus fieret imperio sive licentia. Alia soror Monialis, quæ cum ipsa venerat, cantrix esset & juvenum informatrix; tertia, Albeidis, conversæ refectoria esset & fenestraria. Anno autem Domini 1463. gravissima in Erfordia supervenit pestilentia, in qua Priorissa Monasterii ejus, satis devota, & viginti Moniales, cum octo puellis nondum investitis,

ritis, in brevi tempore pariter mortuæ fuerunt, paucis in Conventu Sororibus remanentibus. Sorores tamen nostræ, quas adduxi, sine pestilentia constantes sanæ permanferunt. Unde factum est, ut de consilio Patrum præfatorum, seniore Sororem nostram, *Albeidem Mollers*, eligerent in Priorissam; quæ à Domini Maguntinensis in Erfordia Provisore accepit confirmationem. Et ita in manibus Sororum nostrarum totum stetit in temporalibus & spiritualibus rebus Monasterium; quod juxta statuta & ordinarium nostrum, in quantum poterant, instituerunt. Cantum nostrum nolui, ut ex toto assumerent; quia Sorores nostræ perpetuò ibi non erant permanfuræ, & postquam inde recederent, non intendebam eas omni anno visitare, propter viarum longinquitatem; quamvis Consulatus Erfordensis id libenter habuisset, promittentes eis unum gradale & unum antiphonarium more nostro se duros. Habuerunt etiam libros multos bene scriptos & notatos pro choro, in textura & pergameno, æstimo circa triginta. Nolui etiam, quod illos perderent, quia juxta valorem eorum non poterant eos vendere, & ex eis de cætero cantare non potuissent. Tonos tamen nostros & alia quædam cantica nostra: *Te Deum laudamus* & similia, assumerunt; Similiter & statuta Monialium nostrarum, quæ eis in scriptis dereliqui. In prima earum reformatione ego & *Doctor Paulus* in generali earum confessione eas expedivimus: & interim ego Erfordiam adveniens, confessionem earum frequenter audivi, plurimum ipsis gratulantibus, quod mihi poterant confiteri, qui omnem statum earum agnovi. Capitulum culpæ ante adventum Sororum nostrarum ad eas ego tenui, ubi *Doctor Paulus*, Præpositus in Hallis, coram nobis & Monialibus in medio refectorii toto corpore super tapetum ibi positum se prosternens, veniam perivit, & ad jussionem nostram surgens, cum osculo pavimenti dixit culpas suas, à me informatas, prout eis deservivit. Et à me proclamatus, secundo se prostravit: & ita, accepta pœnitentia, apud me confedit. Tunc dixi Priorissæ & omnibus Sororibus: Sic omni sexta feria singulæ facietis, excepta Priorissa. Cum autem Sorores nostræ ibi advenissent, oculata fide per ipsas id ipsum sapius demonstravi, scire volens, an Sorores nostræ etiam capitulum ita servarent, ut deberent. Per tres igitur annos Sorores nostræ de *Heyninghen* ibi permanferunt. Quibus completis, ad multam petitionem Priorissæ in *Heyninghen*, *Alleide Mollers* officium Priorissæ ibidem resignante, reduxi eas in curru spherico ad proprium in *Heyninghen* Monasterium. Huic succesit in officio Prioratus devota virgo, *Nesa Paradys*, incola civitatis Erfordensis, quæ summa diligentia claustralem disciplinam & doctrinam scholasticalem in suo nititur Monasterio conservare, habens in adiutorium Patres bene reformatos Abbatem *Dominum Guntherum*, ibidem ad Sanctum Petrum, & *Doctorem Henricum Lodewici*, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini; quorum providentia in ultima earum visitatione, per ipsos, & per me, & Præpositum Hallis Novi Operis *Erfnum*, anno Domini 1470. invenimus eas in bona pace & competenti bona reformatione; sicut & hodie sunt anno tertio illum sequente.

CAPITULUM XXII.

De Monasterio Monialium ad Sanctam Cyriacum, quomodo fuit reformatum.

Monasterium Monialium *Erfordie ad Sanctum Cyriacum* Ordinis Sancti Benedicti, non longè à civitate constitutum. Nos, Abbas ad Sanctum Petrum, ego in Novo Opere Hallis Præpositus, *Doctor Paulus* Hallis Præpositus, *Doctor Henricus Lodewici*, & duo Doctores seculares visitantes, invenimus Monasterium in temporalibus fatis abundans: Moniales autem ejus, in vestibus & peplis multum pomposè incedentes, cum longis tunicis & cappis & magnis peplis, capitaque in altum elevantes, mirantes aspeximus; quæ non Monialium, sed domicellarum castrantium apparatus habuerunt. Tandem propter Domini Cardinalis mandatum pœnale, & nostram piam informationem, in reformationem nobis consenserunt, & vitam communem, cunctis rebus proprietatis suæ relictis, libenter tandem assumerunt. Hæc subjecta in nostra præsentia in commune præsentaverunt: Summa, auri in florenis *Ungariae & Rhenensibus* centum triginta octo: summa in prompta pecunia argentea octoginta sexagenæ & unus florenus postulati: Summa annulorum aureorum sexaginta: Summa argenti & crallen, quæ in pondere valent, sicut totum puri argenti, triginta tres marcæ puri argenti: Summa redituum personarum centum & quindecim sexagenæ: Summa redituum officiorum centum quadraginta & duæ sexagenæ. Amphoras, flascones & stannos habuerunt ducentas, ollas, lebetes areas centum triginta tres, flascones de pyro decem, mortariola de ære septem, batillos quatuor, ferra pro tortis coquentis, sex, Lavatoria de orichalco quatuor. Duas ibi constituimus Procuratrices, quæ hæc omnia cum Priorissæ suæ consilio custodienda, & suo tempore, cum oportunitas fuerit, exponenda susceperunt. Aliis etiam officialibus ibidem à nobis constitutis, confessiones earum audivimus, & ab omnibus peccatis & criminibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, ut à Simoniaca

Uuuuu

pravita-

pravitate, eas absolvimus. Omnes enim in Saxonia, Moniales cujuscunque Ordinis in Monasteriis, in quibus intraverunt, Simoniacum habuerunt ingressum, certam dantes pecuniæ summam pro earum susceptione ante modernam reformationem. Singulis etiam personis, Præpositis, Presbyteris, Capellanis, certam & consuetam ex antiquo intrantes dabant propinam; convivia magna plurimorum amicorum, & cunctis Monialibus & inhabitantibus administrantes. Ita communiter & in omnibus Saxoniarum Monialium Monasteriis, præsertim divitibus, fieri consuevit; quod de cætero ibi & ubique in Monasteriis Monialium fieri, prohibuimus. Ante ingressum ad Monasteria nullum omnino pactum debet intervenire; sed qui vel quæ nihil habet, nihil de suis bonis temporalibus secum portat, sed tantum bonam & fervidam voluntatem, mundum & quæ in mundo sunt, relinquendi, & Domino Deo in vera obedientia, paupertate & continentia, cunctis diebus vitæ suæ, fideliter deferendi. Qui vero hujus mundi, hæreditario jure aut aliunde justo titulo, habuerit substantiam, ille merito ad Monasterium, quo ad Ordinem ingressus fuerit & susceptus, illam secum apportabit; ut multi Deo ibi sine magna pecunia vivere valeant, & animas suas salvare. Præfatum autem Monasterium ad Sanctum Cyriacum per providentiam Domini Abbatis Guntheri ad Sanctum Petrum, quia ejusdem Ordinis sunt, per annos jam viginti tres in bona competenti permanfit reformatione Anno Domini 1473.

CAPITULUM XXIII.

Quomodo Monasterium ad Albas Dominas Erfordiarum fuit reformatum.

Monasterium Monialium ad Albas Dominas Erfordia, Ordinis Beatæ Mariæ de penitentia, cum Domini præfati, Abbas, ego, & quatuor Doctores superius nominati, autoritate Domini Cardinalis reformare deberemus & visitare: Patrem quendam magnum statura, in longa nigra toga usque ad talos protensa incedentem, caputio nigro magno cum (*) liripipio seu tympa, caput tegentem, habuimus adversarium contradicentem. Quid sub toga illa longa habuit, videre non potuimus. Cumque in Præpositura illius Monasterii inhibere nobis non cessaret, ne dictum Monasterium visitarem; tandem Doctor Jacobus Hertmanni, senior nostrum, dixit ei: Domine, ipso facto estis excommunicatus, quia religiosum vos esse dicitis, & nullum religionis alicujus habitum defectis. Et statim mittere volumus ad Dominum provisorem Erfordensem, qui autoritate Domini Maguntinensis Archiepiscopi vos excommunicatum declarabit, & excommunicatum faciet publicè in ecclesiis denunciari. Et tunc faciet vos de civitate expelli & deturbari. Quo audito, præfatus Pater, Ordinis earum Præpositus, territus respondit: Si visitationi vestræ me interesse vultis, tunc mihi bene placebit, quod autoritate Domini Cardinalis seu Archiepiscopi visitatis. Propter pacem igitur omnium nostrum bonâ concordia finaliter admittimus, ut visitationi nostræ interesset: quia nihil ibi facere intendebamus, quod occultum esse volumus. Quia ergo Patres, ibi nobiscum præsentem, formam visitationis nostræ nondum viderant, rogaverunt me, ut dux verbi essem in examine & relatione. Quibus assensum præbens, singularum nomina sororum scripta in membrano, spatium parvum inter Sororum nomina scripta derelinquens, in quo singularum defectus describerem personarum, in fine visitationis in communi audientia recitandos, cum certis penitentium singularis imponendis. Formam igitur visitationis perlectam & in omnium audientia pronunciatam, ad locum examinis processimus omnes, singulis Monialibus, à senioribus incipiendo, seorsim ad nos vocatis. Quibus diligenter auditis & examinatis de personis singularis Monasterii, de statu ejus in temporalibus & spiritualibus rebus: invenimus eas omnes in proprietate viventes, nec regulam nec constitutiones suas observantes. Qua propter piis & consolatoriis verbis ad reformationem & regularem observantiam induximus eas animo prompto assumendas. Quibus tandem nobis in hoc consentientibus, primum omnium comportaverunt in commune cuncta propria, quæ habebant. Et quia pauperes tunc erant, pauca hæc subjecta coram nobis ad commune præsentaverunt. Summa in pecuniis promissis quinque sexagenæ grossorum, & duo floreni Rhenenses in auro. Summa in vitaliciis omnium Sororum triginta quinque sexagenæ. Summa omnium officiorum triginta sex sexagenæ. Summa in argento & crallen Pater noster septem lotones. Amphoras de stanno quadraginta unam, scutellas de stanno decem, stascones octo, ollas areas quadraginta sex, lebetes decem & novem. Istitis ita comportatis, relationem feci & finem visitationis, singulis Monialibus & Priorissæ dicens defectus; & in generali, quæ videbantur ipsis dicenda; singulis injunctis pro modo culpæ penitentibus, disciplina videlicet & semel septem psalmos dicere penitentiales. Deinde confiteor diximus omnes Patres & ego cum Monialibus; & ita visita-

(*) Liripipium longa fascia vel cauda caputii. Du cange. Tympa (in Saxonia inferiore) est extremas rei crassioris, in fine autem contractionis sive in acumen definitis. Liripipia in aliquot academis antiquis ex capitiis Magistrorum dependent, quando crantur.

visitationi finem imposuimus. Omnibus his formaliter ita peractis, dixit Pater Monialium Provincialis, qui prius nos voluit impedire, ne visitarem: Venerabiles Patres, valde bene mihi placet vestra visitatio; & non parum sum gavifus, quod interesse merui, quia bonum faciet in aliis Monasteriis, per me in posterum visitandis. Præfata vero Moniales per annos plus quam viginti tres in eadem permanent reformatione, habentes confessorem, Venerabilem Patrem Magistrum *Henricum Lodewici*, Doctorem præfatum Sacræ Theologiæ, aut aliquem de Fratibus suis, cui injunxerit. Consulatus Erfordensis scripsit mihi, ut concederem sibi ibidem Moniales reformatas ejusdem Ordinis de Hildesheim. Et quia Priorissa ad Sorores in Hildesheim ad hoc mihi dare noluit consensum, infra unum vel duos menses mortua fuit, sicut sibi prædixi; prout plenius habetur in libro sequenti capitulo sexto.

CAPITULUM XXIV.

De reformatione Monasterii Monialium SANCTI MARTINI Ordinis Cisterciensis.

Monasterium Monialium *Erfordia ad Sanctum Martinum* Ordinis Cisterciensis Patres præfati & ego, ad Novum Opus Hallis tunc Præpositus, post Abbatem in hujusmodi reformatione major Prælati, autoritate Domini Cardinalis & Papali visitantes, invenimus Priorissam & Moniales *multum simplices & humiles*, in magna paupertate degentes; bonæ tamen voluntatis, ad omne bonum opus, quantum in eis fuit, juxta vires & facultates suas paratas. Prompto enim animo dederunt se ad obedientiam & ad regulæ suæ observantiam. Et quæ in proprietate habebant, libentissime nobis in commune apportabant, videlicet hæc subjecta. Summa in promptis pecuniis fuit decem & septem sexagenæ, decemque & octo novi grossi. Summa reddituum & vitalitium annuorum centum quinquaginta sexagenæ, & summa annulorum aureorum tredecim. Summa in auro, argento & (***) *crallen pater-noster* triginta quinque marcæ. Ollas æreas, *döpken sive lebetes* centum quinquaginta. Amphoras, flascones & scutellas de stanno centum quinquaginta, pelves de orichalco tres, martariola cum suis bacillis sex, lavatoria de orichalco duo. His coram nobis deportatis, ad vitam communem & ad unam mensam omnes se dederunt. Quando relationem facturi eramus nos visitatores, Prælati quatuor diversorum Ordinum, & duo Doctores seculares: posuerunt circa nos virgam, ut si aliqua earum disciplinam pro excessibus suis accipere debuisset, quod virga tunc esset ad manum. Unde magnam earum mirabamur simplicitatem, eo quod non erubuerunt publicam agere penitentiam coram nobis. Unde nos non parum erubescimus hoc videntes. Sorores istæ in bona competenti permanserunt reformatione per annos plus quam viginti tres usque in præsens, per informationem & visitationem Patrum & Doctorum præfatorum.

CAPITULUM XXV.

De reformatione Monialium BEATÆ MARIAE MONTIS Ordinis nostri prope Helmstede.

Monasterium Monialium Ordinis nostri *Beata Maria in Monte* prope Helmstede Diocesis Halberstadenensis, multis sæpe modis per Patres diversorum Ordinum per multos annos frequenter visitatum audivimus, & attentatum reformari; quod tamen ad perfectam non potuit venire reformationem. Cum autem Monasterium Ordinis nostri in *Hammersleven* ejusdem Diocesis ad perfectam pervenisset reformationem, Prior ibidem *Everhardus Lochte* valde fuit sollicitus; ut præfatum Monasterium in Monte Beatæ Mariæ etiam perfectè reformaretur. Vocavit igitur frequenter *Priorem de Richenberge* & *Priorem de Sulta*, prædecessorem meum; etiam me post reditum meum in Saxoniam, ut autoritate ordinaria ibidem secum visitarem. Quod factum est; & quia in Saxonia Monasterium Ordinis nostri Monialium tunc non fuit, juxta tenorem nostrorum statutorum Monialium perfectè reformatum: idcirco per se ipsum, per Abbatem *de Huysborg*, per *Priorem de Richenberg* & per alios Priores & Priorissas me rogavit & rogari fecit, quatenus duas vel tres Moniales bene reformatas, & in scientiis scholasticis eruditas, à venerabili nostro generali Capitulo de Wyndesen eis procurarem; allegantes, me ibidem bene vocem habere præ cæteris in Capitulo, cum essem filius ibidem conventus & unus jam de senioribus, & plura similia, ad id me moventia. Quamvis enim cum Patribus eas prius visitavi, in refectorio cum eis comedi, capitulum culparum eis tenuimus, & similia plura ipsis demonstravimus: hæc tamen omnia ad perfectam

Uuuuu 2

(**) ex sorallus.

fectam reformationem eis non sufficiebant. Idcirco tandem assensum præbui, ut pergerem ad generale in Wyndesem Capitulum. Suscepi ergo à præfatis Monialibus currum sphericum five carpentum cum seruo & quatuor equis, & sex in auro florenos Rhenenses pro viatico; & perveni in Wyndesem Dominica *Misericordias Domini* anno Domini MCCCCLXII. ad venerabilem Patrem in Wyndesem *Theodericum Priorem*, à quo & à cunctis diffinitoribus & Patribus Capituli gratiosè satis sum susceptus. Et cum petitionem meam audissent, gavissimè sunt, quod ad animarum tantarum salutem possent cooperari; votis & precibus meis libenter annuerunt, inquirentes, à quo Monialium Monasterio tales sorores libentius haberem. Quibus respondi: *de Bronopia*. Nam cum illis jam concordaveram, si mihi generale Capitulum consentiret, quod mihi tunc tales concedere vellent. Duas igitur Moniales & unam conversam concessit mihi venerabile Capitulum generale ad tempus, prout mihi videretur expedire. Habita hac licentia, perrexi ad oppidum *Campense* in Bronopiam cum curru illo spherico ad Monasterium Monialium, cum quibus aliquando habitaveram; proponens Priorissæ & Conventui petitionem meam, consensum earum super hoc requirens. Quæ audito consensu Capituli, prompto animo statim assenserunt. Contuli ergo cum Priorissâ Domina *Margaretha de Olsfende*, quænam Moniales mecum essent profecturæ? Quæ ad arbitrium meum id deposuit, nominans tamen mihi, quæ sibi ad hæc viderentur utiles. Conclufimus autem, quod istas tres assumerem sorores, *Idam* & *Teclam* Moniales & *Alleydem* conversam; quia bene devotæ erant ad Deum, & in scientiis eis necessariis satis doctæ. Interrogatæ igitur à me, an paratæ essent mecum pergere in Saxoniam, responderunt: Licet longa virginibus sit via & patria nobis ignota; filias tamen nos obedientiæ exhibebimus. Cum etiam Venerabile nostrum Capitulum generale id ita disposuit, & Priorissæ nostræ ita complacuit: ad plurimam vestram instantiam (*Zelo Dei*, sicut expertæ sumus, accensam) nostram ad hoc paratam præbebimus voluntatem, dummodo, quocunque eventu, nos deserere non velitis, quia sub fide & protectione vestra vobiscum libenter ire volumus. Tunc ego, gratias Deo agens, dixi, ut se ad viam quantocius præpararent. Rebus ergo necessariis, cibis & potibus, libris & vestibus coassumtis, currum pariter ascendentes, dedimus nos ad viam, omnique nocte, ad quadraginta milliaria, apud personas Monasticas aut congregationes devotas multùm hilariter & benignè fuimus recepti. Habuimus etiam nobiscum in curru vinum & species, panem & cerevisiam; si propter vecturæ inconsvetudinem aliquando male haberent, ut sic recreare se possent. Cumque extra fines suæ Diocesis pervenissent, semper pavida fuerunt & suspectæ, raptores & *Rutheros* hominum & bonorum in Westphalia & Saxonia audientes habitare. Unde ad jactum lapidis in viâ à nostra præsentia vix se audebant subtrahere. Deo autem factò nobis propitio, & Angelo sancto nos comitante, in Sultam salvi pervenimus. Frequenter enim in via dixi & cogitavi, quod Deus esset nobiscum, & Angeli sancti super currum, ubi pariter sedebamus, nobiscum volitarent, & ab omni malo nos defenderent, quoniam pro amore Dei & animarum plurimarum salute iter hoc assumsimus. Erant enim Deo devotæ virgines, Deum timentes, & sanctam coram Deo habentes conversationem. Deinde pariter perreximus in Montem Beatæ Mariæ Virginis prope Helmstede, ad Monasterium Monialium præfitum, ubi obviis manibus lætanter jucundè multùm fuerunt susceptæ à Domina *Helena* Priorissâ ibidem, & à cunctis ac singulis sororibus. Patres igitur *de Hamersleve Everhardus* & *de Riebenberg Iohannes Clovekorn* hæc audientes, confestim nobis ibi occurrerunt: ubi matura præhabita deliberatione, seniorem sororem nostram *Idam* ordinavimus in Sub-Priorissam, ita ut in spiritualibus totum haberet regimen Monialium, capitulum culparum, etiam præsentem Priorissâ, audiret, pœnitentiam imponeret, & etiam, cum opus esset, disciplinam daret corporalem; in choro & refectorio licentiam intrandi & exeundi daret, etiam præsentem Priorissâ, & in claustro per diem & noctem, sine ejus licentia petita & obtenta, Moniales nihil facere attentarent; quatenus per hoc Priorissâ & Moniales veram regularis observantiæ formam successivè addicerent. In causis tamen Monasterii temporalibus, litteris videlicet sigillandis, bonis & agris elocandis, debitis (*) emendandis & sublevandis, Domina *Helena* Priorissâ totum faceret, sicut antè consueverat. Ipsa Priorissâ culpas in Capitulo non dixit, sed modum videre debuit, quomodo Capitulum observari regulariter deberet. Soror *Tecla*, in Grammatica competenter docta, juvenes instruxit puellas & Moniales, in cantu, in scientiis scholasticis una cum Sub-Priorissâ; quæ in tantum in eis profecerunt, ut *scripturas Divinas clarè intelligerent, exponere scirent & litteras sive Missivas in bono Latino magistraliter dicerent*, sicut ad oculum ipse vidi & examinavi. Soror *Alleida* conversâ dulcis erat in verbis, moribus composita, & in omnibus sensibus exterioribus custodita. Hæc conversis & donatis formam dedit orandi, laborandi, silentium observandi, & ordinem pro modulis suis in suo statu die ac nocte debitè custodiendi; Unde ab omnibus Monialibus conversis & laicis ex corde fuit dilecta & in reverentia habita. Cumque tres istæ sorores per annos tres in præfato perman-

fissent

(*) emendandis MS. Sult. einmahnen.

fuissent Monasterio, sanctæ reformationis & doctrinæ vividum ipsis præbentes exemplum, placuit mihi & ipsis, ut ad proprium eas reducerem Monasterium, unde exierant; quia soror *Tecla* gravem quandam incurrebat infirmitatem, quæ multum divites habuit parentes & fratres in Frisia, terræ suæ proceres & majores, unde Monasterium in *Bronopia* bonam postmodum recepit pecuniæ summam. Priorissâ ibidem ausâ non fuit ei procurare medicinam pro sua sanatione, nisi prius me de Sulta ad decem milliaria pro consilio vocaret. Vocatus ergo veni, & eam in infirmaria inveni sedentem; & jussi ut (***) minueret, & medicinam sibi congruentem acciperet. Cumque per duos aut tres dies ibi mansissem, deliberavi tunc temporis sine illis inde recedere; quibus de vespere tunc valedixi. Post hoc venit ad me Procuratrix domus, dicens: Carissime Pater, soror *Tecla* in recessu vestro ita lamentabiliter vos aspexit, quasi diceret, nunquam vos amplius videbo. Rogo, ut cras mane ante decessum vestrum adhuc semel ei loquamini. Respondi: libenter; quia dilecta soror mea est, & propter Deum & propter me omnes amicos suos satis divites, & patriam suam reliquit, in tam alienas & peregrinas sibi terras me secuta. Mane igitur eam lecto decumbentem visitavi, *Ida* & *Alleide* præsentibus. Tunc melius habuit & bene contenta fuit, ut inde tunc recederem, quia de illa infirmitate statim omnino convaleuit. Deinde post Pascha, volens eas in Bronopiam reducere, veni in Montem Beatæ Mariæ prope Helmstede ad Monasterium præfatum; ubi alio curru sphaerico tunc parato cum aliis equis quatuor, assumtis rebus suis omnibus, valedicentes Priorissâ & sororibus, cum multis lacrymis currum mecum ascenderunt, versus *Wyndesem* perreçtura. Et prima nocte in Monasterium Monialium Ordinis nostri *Heyningen*, sub regimine nostro per omnia constitutum, pervenimus; in quo propter diem celebrem sequentem duabus noctibus permanserunt, & propter Monialium illarum consolationem. Priorissâ de Helmstede Monasterii Beatæ Mariæ continuò cursorem misit post eas cum litteris, suis & sororum suarum lamentatione plenis, quod sic improvise eas amisissent, perpetuam earum unitatem & caritatem desiderantes. Inde recedentes duxi in Brunswik, & ulterius in Sultam, & in Hildesheim ad Moniales, Abbas Dominas, ubi etiam quieverunt. Visa civitate & Ecclesiâ Cathedrali, cum in Sulta comedissent, perrexi cum eis in *Wittenborg* Monasterium virorum Ordinis nostri, ad duo milliaria de Hildesheim, ubi senior earum, soror *Ida*, spissa satis & pinguis, in tenebris mane surgens, de gradibus camerae, in qua dormierat, cecidit in cellarium, quod ibi subitus erat, & lumbos suos læsit, ut incedere non valeret, & vix sedere posset. Unde ibi ad tempus manere voluit, donec melius haberet. Sed ego cum equis, servo, curtu & ipsis ibi nolens manere, apprehendi eam, & ad currum portavi, & cum adjutorio eam in currum levavi. Cumque ulterius pergeremus, in diversis religiosis locis gratiosè satis suscepti fuimus, ita, ut mirarentur, quod ubique, & per totam terram & per viam, tam lætanter & reverenter nos reciperent, & plus honoris ubique impenderent, quam magni Prælati in terra earum consequi consueverunt. Prospero igitur cursu tandem pervenimus *Bronopiam*; ubi cum magno gaudio susceptæ fuerunt, Altissimi clementiam laudantes, quod sanæ & incolumes redierunt; enarrantes ibi cunctis magnalia, quæ Dominus Deus per eas operatus est in Saxonia. Ex isto Monasterio *Montis Beatæ Mariæ* prope Helmstede duo alia Monialium Monasteria sunt reformata, videlicet *Fontis Beatæ Mariæ*, ad unum distans milliare de Helmstede ejusdem Ordinis, & Monasterium Monialium in *Stendel* oppido Marchionis de Brandenburg, per consulatum ibidem de novo constructum, eo quod perfectam Ordinis nostri reformationem à sororibus in Bronopia jam didicerant.

CAPITULUM XXVI.

Epistola Patris JOHANNIS IN SULTA PRIORIS ad Sorores, de Capitulo Generali Windeshemenfi sibi concessas, in Helmstede.

Spiritum Paraclætum, pauperum consolatorem, pro salute, Amen. Charissimæ in Christo Sorores, sitis in Domino fortès, & servite illi in lætitia cordis vestri. Ad hoc enim ab æterno vos elegit Dominus, ut in hac vestra peregrinatione cæleste regnum promereri debeatis. Nolite ergo Spiritui Sancto in hoc resistere, sed opus Dei cum gaudio operemini: nec parvum vobis videatur, quod præ cæteris vestris sororibus ad hoc electæ estis à Deo, ut per tanta terrarum spatia in ignota vobis regione vestram & aliarum multarum animarum salutem operari debeatis. Unius enim animæ à malo in bonum conversio, & à vita irregulari & dissoluta in regularem observantiam commutatio, plus est, quam totius mundi de novo creatio, propter voluntatis repugnantiam, quam ad hoc oportet accedere. Quidquid igitur pro hujusmodi regulari observantia in cordibus & in doctrinis sororum illarum perficiendis feceritis, totum sanctum est, ut (†) *Pater noster*, vitæque

Uuuuu 3

æternæ

(**) Minueret scilicet sanguinem, venam sibi incidi pateretur. Du Cange.

(†) Tantopere Deo placet, ac si *Pater noster* dicatis.

æternæ lucrificativum. Et in hoc gaudere debetis, quod, cum omni die, omni hora, pro sororum illarum pia instructione estis occupatæ, aurum tunc purissimum, in cælo vobis repositum, multum promeremini, quantum in domo vestra; unde existis, pro medietate lucrari non poteratis; præsertim cum hæc plura vobis inconveta, & naturæ vestræ aliquando contraria, in cibis & potibus, moribus & hominibus, rebus & utensilibus, patienter sustinere vos oportet. Sed medicus & momentaneus labor vester iste, patienter pro Deo perpeffus, æternum gloriæ pondus in vobis operabitur. A Deo enim & Angelis sanctis omni hora, loco & tempore de cælo aspiciimini, qui vestram sanctam conversationem, sanctum vestrum propositum & bonam intentionem, die ac nocte, semper respiciunt, plurimum vobis congaudentes, quod tanta bona in animabus sanctis fideliter operari dignæ estis inventæ. Nullus labor durus, nullum tempus longum vobis videbitur, quo æternitatis gloriam poteritis adipisci. O quam felicissimæ vos nunc estis, quod in vobis & in aliis, vitæ sanctâ & doctrinâ, tanta bona potestis operari, quæ nemo, seipsum quærens & corporis sui commoda non necessaria, perfecte consequitur. Non ergo vos tædeat, iter & opus tanta promerendi ex obedientia arripuisse, nec corde revertamini in Ægyptum, ubi super ollas carniû sedistis, pepones, cepe & allia comedentes; nec recordemini magnorum piscium, quos in Brunopia habuistis, sed semper Deo agatis gratias, qui vos tam infinita bona promerenda eligere est dignatus, & utique gratæ estote Deo & hominibus; cuncta vobis evenientia à Deo scientes ordinata, pro vestra & aliarum æterna salute. Qui enim converti fecerit peccatorem aberrare viæ suæ, liberabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Si ergo constantes animis vestris, in tam sancto opere quietè usque in finem perseveraveritis, regnum Dei indubitanter recipietis, ubi ipse Deus est, magnus & gloriosus in æternum. Charissimæ in Domino filiæ, à vobis recedens, & in Monasterio Monialium *Stederborg* constitutus, hæc pauca pro munusculo & aliquali vestra consolatione, dignum duxi vobis scribenda, ut animæ quiore effectæ, prælia Domini cum lætitia præliemini. Cum his Deo omnipotentis & suæ benedictæ Genitrici Mariæ fitis commendatæ, una cum sancto virginum vestrarum collegio: & pro me peccatore rogo, ut oretis, ut vestris sanctis meritis participem me faciat Deus. Amen. Anno Domini 1462.

Epistola Priorissæ & Procuratricis in Helmstedt ad istas tres sorores, à Capitulo sibi concessas.

Helena Priorissa, & *Geske* Procuratrix sanctimonialium in Helmstede, in Monte Beata Maria, devotis ac religiosis Virginibus *Ida*, *Tecla* & *Albeidi*, reformatricibus nostris & sororibus dilectissimis, Jesum, cibum Angelorum, & paschalem refectionem omnium electorum, pro salute. Dilectissimæ sorores, notam vobis facimus tristitiam nostram, quam de vestro recessu habuimus à majore usque ad minorem, quam vobis explicare non possumus; etiam ab his, de quibus non creditis. Oportet nos carere quod habuimus. Soror nostra *Geske Zelde* tam lamentabiliter flevit, & non potuit intrare domum laboratorii; ita tristatur de sorore *Albeide*. Soror *Metteke Gustin* ita fuit contristata, quod comedere non potuit nec bibere. Quando intravi coquinam, tunc soror *Trineke* tam multum flevit, quod omnes, quæ secum erant in coquina, etiam fleverunt, & dixit: O vix, jam Capitanea nostra recessit. Soror *Elisabeth Cyriaci* officium Missæ incepit; quæ præ lachrymis tam lamentabiliter fuit præcantata, quod vix eam cantare potuerunt. Quando *Benedictus* post *Sanctus* debuit inchoare, tunc in tantum flevit, quod cantare non potuit, sed soror *Elisabeth Broezen* illum ulterius incipiendo finivit, quod tamen vix perfecit. *Geske Obrecht* & *Heilwich* cantrix valde contristantur, quod valete vobis non dixerunt, quia nescierunt, quod tam mane pergere voluistis. Jam vobis tot demandant valete, quot in mari sunt arenulæ. Quando scholares Sabbatho intrant scholas, non possumus vobis exprimere omnes lachrimas, ibidem tunc profusas. Ego & Procuratrix alias sorores consolari deberemus; sed melius indiguistemus, quod aliquis nos fuisset consolatus. Quando loca vestra in choro, & refectorio, & in dormitorio consideramus, tunc multum contristamur & ploramur, dicentes: O Deus si jam Brunopia jaceret, ubi *Heiningen* ad quinque à nobis milliaria jacet, tunc nos sæpius mutuò possemus visitare; quod ita jam non possumus, cum quadraginta milliaribus ab invicem distamus; sed sumus quasi mortuæ super terram in finibus ambobus. Plura jam sciremus, vobis merito scribenda: sed quia circa medium noctis est, oportet nos ab invicem superari, & ad matutinas ire. Dilectissimæ Sorores, grates maximas vobis referimus pro omnibus bonis nobis impensis, tam in spiritualibus quam temporalibus. Valete millies in Domino Jesu. Personas vestras *Pater* omnipotens conservet, & unicus ejus *Filius* vestram sanctitatem corroboret, quam *Spiritus Sancti* gratia adaugeat per secula sempiterna. Quot margaritz, quot sunt in cælo pla-

lo pla-

Io planetæ, quot mundi metæ, tot vobis mittimus valete. Scriptum nocte præcedente Anno 1465.

Epistola Sororis Johannæ Penninsack & omnium scholarium Monialium in Monte Beatæ Mariæ prope Helmstedt ad TECLAM, Sanctimonialem in Brunopia.

Jesum, pium consolatorem mærentium, pro salute. Notum facimus charitati vestræ, charissima soror *Tecla*, magistra nostra, quod nos omnes Scholares vestræ in magna sumus tristitia & dolore de vestro à nobis recessu. Non possumus oblivisci præsentiam vestram, sed quotidie quærimus vos, & dum non invenimus, tunc contristamur & dolemus. Vix potestis credere, quanta tristitia & quantus dolor sit in claustro nostro de vestra absentia, tam de senioribus quam de junioribus. Quapropter petimus cordintime; sicut amplius non sumus nos invicem visuræ in hac mortali vita, ut oretis Deum pro nobis, ut taliter vivamus in hoc seculo, ut nos invicem videre valeamus in conspectu sanctæ Trinitatis. Valete, soror dilectissima, cum charissimis sororibus vestris *Ida & Albeide* in Domino semper; & Deus omnipotens omnem tribulationem & angustiam à vobis removeat, & vestram sanctitatem conservet tempora per æterna. Amen!

Epistola Sororum *Idæ, Teclæ et Alheidis*, Monialium in Brunopia ad Priorissam & cæteras Sorores in Monte Beatæ Mariæ prope Helmstedt, & est responso præcedentium, per Priorem de Sultra edita.

Charitatem inviolabilem, nec in vita nec in morte unquam separabilem, jugiter protomisam. Venerabilis in Christo *Domina Priorissa, Procumatrix & Sorores*. Auditis litteris vestræ ad nos dilectionis, à lachrimis nos continere non potuimus. Quamvis longa terrarum intercapedine ad tempus disjungamur, cor tamen nostrum die ac nocte semper manet vobiscum, congaudentes vobis de tam ingenti dilectione, nobis exulibus & peregrinis tribus annis, quibus vobiscum conversatæ sumus, tam benignè & libenter à vobis exhibita, quam rebus factis, verbis & affectibus, sedulo in vobis expertæ sumus; & nunc in extremo, post nostrum à vobis recessum, per amplius experimur, cum celerem post nos altero die cum litteris vestris, charitate plenis, nuntium in *Heiningen* misistis. Quid ergo vobis, & tantæ vestrum omnium charitati, unquam poterimus retribuere? quam gratiarum actionem poterimus vobis inde referre? Deum enim in vobis habitare, & Spiritus Sancti gratiam in vobis accumulatam; ex hoc ipso in veritate consideramus, & merito vos inde laudamus. Vestras quoque dilectiones ex intimis præcordiorum nostrorum affectibus in corde sedulo portare, & Deum pro vobis orare minime negligemus. Ab ineunte enim mutæ cognitionis nostræ tempore, à primo in Deum fervore; in sanctam reformationem & in nos, ejus servitices, licet indignas, amore, nunquam recessistis, sed semper proficere, & bonas virtutes, scientiamque scripturarum acquirere laborastis. Quare vobis ipsis effectæ fortiores, in Dei amore & cognitione, in veris virtutibus, in scientiis vobis necessariis, & in intellectu Scripturarum, Deo cooperante, non modicè excrevistis. Unde Deo & vobis infinitas referimus gratiarum actiones, qui ab æterno vos ad hoc elegit, ut sponsæ sitis tanti Sponsi, æterni Dei; qui talem vobis dedit gratiam, sensum & voluntatem, ut animo prompto & benevolo vos ipsi præparare, & intus & extra ornare, decreveritis; quatenus, cum ille, speciosus formâ præ filiis hominum, Sponsus Virginum advenerit, nos omnes, ad rationem de cunctis factis nostris sibi reddendam, vocaturus; cum ingenti gaudio in æterna sua nos recipiat tabernacula: ubi in Domino pariter gavisuræ, in æternum nunquam ab invicem separabimur. Quod nobis concedat, qui ista priora magnalia misericorditer nobis prorogavit, Jesus Christus Dei Filius, Sponsus virginum & remunerator. Amen dicant omnia Domino. Scriptum *Jubilate* Anno 1465, magno cordis cum affectu, in *Heiningen* Monasterio.

Epistola Sororis *Teclæ* ad *Johannam Pennensack* & ejus condiscipulas in Helmstedt Monasterio, edita ab eodem Patre Johanne.

Spiritus Sancti consolationem, & gaudium ejus sempiternum, pro salute. Soror mea charissima *Johanna*, una cum omnibus vestris condiscipulis, per meam parvitatem in doctrinis scholasticis utcunque informatis. Congaudeo vobis, quod in tantum profecistis, ut talem in *Latino* litteram dictare & scribere potuistis. Idcirco libenter, imo libentissime, pro vestra doctrina feci laborem, videns, vos esse gratissimas, & bene in conscientiis, in Dei timore & amore, constabilitas; & mutæ nostræ dilectionis minime oblitæ, sed usque in finem, & post nostrum à vobis recessum, eandem rememoratam; divini muneris magnum inde suscipiens auspiciam, videlicet, charitatem illam, semel mente conceptam, inter nos perpetuo

perpetuò permanfuram. Ego enim vestræ dilectionis, & erga me benignitatis, nunquam oblivifcar; quia tam piè me audiftis, confiliis meis acquieviftis, & ea, quæ in doctrinis & bonis moribus, verbis vobis exprefsi, corde fitibundo & auribus ad me porrectis, libenter audiviftis, ita, ut nunc magiftræ factæ fitis aliarum in domo veftra, & foras in Monasteriis, per vos reformandis: gustumque fpiritalis dulcedinis in fcripturis divinis fucceffivè poteritis invenire. Veram itaque, inter nos mutuam, apud Deum in orationibus experiamur charitatem, cum fructum orationum noftrarum, iftam noftram converfationem, inter nos mutuò fentiamus; per quem ad gaudia meritò perveniamus æterna. Salutari precor ex me Dominam Prioriffam, Procuratricem & Sorores omnes; præfertim noftras difcipulas, quarum nomina, fi in Sancta reformatione constantes permanferint, fcripta funt in libro vitæ. Amen!

CAPITULUM XXVII.

De reformatione Monafterii IN FONTE BEATÆ MARIE.

Monafterium Monialium in Fonte Beata Maria Ordinis noftri, Halberftadenfis Diœceſis, ad unum milliare de Helmſtede, per Patrem Bernhardum Priorem de Hamersleve jam nuper conſtat reformatum, in quo ſtatuta, ordinarium, cantum, habitum & omnia ceremonialia Monialium Ordinis noftri, per Moniales Beatae Mariae in Monte præfatas, earum informatrices, perfectè aſſumferunt. Depofuerunt nigrum habitum ſuum priſtinum cum manicis, & incedunt in ſubtilibus albis ſicut & nos, nigra vela magna, quæ prius non habuerunt, ſuper omnia pepla ſua in capitibus deferentes. Una ibi fuit Monialis, mihi ante multos annos bene nota, quæ reformationi valde fuit contraria, dicens: cum Prior de Hamersleve ad nos venerit, tunc in feneftra ſolarii ſtabo; & cum ego eum in Monafterium noſtrum ingredi aſpexero, altiffima voce tunc exclamabo: *joduyt, joduyt*, id eſt, *wopen*, quod verbum eſt diffidationis; ut ſic tota familia Monafterii pro earum defenſione concurreret. Cum ergo Prior tempore ſibi conveniente adveniret, foror iſta Monialis in feneftra ſtetit ſolarii cum aliis fororibus; quæ, dum os aperiret ad exclamandum, claudere os ſuum non potuit, ſed aperto ore hians ſic ſtabat. Cui alix ſorores circumſtantes dixerunt: quare jam non clamas, ſicut facturam te jactaſti? quæ ſignum dedit, quod non potuit. Tandem ceſſavit ab intentione clamandi, & tunc loquelam recepit. Eadem Monialis, quia cor ſuum non erat rectum cum Deo, nec ad ſanctam reformationem inclinatum, cum ſemel ante cœnam circa menſam cum aliis ſtaret ſororibus in hieme ad cantandum *Benedicite*, & candelæ in medio menſæ ardentes locatæ eſſent ſupra candelabro: tunc velum, pepla & corona hujus Monialis in capite ejus fuerunt omnia de igne candelæ illius incenſa, & clarè cum crine capitis, ut flamma, ardentia. Unde Prioriffa & omnes Moniales fuerunt territæ, & intermittentes *Benedicite* accurrerunt ſubito ad rapienda omnia de capite ejus, ne cum peplis & crinibus caput etiam ejus & totum corpus concremarentur. Sed nec ipſa territa etiam adjuvit ad deponendum omnia de ſuo capite tegmina ardentia; unde pro magno id reputabant miraculo, quia ipſa tam remotè ſtans à menſa & candelis, ſcamno intermedio, ſic potuit incendi. Unde factum eſt, ut præfata Monialis poſt hoc ad perfectam ſe daret reformationem. Cumque ego cum Prioribus de Hamersleve & Richenberg dictas Moniales ibidem viſitarem, hæc mihi narraverunt de ipſa Moniali; quæ à me ex hoc multum de obſtinatia ſua increpata, fidelem ſe reformationi ulterius fore conſtanter repromiſit. Et quia omnes iſtæ Moniales juxta informationem Monialium Montis Beatae Mariae Virginis prope Helmſtede omnino ſe regunt, & ſervant regulam & ſtatuta Monialium noſtrarum: etiam eis in pluribus ſuccurri, libros cantuales concedendo, & quædam eis fieri procurando. Quod Monafterium uſque in præſens in bona permanet reformatione, habens converſas & donatas de Weſtphalia, per nos Patres ibidem adductas.

CAPITULUM XXVIII.

De reformatione Monialium Monafterii IN WINHUSEN, & omnium Monialium primò contradictione.

Monafterium Monialium S. Alexandri in Winbuſen Ordinis Cifterciensis, Diœceſis Hildeshemenſis, Ducatus Luneburgenſis & Brunſuicenſis hoc modo reformatum eſt. Dominus Henricus ad S. Michaelem, Dominus Lippoldus ad S. Godehardum, Hildeshemenſes Abbates, & ego Johannes in Sultra Prior, de mandato Domini Hildeshemenſis & Adjutoris Ducis Ottonis, dictum Monafterium viſitantes, invenimus omnes in proprietate viventes. Vocavimus igitur Abbatiffam & totum Conventum per ſonum campanæ in earum Refectorium, quia hiems erat, quibus Commiſſionem noſtram ſuper ipſarum viſitatione & reformatione inſinua-

insinuavimus, dicentes, quod ad hæc inquirere singularum vota singulatim vellemus & audire. Deinde ad ambitum ante chorum sedentes, Dominam (a) *Margaretham de Hoye* Abbatissam, natione Comitissam, primo interrogavimus: An bono animo sanctam reformationem assumere vellet? multis rationibus & petitionibus eam ad hoc inducere gestientes. Quæ pene septuagenaria, in sua permansit duritia, dicens: Ego, sicut Ordinem in isto Monasterio ante quadraginta annos servari inveni, & sicut eum per tot annos ipsa servavi, ita eum ulterius servare volo, & non aliter. Cumque nec per Ducem, nec per Abbates, ad consentiendum nobis induci posset: iussa est à nobis ad locum segregatum abire. Vocantes inde Priorissam, interrogavimus. An ipsa vivere vellet secundum regulam B. Benedicti, quemadmodum promiserat? Quæ respondit, sicut Domina sua Abbatissa. Post hæc senior soror vocata, similiter respondit. Tunc propter Monialium multitudinem iterum refectorium earum intravimus, ubi omnes aliæ Moniales aderant; quibus Dux ait: Dominus Hildeshemensis & Ego volumus, ut vos reformetis: hoc oportet fieri. Quæ ergo ex vobis se reformare voluerit, ad dexteram vadat refectorii, & quæ hoc facere noluerit, vadat ad sinistram. Tunc Moniales omnes iverunt ad sinistram. Quibus visis, regressi sumus ad Præposituram, quid facto opus esset, deliberaturi. Dux igitur & Abbates; miles, qui aderat, & Vasalli, remiserunt Cancellarium & Præpositum earum ad conventum, ut informarent eas, quatenus adhuc in reformationem consentirent. Ego autem ad modicum abieram, sed reversus ad eos dixi: Ubi est Dominus Cancellarius? Responderunt: ad Moniales ivit, ut eas induceret ad consentiendum nobis. Quibus respondi: Sumus jam fatui facti? Totum jam habemus in manibus Monasterium ad plene reformandum; volumus jam illud iterum dare ad manus earum? Omnes dicunt & ostendunt, quod se nolunt reformare: ergo omnes sunt inhabiles ad habendum officia. Et quia jam tardior est hora, cras mane primò Abbatissam deponere volumus, & ab officio suo absolvere; deinde omnes Monasterii officiales etiam à suis officiis, juxta tenorem mandati Domini Hildeshemensis. Quo facto, habemus auctoritatem, novam Abbatissam instituendi, & omnes officiales immutandi. Cumque consilium meum omnibus placuisset, Cancellarium revocavimus; & quia Notarium erat publicus, de consilio Abbatis S. Godehardi requisivimus eum, ut Notarius esset ad omnia, quæ eas interrogavimus, diximus & fecimus, & ad responsa nobis per eas facta. Dux, miles & cæteri vasalli, ad hoc in testimonium fuerunt requisiti. Mane facto Abbas & ego cum Notario & testibus ad Moniales intravimus; ubi Abbas de S. Michaelis, major inter nos Prælati, Abbatissæ dixit & Conventui: Domina Abbatissa, propter senium vestrum & multiplices infirmitates; præsertim, quod heri nobis respondistis, quod non vultis reformari, sed ulterius vivere, sicut in vestro Monasterio invenistis: idcirco ab officio Abbatissæ vos absolvimus *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* tunc ego alta voce respondi, *Amen*. Similiter omnes absolvimus vos officiales ab officiis vestris, & volumus aliam Abbatissam & officiales in loca vestra instituere; & super præmissa omnia Notarium requisivimus & quoque testes. His dictis, ad Præposituram pariter regressi sumus; ubi matura deliberatione præhabita conclusimus, utile fore & necessarium, ut Abbatissam inde tollentes, in aliud Monasterium transmitteremus; ne ipsa, propter recursum Monialium ad eam, non parvam præstaret reformationi impedimentum. *Abbatissa de Derneborg* cum quatuor Monialibus reformatis, & una conversa ejusdem Ordinis, nobiscum ibidem venerat in curru sperico tecto, pro præfati Monasterii reformatione. Domina igitur Abbatissa deposita cum novem Monialibus venit tunc statim ad nos in Præpositura, nescio propter quod; quam Dux *Otto* in aliud commodum, ibi vicinum, ad se vocans, dixit ei: Dilecta Domina & cognata mea, rogo, ut mihi consentiatis, & ad Monasterium *Derneborg* vestri Ordinis in curru sperico pergatis, ibique ad tempus permaneatis, ut præsentem reformationem non impediatis. Quæ respondit: Hoc nullo modo facere volo, sed in meo Monasterio manebo, in quo à parentibus meis data sum, & per annos pene quadraginta jam præfui Abbatissa. Cui Dux: Rogo, Domina mea carissima, ut ita faciatis; quia sic oportet fieri. Cumque frequentius ab eo rogata non acquiesceret, dicens: Parentes tuum dimiserunt me in meo Monasterio, Tu etiam hic me dimittes: Dominus Dux vocavit duos Abbates & me, dicens, quod ab eo induci non poterat, ut sponte inde recederet. Tunc ego dixi, quod bonis verbis eam induceret, ut ad Curiam Præposituræ foras exiret; ne Moniales illæ novem, in Præpositura existentes, illud audirent, & nos circumdantes ab ea retraherent clamantes. Tunc vellemus videre de modo, quomodo curram ascenderet. Fecit ergo sic; cumque ad curiam pervenisset, putans, se ad Monasterii ambitum intraturam; Abbas S. Michaelis Dominus *Henricus* uno brachio, & ego altero brachio eam apprehendentes, duximus ad curram, ibi in curia circa Monasterium stantem, & cum equis ire paratum, dicentes ei: Bona Domina, currus ibi stat paratus, quem oportet vos ascendere.

Quæ

(a) *Catharina* dicitur in MS^{to} Sultensi, ut & infra in Kiloniensi.

Quæ respondit: Hoc facere nolo. Et nos cappæ ejus manicis eam moderate trahentes, & ad currum venientes, rogavimus eam, ut currum ascenderet. Respondit: Si utique pergere debeo, libenter valedicerem prius fororibus meis. Cui diximus: Id nos bene faciemus. Iterum dixit: Non sum vestita, nisi sicut nocte surrexi; permittatis primo, ut meliora induam vestimenta. Cui respondimus: Omnia vobis necessaria postea transmittemus; tantum currum ascendatis. Parvam igitur scalam ad currum posuimus, dicentes: Levate cappam vestram parumper ante vos, & scalam istam ascendatis, quia sic oportet fieri. Tandem currum ascendit, & in partem currus posteriorem se locavit.

CAPITULUM XXIX.

De aliis Monialibus inde evectis, & resignatione bonorum ibi remanentium; & de plena ejus reformatione, & novæ Abbatisiæ electione.

Dux *Otto* accessit deinde iterum ad Præposituram, & unam inde Monialem ad se vocans, dixit, ut cum sua Abbatisa antiqua pergeret in *Derneborg*. Quæ ad nos circa currum veniens, amare flevit, dicens, quod libenter omnia facere vellet, quæ deberet, si manere permetteretur. Cui dixi: non velletis vos erubescere, quod dilectam Dominam vestram Abbatisam solam ad extraneam patriam ire permetteretis? qualis begina es tu? currum cito ascendatis. Tunc, intermissis lacrimis, currum per scalam illam ascendit; quibus adjunximus Monialem unam de *Derneborg*, ut in reverentia haberetur Abbatisa, ubicunque veniret, & honorifice ac benigne pertractaretur. Currus igitur statim portam exivit, & Dominus *Johannes Ebeling*, Confessor Monialium in *Derneborg* circa currum equitavit, ad locum destinatum eas perducens; ubi cum omni caritate & benevolentia susceptæ fuerunt. Post hæc Dux una nobiscum quatuor alias de Monasterii Præpositura Moniales vocavit, quibus dixit: Currum istum alium ascendatis, quia vos reformare noluitis. Quæ cum lacrimis petierunt, ut remanerent. Quibus Dux: Domina vestra est cum aliis evecta; oportet, ut eam subsequamini. Videntes autem, quod sic fieri oportebat, currum alium ascenderunt, & ad quendam Vasallum, ibi in propinquo habitantem, sunt perductæ, donec videremus, quo eas transmitteremus: quarum duæ post ad Monasterium sui Ordinis *Mariensee* sunt evectæ, & aliæ duæ sexagenariæ in suum Monasterium iterum sunt receptæ. Deinde sex vel octo currus, equis præcedentibus, straminibus, in quibus sederent, impositis, in curiam earum Dux vocavit. Tunc Dux nobiscum ad Conventum intravit, dicens: Domina vestra Abbatisa, & aliæ Moniales sorores vestræ, de Monasterio isto sunt devectæ, & plures currus in curia vestra stant parati: quæ se reformare voluerint, hic possunt permanere, & quæ id facere detrectaverint, statim de Monasterio exeant, & currus, ibi stantes, ascendant. Ad statim omnis uno ore in reformationem consenserunt, paratas se dicentes, se ipsas & omnia sua propria libenter resignare; quod & in continenti fecerunt. Nam chorum earum statim omnes intravimus, & ibi, in præsentia Domini Ducis & nostra, Moniales omnes fecerunt Abbatisiæ in *Derneborg*, loco sequentis Abbatisiæ ibidem eligendæ, obedientiam. Deinde eadem die præsentaverunt omnem pecuniam, quam ad manum habebant, coram nobis, in commune reponendam, & litteris redituum suorum annuorum singulæ nobis deportarunt. Summa autem pecuniarum illarum erant C. Marcæ *Lubecenses*. Quædam earum timore reformationis ultra C. Marcas extraneis commiserant custodiendas; quas in die sequenti revocantes, etiam in commune deposuerunt; præter pecuniam antiquæ Abbatisiæ, in cista sua clausa reconditam, quam ante reditum suum, propter vaaris suspiciones, aperire nolimus, existimantes, magnæ summæ pecuniam quadraginta annis eam congregasse. Diximus in commune omnibus, quæ aliquid absconditum haberent, & celarent; illas de Monasterio suo, hoc invento, statim nos velle eliminare. Omnia etiam utensilia sua tunc in crastino singulæ comportaverunt, ollas & patellas æreas ultra centum; amphoras stanneas ultra quadraginta, præter eas, quas emiserant; quas tamen cum pecunia ad se revocaverunt. Quicquid comedere poterant aut bibere, & vasa, ex quibus comedere vel bibere potuerant, mandavimus in commune deportari. Pecuniam nobis deportatam & numeratam, commisimus Abbatisæ in *Derneborg* cum Procuratricibus, quas de eodem Monasterio tunc elegimus, sub tribus clausuris custodiendam. Misimus post hæc in *Derneborg* pro Moniali, in Abbatisam ibidem elegenda, & pro sorore laica, quæ præesset Coquinæ, & cibum, pro fororum congruentia, sciret præparare. Moniales istæ castitatem bene observabant, quia Domina earum antiqua Abbatisa satis rigidè eas gubernabat; quam in reverentia & timore multo tenuerunt, & eam gratiosam Dominam vocaverunt propter genealogiam. Sed propria singulæ sorores habuerunt, tam de paterna hæreditate, quam de Monasterii sui proventibus; & inde victum & vestitum singulæ sibi, quantum volebant, procurabant. De Præpositura panem & potum, & certis diebus singularia fer-

cula,

cula, receperunt. Habuerunt unam magnam cistam in commune, ad quam una fororum clavem habuit, & in qua omnes sorores suam singulariter pecuniam reponebant in suis bursis seu scriniis. Et quando una earum inde aliquid recipere voluit ad comparandum sibi necessaria, tunc accessit ad præfatam *Claviculariam*, cistam sibi postulans aperiri; quæ tunc statim acquiescens, permisit, ut de propriis suis pecuniis singulæ reciperent, quantum volebant. Hæc earum fuit proprietas. Putabant tamen, in commune se vivere, quia pecuniam suam sic in commune deponebant, & in uno refectorio singulæ, quod eis de communi dabatur, & quod cum propriis pecuniis comparaverant, & ab amicis & cognatis eis missum fuerat, comedebant. Una multum habuit & abundavit; & alia sibi ad latus sedens, minus habuit & indigebat. Vere itaque proprietariæ erant, quia omnia bona sua peculiaria in propria habuerunt potestate. Ad rogatum igitur Patrum, Abbatum præfatorum, procuravi eis *Ordinis sui Collectarium* à venerabili Patre *Henningo, Abbate in Monasterio Marienrode* ejusdem ordinis prope Hildesheim, ad statim exscribendum; ut seculari cantu prætermisso, cantum Ordinis sui possent assumere, & Ordini suo Cisterciensi in omnibus successivè se conformare. Quod *collectarium* plus quam ad quatuor annos retinuerunt; quod tandem mihi cum gratiarum actione remiserunt. Nos igitur de *Winhusen* Monasterio recedentes, regimen Monasterii commisimus *Abbatissæ de Derneborg* in temporalibus & spiritualibus, cui Moniales omnes ad obediendum promptas se exhibuerunt, complofis manibus nobis ex corde regratiantes, quod ad tam bonum statum sanctæ reformationis pervenerant. Commisimus etiam Præposito earum, quod meliorem eis potum procuraret; quia satis tenuem potum pro tunc habuerunt. Deinde post mensem Moniales istæ in præsentia Abbatum præfatorum, me *Hallis* seu *Ersfordia* constituto, novam elegerunt *Abbatissam Monialem de Derneborg* omnium pene vocibus unanimes; cui statim post confirmationem, manulem præstiterunt obedientiam, & optimè jam cum ea sunt in pace; quibus etiam noviter electa *Abbatissa* bonum dedit in mea præsentia testimonium, quod bonæ, humiles & obediens sint sorores, & ad reformationem paratissimæ. Ita ergo dictum Monasterium ad plenam venit reformationem, quod de Hildesheim ad septem distat miliaria. Dominam antiquam *Abbatissam* (*) *Catharinam Dominus Henricus Abbas ad S. Michaelem* & ego in Sulta Prior, in Derneborg post octo dies adventus ejus visitavimus; cui tunc inter cetera diximus, quod, quamvis autoritate Episcopi Hildeshemensis nobis commissa tunc eam ab officio suo dignitatis absolvimus; ipsa tamen coram nobis officium suum oretenus etiam resignare deberet: quia tunc ad hoc cooperari vellemus, ut eo citius ad proprium possit redire Monasterium. Quæ tandem in hoc nobis consentiens, in manus *Abbatis* officium resignavit; adjiciens etiam, quod, quamcunque sorores suæ in *Abbatissam* eligerent, aut, quam vos Patres ibidem in *Abbatissam* ordinaveritis, ego libenter eam pro *Abbatissa* retinebo. Quo factò, regratiantes ei, in curru *Abbatis* iperico in Hildesheim sumus reversi; & ipsa non longè post ad proprium rediit Monasterium. Monialis autem illa, quæ primò cum ea perrexerat, quia in Derneborg oculata jam fide viderat reformationem, rediens ad Monasterium suum, facta ibi fuit *Priorissa*; quia satis prudens erat & devota.

CAPITULUM XXX.

De reformatione Monasterii Monialium AD ALBAS DOMINAS in Magdeborg.

Monasterium Monialium *Beatae Mariae Magdalene de Penitentia* in civitate Magdeburgensi constructum est in loco, ubi *Julius Caesar* turrim ædificavit *Dea Vestæ*, cui virgines gentiles fervire & sacrificare consueverant; nun vero virgines Deo consecratæ, Domino Deo creatori suo die ac nocte ibidem deserviunt in hymnis & canticis spiritualibus, cordibus & vocibus suis Deo psallentes & concinnantes. Præfatum autem Monasterium, cum ad propria fuisset prolapsum, & Moniales in eo habitantes observantiam regularem amississent; *Archiepiscopus* Magdeburgensis *Fridericus*, ut se reformarent, per mandata & Prælatos certos eas induxit. Ego etiam rogatus, fui cum eis in refectorio; collationem feci, confessiones earum audivi, & quantum potui, ad observantiam regularem informavi. Et quia ad perfectam Ordinis sui observantiam sine Monialibus reformatis pervenire non poterant, ego rogatus fui ab eodem *Archiepiscopo*, ut Moniales ejusdem Ordinis de civitate Hildesheim eis procurarem; quarum Pater, Reformator & Confessor ego cum fratribus meis in Sulta ultra triginta annos permansimus. Duas igitur Moniales ejusdem Ordinis de fororibus in Hildesheim in curru ipsis transmissi, quas de *Domina Priorissa Gertrude de Harlesem*, & à conventu, eis impetravi, videlicet *Dominam Gertrudem Menschyn* & *Ghesken Bursum*; quæ ad eas pervenientes, in omni charitate sunt susceptæ & habitæ in honore; quæ etiam eis, quomodo in choro & in divinis, in refectorio, clauistro, dormi-

XXXXX 2

torio

(*) supra dicta fuit Margareta.

torio & ubique nocte ac die se habere & regere deberent, vividis suis demonstraverunt exemplis & piis informationibus. Unde in amorem & reverentiam senioris istius sororis in tantum excreverunt, ut eam sibi in Priorissam eligerent & in Monasterii sui Prælatam; cui & obedientiam manualement singulæ præstiterunt, quam usque ad mortem fideliter tenuerunt. Erat enim virgo pulcherrima, timens Deum, odio habens peccatum: quæ & regularem observantiam in domo professionis suæ primùm, & tunc in Monasterio, ubi Prælata fuit, diligenter in se servavit; & ab omnibus sororibus requisivit, ut & ordinem juxta primam suam institutionem exactè custodirent, & charitatem mutuam, cum regulari observatione, non minori diligentia sibi invicem exhiberent. Præfata autem Priorissa *Gertrudis Mansbyn* prudens satis fuit, elegantis staturæ & formosa, sicut prædixi; sed etiam scrupulosa. Unde & ego cum Priorissa de *Stederborg* Mechilde eam visitavimus, & quomodo in scrupulo suo & in cæteris se habere deberet, informavimus, ita, ut tunc peroptimè fuerat contenta de omnibus. Post hæc ad scrupulum conscientiæ iterum reversa, & in certis dubiis anxiosa: cui Suppriorum nostrum Fratrem *Bertholdum Eyke*, nunc Priorem in Wittenborg, suum prius Consiliarium, transmissi, ut eam à cordis scrupulo & animi pusillanimitate liberaret; quod & fecit. Libenter enim Patres suos audivit, & consiliis eorum acquiescens, in quantum potuit, obtemperavit. Sed quia conscientia omnium scrupulosorum timida sunt, & quasi super glaciem ambularent, cum timore casus sui fixi stare non possunt: idcirco, quamvis nunc sunt in bona pace conscientia; non diutamen pax ista in eis bene manet stabilita, sed cum nova dubitatione novus timor conscientia ad eos redit, & super hoc semper novum requirunt consolatorem. Sic & Priorissa ista per verba Patrum & per scripta sæpius fuit consolata, & à pusillanimitate sua relevata & ut virilem animum indueret, animata cumque per tempus in officio suo religiosè & regulariter vixisset, & Monasterium suum in omni disciplina bene rexisset; tandem in quandam incidit infirmitatem, quam *Zwynanciam* (*) vocamus: qua in se prædominante, in fine lecto decubuit, & tandem in extrema pervenit. In vera igitur obedientia, qua in suo proprio Monasterio in Hildesheim ad sorores in bona reformatione prius vixerat; & jam in majori obedientia Monasterium suum exiens, ad terram sibi peregrinam & incognitam, naturæque suæ contrariam, missa; maximum à Deo meritum jam recepit. Nam in ipsa obedientia & sui ipsius resignatione finem vitæ accepit; corpusque terræ, animam vero suam Deo commendans, jam inter Angelos Sanctos in æterna introducta est tabernacula. Quâ viam universæ carnis ingressâ, Moniales istius Monasterii aliam de domo sua elegerunt sibi Priorissam, quæ satis laudabiliter suum regit conventum, quemadmodum à Priorissa defuncta informata fuit. Hæc etiam Priorissa sororem aham, de Hildesheim sibi concessam, personaliter de Magdeburg in curru reduxit in Hildesheim, perpetuas sibi faciens cum sororibus in Hildesheim amicitias unionemque fraternitatis, usque in præsens competenter bene servatas. Præfata Moniales de mandato Domini Magdeburgensis commissa sunt Magistro *Everhardo*, Præposito ad *B. Virginem in Magdeburg* Ordinis Præmonstratensis, qui per Priorem suum aut alium fratrem idoneum, eas in confessione solet expedire ante corporis Christi sumtionem, & per multos annos jam eas expedit. In omnibus enim Monialium pene Monasteriis, reformatis ad morem Ordinis nostri, de quindena in quindenam in Saxonia solent communicare; nisi propter notabile Festum communicatio earum differatur seu præveniatur.

CAPITULUM XXXI.

De reformatione Monasterii Monialium IN WULLINCKHUSEN Ordinis nostri.

Monasterium Monialium Ordinis Regularium Canonicorum in *Wullinckhusen* Hildesheimensis Diœcesis prope Wittenborg ante annos triginta reformationem incepit per Priores & fratres in Wittenborg, primò per Priorem *Rembertum* & post per Priorem *Godfridum*. Priorissa tunc ibi, quæ dicta erat de *Rossing*, valde dilexit reformationem, & cum aliquibus sororibus eam assumfit. Habuerunt ibi tunc in Præpositum Dominum *Iohannem Waker*, virum Probum & pro sancta reformatione Zelosum. Sentientes hoc Moniales partis adversæ; in tantum institerunt apud eos, quorum intererat, ut ab officio Præposituræ absolveretur: & alium virum secularem, in vestibus vix sacerdotalibus incedentem, in Præpositum sibi acquiserunt. Priores ergo & fratres de Wittenborg, & alii devoti viri, locum ipsum diligentes, & salutem Monialium desiderantes ac æternam earum damnationem timentes, egerunt apud Episcopum Hildesheimensem *Magnum*, ut Monasterium ex toto posset reformari, & ut Præpositus ille secularis amoveretur, & alius Præpositus Deum timens, & diligens reformationem, in locum ejus subrogaretur. Magistrum ergo *Henricum Bodenwerder*, in aula Episcopali Hildesheimensi

(*) Squinance Gallis, Angina.

hemenſi Canonicum, qui Rector ſcholarium ibidem fuerat in ſummo ſupremus, virum bonum, bene doctum & intelligentem, Deum timentem & ab omnibus religioſis reformatis dilectum, moribus bene compoſitum, Zelumque bonum pro domo Dei & ſancta reformatione habentem, Dominus Hildeshemenſis in Præpoſitum earum conſtituit: qui ab eis aſſumptus, & in honore ac reverentia per annos jam plus quam viginti habitus, præſatum rexit Monafterium in temporalibus & ſpiritualibus & competenti bona diſciplina; ita quod Monafterium ſuum nunquam exire ſoleant, chorum & reſectorium bene frequentent, capitulum culparum & diſciplinatum more ſuo ſolito diſtrictè ſervent, ſilentium, in jure cunctis religioſis expreſſum, videlicet in Oratorio, Dormitorio & Reſectorio, & poſt completorium uſque poſt primas profundius, cuſtodiant. A Monialibus tamen reformatis ex integro, in hoc diſcernuntur, quod *nigrum habitum lineum cum manicis*, more Cisterciienſium, ſuper omnia veſtimenta ſua deferunt, & *ſub illa Cappa ſua uſque ad carnem nulla lanca deferunt veſtimenta, ſed aut de lino aut pellicea*, unum vel duo, *lineasque Camiſias*. Sub Cappa illa linea nigra colorata *ſubtile album*, more ſubtilium Monialium noſtrarum formatum, portant, quod *ſubſtantiam* vocant. Quæ enim veſtimenta lanca nulla portant, videntur contra regulam eſſe almi Patris noſtri *Auguſtini*, ubi dicitur: *Veſtimenta veſtra laventur ſive à vobis ſive à fullonibus*. Fullones enim non lineum ſed laneum pannum faciunt & lavant. Moniales igitur non laneum, ſed lineum ſolum deferentes, habitum non videntur portare ſecundum regulam, ſed peregrinum & à regula alienum. Differunt etiam à Monialibus Ordinis noſtri, imo ab omnibus Monialibus mundi cujuſcunque Ordinis reformatis; quia velum nigrum non portant magnum, omnia pepla ſua cooperiens; ſed *album magnum peplum* ſuper omnia caput ſuorum velamina imponunt, ita, ut cognoſci à multis non poſſint, quod ſint Moniales. Velum tamen parvum, ſicut vitta, ab Epilcopo impoſitum, ſuper vittas, crines earum contingentes, deferunt abſconſè: noſtræ vero Moniales reformatæ ſemper ſubtile deferunt ſuper omnes tunicas ſuas de lino album; & in hieme propter frigus portare poſſunt nigrum mantellum, albo panno aut pellibus ovinis ſubductum ſuper ſubtile. Viſitatores etiam non admittunt, contra formam Juris Canonici; ubi ex præcepto mandatur omnibus Epilcopis & locorum ordinariis, quod omnia ſuæ Diœceſis Monafteria, etiam exempta, ſemel in anno viſitare debent ſub pœna peccati mortalis. Moniales tamen iſtæ plus quam in XX. annis, ut creditur, à Patribus Ordinis ſui non ſunt viſitatæ, & per conſequens, qualem ſervant reformationem, ignoratur, niſi quod manent ſub clauſura perpetua, & quia Præpoſitus earum vir bonus eſſe præſumitur; imo quod cogit & conſervat eas in aliquali obſervantia; quia etiam earum conſeſſor eſt ſemper; quamvis nullam de his experiri poſſumus certitudinem. Miſſus fui ante XX. annos ad eas viſitandas cum Patre *Godfrido* Priore in Wittenborg. Cum intraſſem Monafterium earum cum *Magiſtro Henrico*, Præpoſito earum: ego, autoritate Domini Hildeshemenſis; Præpoſitus & Prioriſſa, ſuâ autoritate, mandavimus, etiam cum ſonitu campanæ Capitularis, quatenus ad nos in domum Capituli ſeu Reſectorii convenirent. Ipſæ tamen poſt longum tempus vocationis earum non continuò ſimul, ſed una poſt aliam; deinde tertia & quarta, venit ad nos, & tandem omnes. Tunc dixi omnibus: *Cariſſimæ ſorores, nescio qualem hic tenetis reformationem? De continentia caſtitaſis nunquam audivi de vobis fuiſſe ſuſpicionem. De proprietate etiam nescio, quomodo ſervatis; quia multa peculiaria circa lectos veſtros & alibi poteſtis abſcondere. De inobedientia veſtra jam publicè eſtis convictæ. Ego enim autoritate Domini Hildeshemenſis; Præpoſitus & Prioriſſa veſtra ſuâ autoritate, etiam cum ſonitu campanæ, mandavimus vobis, ut cito ad nos veniretis: jam ſedimus hic quaſi media hora, antequam ad nos veniſſis. Nescio, quid dicam Domino Hildeshemenſi, qui me miſit, niſi quod vagæ mulieres eſtis omnes, obediencia non attendentes; ſed quod unaquæque ſuam voluntatem & proprium ſenſum ſequitur. Tunc omnes unanimiter emendationem ſpondeverunt, rogantes humiliter, ut Epilcopo id non referrem. Quando in Wittenborg habitavi, ante plenam earum reformationem, & etiam poſt, quando in Sulſta fui Pater; ſæpius eis feci collationem ſeu ſermonem pro ſua in ſpiritualibus emendatione & profectu, in Reſectorio ſeu in domo Capituli, in præſentia Præpoſiti earum: fui etiam cum eis in choro in divinis ſub ſumma Miſſa, pro earum informatione ſub Priore *Godfrido*, qui eas in confeſſione ante communionem conſuevit expedire; & ego, in Wittenborg tunc habitans, Capitulum tenui culparum. Sub iſto modo vivendi Præpoſitus & Conventus ibidem permanent uſque in præſentem diem, & attrahunt ad ſe alia quædam Monialium Monafteria ſub ſimili modo, videlicet in *Wennezen*, in *Weerder*, in *Barſigenbuſen*, & in *Fisbeke*. Præpoſitus earum, qui bonus meus eſt amicus, & fuit continuò per 30. annos; & ego, ſæpius concluſimus, ut conveniremus in Sulſta pariter, ad cogitandum de uniformitate Monialium Ordinis noſtri; quia ſi ipſe & ego concordaremus, tunc Moniales ejus nobiſcum eſſent concordæ. Sæpius promiſit venire, ſed nondum venit.*

De Reformatione Monasterii Monialium Ordinis nostri IN FISCHBECKE.

Monasterium Monialium in (*) *Fischbecke* Ordinis nostri, Diœcesis Mindensis, est in Comitatu *Schomburgensi*, Abbatissam habens in Prælatam, & est exemptum à loci ordinario, sub sede stans Apostolica, à qua confirmationem impetrare solet ejus Abbatissa. Cumque longo tempore sine reformatione stetit in hoc Monasterio, Monialis quædam, *Armegardis de Redem* militaris, in *Catelenborg* Monasterio non reformato professa, Deo inspirante dedit se ad Monasterium in *Wullinckhusen* præfatum, tunc competenter reformatum, ibidem faciens professionem. Deinde missa in *Fischbecke* Monasterium sui Ordinis, non longè post in Abbatissam ibidem est electa, & autoritate sedis Apostolicæ confirmata. Quæ, Zelo Dei accensa, dictum Monasterium ad perfectam trium substantialium omnium Ordinum observantiam continuo perduxit. Nam castitatem diligentissime custodiunt, quia clausæ sunt, & nullam cum viris habent conversationem; propria non habent, sed omnia in commune, quia ante celebres dies, (**) *vestiaria*, omnium Monialium cellas perlustrans, defert singulis pepla & vestes, quas in diebus festis deferre & sibi imponere debent, & festo finito aut die sequenti mane, pepla & vestimenta ferialia (recipit ad se, &) pro laboribus eis convenientia tunc eis reportat. Domina Abbatissa cum Priorissa duxit me in dormitorium earum ad videndum earum cellas, ubi ipsa cum omnibus semper dormit fororibus. Ipsa enim in una parte, ex transverso dormitorii, lectum habet, & Priorissa in alia parte ejus extrema. Nulla circa lectos suos habent interstitia seu velamina, sed publicè jacent, ut ab omnibus videri possint & omnes videre. Aliæ vero Moniales omnes in lateribus jacent dormitorii, lectos habentes sine cellis, tantum ad caput & pedes modicum inter duas forores habentes interstitium ad duos vel tres pedes in altitudine ultra lectos; ne in lectis jacentes mutuo se videant tam propinquè ad invicem jacentes. Nullum velum seu antependium ante lectos versus dormitorium habent; ita, ut aliæ forores, in opposito jacentes, si vellent, eas videre possent jacentes. Multum enim custoditæ sunt in sensibus suis & moribus. Cumque tunc de dormitorio descendissem in ambitum earum, inveni omnes Moniales in ambitu collocaute stantes juxta dispositionem Abbatissæ, ut omnes viderem unam post aliam, & mores earum considerarem; & dicerem, quomodo mihi earum placerent mores & conversatio; an religiosos haberent mores, ut decet virgines, vel aliquid mihi in eis displiceret, hoc ipsis dicerem. Consideravi ibi bonam juventutem, & nullam pene ibi esse senem, sed infra quadraginta annos pene omnes fuisse, & ideo bene flexibiles & ad nutum obedientes; multum gratulanter me suscipientes, & humiliter ac reverenter mihi inclinantes. Tunc dixi Abbatissæ: Domina, ut video, optimam potestis cum istis devotis virginibus tenere reformationem; quia neminem hic habetis perversam & rebellem, sed omnia quæ vultis, libentissimè facientes: quia virginalis decor in faciebus earum, in moribus, in vestibus & peplis earum apertè relucet. Plurimum etiam in iis fui ædificatus; quia oculos, manus, pedes & omnia membra sua sub religiosa servabant disciplina. Post hæc duxit me Abbatissa in chorum earum, ut viderem ibi statum, ceremonialia & mores earum, & cantum audirem; quæ omnia mihi bene placuerunt: quia juvenes adhuc & fortes erant, bene vociferatæ, cum summa diligentia laudes Dei reboantes, nec cordibus parcentes nec vocibus. Hoc privilegium habet præfatum Monasterium præ multis aliis in Saxonia Monasteriis, tam virorum quam Monialium, quod *senes non habet*; quia senes illi Deum non timent, nec curant conscientiam nec obedientiam, sed cum nemo videt, tunc faciunt omnia, quæ cogitant, quæ volunt; media nocte sicut media die potantes vel loquentes ad invicem & cum quibus possunt, etiam in locis à jure prohibitis. Moniales istæ simpliciter & veraciter in omnibus sunt obedientes, nihil judicantes seu finistrè interpretantes, & nihil facientes, quæ putant Abbatissæ displicere. Sic enim eas per se instituit, ut sint omnino resignatæ, & in vera ambulent obedientia; quia tunc sunt in recta via salutis æternæ. Abbatissa ista magna est in persona, Zelum magnum habens pro reformatione in multis aliis Monasteriis Monialium perficienda; omnes filias & sorores diligens, & super tentationes earum vigilans; & ut bene dormiant & comedant, satis sollicitè circumspècta. Tria Monialium Monasteria, olim per me & Priorem in *Wittenborg Ruzherum* reformari incepta, videlicet *Wenniesen*, *Weerder* & *Barsingenhusen*, ad ulteriorem & plenioram perduxit reformationem, suas, à se institutas, concedens Moniales, etiam in Priorissas; & Moniales earum in suo iterum recipiens Monasterio propter reformationem. De aliis, etiam non reformatis ex *Westphalia*, recepit Moniales bonæ voluntatis, Deo in regulari observantia servare cupientes; quas in electas & Religioni bene congruas provexit personas. Ego etiam, de Saxonia ad generale Capitulum vel ad Monasteria *Westphalia* visitanda vadens & redi-

(*) *Vnbeck* scribit MS. Sultense.

(**) Monialis, quæ curam vestium habet.

rediens, & eas pertransiens, frequenter hospitio ibidem sum receptus, malèque accipiebant, si ad eas non declinarem. Cum Curiam earum intraveram, à Presbyteris & Servitoribus, obviis manibus, charitatè & reverenter sum susceptus. Quamvis magnam foris habent familiam; ab intra tamen de Monasterio tam Presbyteris quam Laicis & famulis cibum & potum administrant. Frequenter eis feci collationem in Ecclesia ante chorum suum, in Monasterio, & ante *fenestram locutoriam*. Rogatus etiam à Domina Abbatisa, tres Moniales impetravi eis à Domina *Margaretha*, Priorissa ad *Sorores* in Hildesheim, & à Conventu ejus, in scientiis Grammaticalibus bene doctas, & artificiales cantatrices, videlicet *Dorotheam de Warendorpe* & *Annam*, carnalem sororem suam de Lubike, atque *Sophiam de Steinberge* cognatam suam militarem; quæ per annum cum eis permanserunt, & in doctrinis Grammaticalibus & cantibus eas competenter bene instruxerunt; ab invicem bonis moribus & claustrali disciplina plurimum ædificatæ. Priorissa ibidem non satis docta fuit; quæ à Magistra sua sorore *Anna* informata, lectiones audivit: tamen in Capitulo culparum, in absentia Abbatisæ, Magistræ suæ *Annæ* sæpius dedit disciplinam corporalem; quia omni feria sexta communiter solent Moniales Saxonæ, reformatæ & non reformatæ, accipere disciplinam. Etiam sorores nostræ istæ tres, causa boni exempli, quamvis de alio essent ordine, tamen Capitulum earum non negligebant. Quamvis Moniales Saxonæ ante reformationem omni die feriali acciperent disciplinam; hoc nolui habere ut facerent, sed tantum sextis feriis per annum: Et in jejuniis, ut ter in hebdomade acciperent generalem disciplinam, admisi secundis, quartis & sextis feriis; & in Adventu bis aut ter ad placitum, quatenus propter reformationem à primo fervore disciplinarum omninò non recederent. Anno finito Domina Abbatisa, sicut in curru suo sphærico eas in principio attulit, sic & in curru suo sphærico eas ad Monasterium suum in Hildesheim reduxit, cum multa gratiarum actione & amicitiarum fœdere sempiterno. Quamvis Abbatisam hanc in multis laudavi, unum tamen est, quod multum mihi displicet, quod & sæpius ei proposui, videlicet, quod in habitu non sunt Monialibus reformationis nostræ conformes. Moniales nostræ *album habitum*, hoc est, *subtile super albas* deferunt *tunicas*, & *velum nigrum magnum super omnia capitum suorum pepla & velamina*: ipsæ vero more Cisterciensium nigram Cappam cum manicis de lino super vestimenta omnia sua inducunt, & album peplum magnum, quod *clamm* vocant, habent super omnia capitum velamina, ita, ut ipsas esse Moniales, qui non sciret, vix posset cognoscere. Sic & deferunt in *Wullinghusen*. Statuta Monialium nostrarum exscripta concessi, imo & dedi eis; & *Prior de Molenbeke*, ad duo inde distans miliaria, plus quam per annum vel duos, misit eis unum de fratribus suis, ad expediendum eas in confessione ante earum communionem, in carruca, quam pro confessore mittere solent; quia propter exemptionem non stant sub Episcopo Myndensi, sed sub sede tantum Apostolica. Cujus controversiæ causa permaxima Præpositus fuit de *Wullinckhusen* Magister *Henricus*, quem *Prior tunc de Wittenborg*, *Frater Rogerus de Hervordia*, ad hoc per fortes compellere voluit, ut Moniales suæ, habitu nigro deposito, nostrum habitum album pro veste superiore deferrent: sed ad hoc compelli noluit, & defensores in hoc requisivit. Sic usque in præsentem diem ista diversitas habitus Monialium Saxonæ nostri Ordinis permansit, donec unum ovile & unus pastor fiat. Pastor Ecclesiæ, & Pastores, ut æstimo, quatuor, sub earum stant obedientia, & habet eas cum cæteris corrigere Presbyteris, cum in aliquo excedunt, per se vel quibus injunxit.

CAPITULUM XXXIII.

De Monasterio Monialium IN DORSTAD.

Monasterium Monialium Ordinis nostri in *Dorstad* diœcesis Hildeshemensis, quod ad unum quartale milliaris distat à Monasterio Monialium in *Heyningen*, à multis retroactis temporibus & annis stetit sine reformatione & regulari observantia. Quædam ejus Moniales castitatem non bene servaverant. Omnes propria habebant, & quasi sine obedientia vixerunt in Monasterio. Unde ad extremam in multis bonis pervenerant paupertatem. De Præpositura parum habebant, sed singulæ de propriis victualitiis, & de puellarum secularium doctrinis & informationibus se nutriebant. Sententiam excommunicationis, ab Episcopo contra eas, quia se reformare noluerunt, latam & fulminatam, quodam tempore incurrerunt. Unde ob spem reformationis missus fui ad expediendum eas in confessione, & à sententiâ excommunicationis absolvendum. Quo cum pervenissem, feci, propter quod veneram, & sub spe & promissione reformationis eas absolvi. Et intellexi, quod sanctum seculare & disciplinas corporales omni die feriali servabant & sumebant, quas dux juniores velatæ Moniales dabant, unaquæque in suo choro. Primo Priorissa deposuit se ad disciplinam, à tali juniore suscipiendam: & sic ulterius totus chorus suus. In sinistro choro Suppriorissa se ad terram prostravit ad disciplinam ab alia juniore suscipiendam: & sic omnes à senioribus

bus incipiendo usque ad inferiorem; & dantes ultimò receperunt. Legerunt infra disciplinam singularum *confiteor, & misereatur tui operis Deus.* Et habuerunt virgas satis magnas, & percusserunt eas satis acriter. Ad hæc enim juniores ordinatæ fuerunt ad dandum disciplinas, quia erant aliis fortiores. Interrogavi unam earum post confessionem: An daret uni quandoque plus quam alteri? Respondit: utique; illam, quæ iudicio meo plus promeruit, acrius percutio, & quantum possum. Iuenculæ istæ dux erant decem & octo annorum vel circa. Interrogavi unam seniorem Sororem, quæ Priorissâ fuerat in alio Monasterio Ordinis sui, sed quia reformare se noluit, inde fuerat expulsa: An graves ab eis susceperit disciplinas? Quæ respondit: Numeravi decem & octo verbera, quæ mihi sæpius dedit, tam fortiter sicut potuit, infra tempus, quo legitur: *Misereatur tui operis Deus &c.* Tunc dixi ei: Deberetis ei signum dare, ut intelligeret, quod satis haberetis. Respondit: Quando hoc facio, tunc amplius me percutit. Et non audeo sibi aliquid dicere propter Priorissæ præsentiam, sed cogito: Oportet me ista sustinere propter peccata mea, quia Priorissâ & omnes sorores ab eis suscipiunt, quantum dare volunt, sine contradictione. Et adjecit: Ante coronationem ejus ego eam docui, & sæpius cum virga eam percussi; jam reddit mihi, sicut vult. Hæc omni die feriali facere consueverunt. Ego autem disciplinas isto modo susceptas ex toto reprehendi. Quia iuenculæ dabant senioribus disciplinas tam valide, sicut voluerunt, omnino non valuit. Et quod hoc modo disciplinas reciperent ibi & in multis Saxoniarum Monialium Monasteriis, hoc omnino prohibui; quamvis à quibusdam senioribus Monialibus rogatus fuero, ut ipsæ ita possent suas recipere disciplinas, ne in (*) pectoribus infrigidarentur. Id jam in omnibus Monialium Monasteriis hujus terræ reformatis immutatum est. Mandatum cepi à Domino Hildensemensi Episcopo, ut cum Priore de *Ryckenberg* visitare deberem Monasterium Monialium in *Dorflad.* Quod ego composui, prout mihi bene placuit, cum plena autoritate omnia & singula faciendi, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; postquam visitassem Monasterium Monialium in *Stederborch* cum Priore de *Hamersleve Everhardo.* Cumque Monialibus in *Dorflad* denunciaßem, quod eas visitare deberemus: dixerunt mihi, an amicos Monasterii sui ad se possent convocare? Quibus respondi, quod vocarent, quoscunque vellent; quia non vellemus eis facere injuriam, sed quod teneremur. Visitato igitur Monasterio in *Stederborch*, occurrit mihi Prior de *Ryckenborch* in *Heyninghen*; & inde pariter perreximus in *Dorflad.* Intravimus ibi ad Moniales in clausuram, & præmissa oratione, lectæque forma visitationis, examinare eas inchoavimus. Duo autem Proconsules civitatis *Brunsvycensis* ad nos ibidem supervenerunt, *Jacobus Broisum* & *Henricus Lücke*, quorum ultimus fuit in Jure Baccalarius, cum decem servis equestribus. Qui ad nos accedentes, interrogaverunt, quid ibi faceremus? Respondi: Moniales istas autoritate Domini Hildensemensis Episcopi *Magni*, visitare debemus. Dixerunt: Habetis ad hoc mandatum in scriptis? ostendite nobis. Cumque Proconsul Baccalarius legisset, dixerunt: Consulatui *Brunsvycensis* misit nos, ut nomine ejus rogarem vos, ut visitationem intermittatis; quia Consulatui Monasterium istud est commissum. Quibus respondi: Oportet nos Episcopo nostro obedire, qui id nobis mandavit, ut in littera ipsius videtis. Responderunt: Nos cum Episcopo bene concordabimus. Quibus dixi: Nos autem visitationem istam prosequi volumus, prout in mandatis habemus. Responderunt: Si eis diceremus, quod ad vos accedere non deberent, quid tunc facietis? Respondi: Tunc statim eas in sententias excommunicationis incidisse, juxta tenorem mandati declarare vellemus. Qui responderunt: Si illas vultis visitare, tunc interrogetis omnes in nostra præsentia, quæ illas vultis interrogare. Respondi: Tunc una diceret ad interrogata, sicut alia. Nos volumus singulariter audire singulas, & uniuscujusque audire voluntatem, an se dare velit ad reformationem; & secundum hoc procedere. Et adjeci: Miramur, quod vos *Brunsvycenses* plus vos intromittitis de isto Monasterio, quam aliæ civitates *Hildesheim* & *Goslaria.* Si hic habetis filias, sorores aut consanguineas, & volunt observantiam tenere regularem, tunc vivere possunt de bonis Monasterii; quæ data sunt ei à Christi fidelibus, ut hinc Deo servientes habeant, unde vivant, non ut in peccatis illa confundant. Si vestras hic habetis, & eas, ut in propriis vivant, defendere vultis, tunc accipiat eas in domos vestras, & ibi eis de bonis vestris, provideatis; quia tunc nihil juris in isto habent Monasterio. Videntes ergo Proconsules, quod nihil contra nos proficere possent, nec per petitiones nec autoritate sua, dixerunt: De temporalibus non dicent vobis veritatem. Nos melius ab eis bona earum temporalia inquiremus, quæ volumus Domino Præposito Ecclesiæ Hildensemensis, *Eggardo de Hanenzee*, & vobis in Sulca Patri dare in scriptis, certum nobis tempus ad hoc lignantes. Quod nobis bene complacuit. Post hæc via, qua venerant, redierunt, & nos visitationem, quam incepimus, continuavimus. Moniales igitur omnes nobis responderunt, quod reformationem libenter assumerent,

(*) pectoribus sive corde suo,

rent, sed pauperes essent, & non haberent, unde viverent. Si haberent Præpositum, qui cum eis reformationem vellet assumere, & in temporalibus eis providere, tunc ad statim vellent eam incipere. Nos autem, quia temporalia ipsarum bona ignoravimus, dignum duximus expectandum, donec Consulatus Brunswickensis omnia bona hereditaria Monasterii, & Sororum vitalitia, nobis daret in scriptis, sicut promiserat; & nos interim de Præposito eis præficiendo cogitare voluimus, & cum Prælati Ecclesie Hildensemensis & amicis earum inde conferre. Cumque Consulatus in tempore præfixo nihil mihi in Sulda remandasset, dixi Provisori istius Monasterii: Tenui Consulatum Brunswyckensem pro tam veraci & fideli Consulatu, sicut est in Saxonia. Miror ergo, quod non tenent nobis fidem & promissa; & hæc ipsa ex parte mea ei denunciaret. Quo audito, statim Consulatus misit ad Præpositum Ecclesie Hildensemensis & ad me in Sulda Præpositum, rogantes, ut ambo in media via intra Hildensem & Brunswyck eis occurreremus: ibi omnia vellent nobis concordata præsentare circa castrum *Steenbrugghe*, quod idem Præpositus habuit tunc in possessione. Præpositus ergo cum quinque equis, & ego cum caruca nostra ad præfatum terminum convenimus, in prato circa castrum ipsos præstolantes. Consulatus ergo misit istos duos Proconsules præfatos cum decem & octo equis. Qui nos in prato sedere videntes, de equis descenderunt, & nos pacificè salutantes, regratiabantur nobis, quod ad illorum petitiones illuc advenissemus. Deinde resalutari à nobis, dixerunt, quod Præposito præfato scripsissent nostri termini dilationem, quod mihi intimare neglexerat; & ideo fidem promissam utique servassent. Produxerunt ibi tunc coram nobis registrum, in quo omnia bona Monialium in Dorstad hereditaria, & singularum vitalitia satis clarè descripta erant: Postquam autem illud nobis prælegerunt, tradiderunt mihi id conservandum. Dixerunt enim, quod Provisores & Moniales ad Consulatum vocaverant; qui per juramentum affirmaverunt, quod omnia, pro ut in Registro illo habentur, vera essent, & omnia ibi essent descripta. Tunc dixi Proconsulibus: Mirum valde est, quod in sex annis, quibus ex commissione Domini Hildensemensis eidem Monasterio præfuitis, non melius in temporalibus profecerunt; quia, ut intelligo, in istis sex annis plus quam in centum florenis Rynensibus retroierunt. Si ego tanto tempore earum fuisset Provisor, & tantum in temporalibus defecissent, expelleretis me de terra. Respondit *Jacobus*, unus præfatorum Proconsulum: Nos eis, sicut propriis domibus, non providimus; sed cum Provisor earum coram nobis computasset, diximus ei, quod ulterius eis fideliter provideret, & melius suum faceret; & ita eum abire fecimus. Concordavimus ibi tunc, quod de consilio & autoritate Domini Hildensemensis de Præposito bono eis provideremus: ipsi ejus fideles vellent esse cooperatores; Sicut etiam in Monasterii præfati conflagratione perfectè fecerunt. Ipsi enim major causa fuerunt reedificationis Ecclesie in *Dorstadt* & dormitorii, per pecunias, servitia & vectigalia. Proconsul *Henricus Lucke*, ex illa hora usque ad mortem suam per plures annos fidelissimus mihi factus est amicus, frequenter me, in *Brunswyk* existentem, invitans ad secum prandendum, cœnandum & pernoctandum: & si mihi non vacavit ad secum prandendum, colloquium tamen ut sibi non negarem, eò quod in tractatibus Monasterii in *Dorstadt constantem, sagacem & fidelem* me invenit, & *in multis expertum*. Et, quia Baccalarius Juris erat, de materiis, nos ambos concernentibus, sæpius pariter contulimus, & scriptis invicem animavimus. Præfatum autem Monasterium diu stetit sine perfecta reformatione, & ideo in temporalibus quotidie defecerunt, sicut & in spiritualibus. Dominus *Ernestus*, Episcopus Hildensemensis mandatum suo sigillo firmatum mihi misit in rubea cera, ut præfatum Monasterium reformarem, sicut in *Heyningen & Stederborch*; ut in habitu, statutis, cantu, & in omnibus essent conformes Monialibus Capituli nostri de *Windesem*. Contigit igitur, quod ob rogatum Domini *Statii de Stockum*, Canonici Ecclesie Hildensemensis, investire deberem in *Heyningen* puellam quandam & cognatam Domini *Statii*. Quibus peractis, dixi Præposito, ut committeret Domino *Statio* præfato, ut post investitionem neptis suæ mecum pergeret in *Dorstadt*: ibi dicere vellem Monialibus, quando redirem de visitatione Monasterii in *Segheberch* ultra *Lubecke*, tunc vellem eas reformare juxta tenorem mandati mihi facti; & hortaretur eas ad obedientiam. Et fecit sic. Quæ nobis responderunt: Si Præpositum haberent, qui cum eis reformationem incipere vellet, tunc libenter se dare vellent ad observantiam regularem. Et conclusimus, quod cogitare vellemus de Præposito. Interim, quod foris fui, Dominus *Statius* præfatus à Domino Hildensemensi impetravit, ut ipse earum posset esse Præpositus, & vellent eas reformare. Reversus igitur, legi ipsi mandatum Domini Hildensemensis mihi missum, videlicet, quod in omnibus conformes esse deberent Monialibus in *Heyningben*, ad unum quartale militaris ab eis distantibus. Dominus *Statius* hoc audiens dixit: Hoc nunquam erit, quod habitum mutabunt. Tunc dixi: Si habitum mutare nolunt aut non debent, tunc ego nolo earum esse & dici reformator. Post multos igitur annos fuit ibi Præpositus: ideo man-

runt, sicut fuerunt; nisi quod unam mensam habent, & suo tempore chorum frequentant; alias parum sciunt & tenent de reformatione, ut in sequenti capitulo patebit.

CAPITULUM XXXIV.

De fundatione & reformatione Monasterii Monialium Ordinis nostri IN STENDEL, & primo, quomodo per Moniales in DORSTAD fuerunt reformatæ.

Monasterium Monialium in oppido *Stendel* in Marchia Brandenburgensi constitutum, Consulatus de *Stendel* de novo construxit & fundavit. Nam post constructa pro Monialibus ædificia sufficientia, Consulatus audiens, Monasterium Monialium in *Dorstad*, ecclesiam videlicet & dormitorium earum, fuisse combusta, & bonam sciens in Diœcesi Hildensemensi virorum & feminarum fore reformationem; putans, eas bene reformatas: scripsit Domino *Ernesto*, Episcopo Hildensemensi, Præposito, ut etiam Conventui in *Dorstad*, quatenus plures eis mitterent Moniales reformatas pro novi illius Monasterii regulari observantia & debita institutione. Præpositus ergo *Stadius*, decem aut undecim secum assumens Moniales & familiares, nigra cappa indutas, & velum nigrum magnum super omnia pepla sua in capitibus non habentes, sed album duntaxat peplum, quod *clamm* vocant; perrexit in *Stendel*. Cumque ad portam Stendalensis oppidi pervenisset, totus populus civitatis, viri & mulieres, obviam ipsis venerunt, Moniales illas videre cupientes, ad tria penè hominum millia, ut dicitur. Et ita cum magna gloria ibidem tunc susceptæ fuerunt, ita, ut Præpositus Ecclesiæ Hildensemensis, *Eggardus de Wenden*, mihi diceret: Si Dominus *Stadius*, Præpositus earum, vir doctus fuisset, plus omnibus vobis reformatioribus fecisset. Sed dixi: Exspecta paulisper, & respice finem. Intravit ergo Monasterium illud bene constructum cum suis Monialibus, & regimen illius de assensu Consulatus ipsis commisit, quatenus horas suas divinumque officium die ac nocte in eo quotidie devotè persolverent & decantarent. Consulatus civitatis de cunctis suis necessariis in victu & vestitu voluit eis providere, sicut & fecit usque in præsentem diem. Cumque aliquanto tempore cum eis habitassent, & Priorissa, ibidem à Præposito præfata de suis Monialibus constituta, aliquas de seculo puellas ad religionis suæ summisset habitum: quædam Moniales post aliquot annos ad proprium redierunt Monasterium. Revertentes vero Moniales non bonam inter se pacem & reformationem servaverunt, sed sæculi rumoribus & novis fabulis, quas Sorores familiares, sæpius intrantes civitatem, eis referre consueverunt, quotidie se occupabant. Quod Consulatus percipiens, Priorissæ dixit: Quomodo hoc se habet, ut tam citò à sancta reformatione intepescatis? Sororem enim laicam ad civitatem quotidie mittitis, quæ renunciat vobis omnia, quæ in mundo aguntur: unde corda vestra ad sæculi vanitatem & ad omnem dissolutionem pertrahuntur. Respondit Priorissa: Nos de vera reformatione nihil scimus, nisi quod unam mensam pariter habemus, & tempore suo ad chorum & dormitorium transimus. Si veram hic vultis habere reformationem, tunc oportet, ut alias vobis Moniales procuretis, quæ verum sciunt modum reformandi. Audiens hæc Consulatus, de eis male fuit contentus. Contigit post hæc, *Magistrum Everhardum*, Præpositum Ordinis Præmonstratensis in civitate Magdeburgensi ad Beatam Virginem, Sacræ Theologiæ Baccalarium formatum, ad examinandum quendam *de hæresi suspectum* propter verba impertinentia, quæ protulerat, per Episcopos & Præfectos mitti in *Stendel*. Ad quem de Consulatu accedentes, rogabant eum, ut præfatum Monialium Monasterium assumeret reformandum. Quibus ille respondit, quod Moniales illæ non essent sui Ordinis: sed consuluit, ut ad se vocarent plusquam per viginti milliaria de Hildesheim *Johannem in Sulda Præpositum*, personam meam denotans, qui Zelo Dei accensus nemini desideranti suum denegare soleret auxilium in rebus, reformationem concernentibus. Cumque Priorissa & Moniales ibidem de *Dorstad* id audivissent, continuo responderunt: Pro quocunque Patre Ordinis nostri mittatis, sed pro Patre de Sulda non mittatis; quia ipse Pater est Monialium in *Heyninghen*, & adversarius Monasterii nostri in *Dorstad*. Nisi enim ipse fecisset, Monasterium in *Dorstad* diu habuisset *decimam villam Dorstat*, quam Monasterium in *Heyninghen* ultra trecentos annos jam possedit. Præpositus enim iste de *Dorstad*, quia Canonicus est Ecclesiæ Hildensemensis, & de militari progenie, per animi sui animositate putat potestativè decimam præfata sibi & Monasterio suo in *Dorstad* appropriare, non habens aliam rationem, quam quod omnis decima cujuscunque villæ pertinet ad Plebanum illius villæ; quod tamen nullibi pene nunc est verum. *Hujusmodi negotium pendet in Curia Romana*, ubi Moniales in *Heyninghen* jam unam obtinuerunt sententiam. In qua causa Moniales in *Heyninghen* alium non videntur habere defensorem, quam personam meam, & Dominum *Johannem Alten*, Canonicum Ecclesiæ Sanctæ Crucis in Hildesem; licet omnes Religiosi formati cujuscunque Ordinis faveant Monasterio in *Heyninghen* propter reformationem

nem ejus, & propter me, & propter Patres Ordinis nostri. Audiens hæc Præpositus Præmonstratenſis præfatus, conſuluit tunc, ut Priorem ad hoc vocarent *de Hamersleve*, eis magis in propinquo, qui etiam eſt Pater duorum Monialium Monasteriorum Ordinis noſtri, videlicet *in Monte Beata Maria* prope Helmſtede, & *in Fonte Beata Maria*, ad unum miliare inde diſtans. Fecerunt ergo ita. Qui ad informationem Magiſtri *Everhardi* & vocationem Conſulatus venit tandem in *Stendel*, & audiens proſitionem & deſiderium Conſulatus ibidem, de præfati Monasterii aſſumptione & perfectâ reformatione, locumque perſpiciens Monasterii & ſtructuram ejus ſatis aptam, dixit Conſulatu: Moniales, quas hîc habetis, nigum portant habitum, & velum nigrum, omnibus Monialibus debitum, in capitibus ſuis ſuper omnia pepla ſua non deferunt. Moniales autem noſtræ albis indutæ ſunt ſubtilibus de lino ſuper omnia veſtimenta ſua, ſicut nos, nigris magnis velis omnia capitum ſuorum vel amina nocte & die contegentes: regulam tamen cum iſtis habent eandem, ſed ſtatuta, ordinarium, cantum & ceremonialia diverſa. Si ergo cum Monialibus mihi commiſſis locum iſtum aſſumere & reformare deberem, tunc oporteret, quod omnes Moniales, hîc remanere volentes, noſtris in omnibus eſſent conformes. Conſulatus reſpondit: Hoc etiam nos omninò habere volumus, quoniam Moniales iſtæ de *Dorſtad* dicunt, ſe non eſſe reformatas. Sed ſi earum quædam hîc manere deſiderant, tunc volumus, ut veſtris Monialibus in omnibus ſint conformes. Moniales autem noſtræ, hîc de novo inveſtitæ & profeſſæ, in cunctis debent veſtris eſſe conſimiles & obediennes. Et nos omnes vobis & Monialibus, per vos adducendis, omnem promittimus fidelitatem & aſſiſtentiam, perpetuo duraturas.

CAPITULUM XXXV.

Quomodo Monasterium IN STENDEL ad perfectam reformationem pervenit per Moniales MONTIS BEATÆ MARIE prope Helmſtede.

Habito igitur à Conſulatu hujusmodi reſponſo & promiſſo, Prior *de Hamersleve Bernbardus* ad domum reverſus, acceſſit ad Prioriſſam & Conventum Monasterii Monialium *Montis Beatae Mariae* prope Helmſtede, inſtanter rogans & requirens, ſibi ad hoc concedi Moniales competenter doctas, Zelum Dei pro reformatione habentes, & quæ aliis præcedere poſſent in viam vitæ & regularis diſciplinæ. Quæ propter amorem Dei & animarum ſalutem plurimarum benivolo & prompto animo conſenſum ad hoc dederunt, plures Sorores, quotquot habebat neceſſarias, in hoc ipſum ei concedentes; quarum unam Prioriſſam ibidem futuram prædiſpoſuerunt de *Stendaleniſibus* progenitam. Prioriſſa igitur, *Domina Helena*, cum ſua procuratrice perrexit in curru ſpharico cum Monialibus ibi permanſuris, videre volens, ubi Sorores ſuas dimitteret; & Prior *de Hamersleve* in curru ſuo non ſpharico ſine tecto Moniales omnes iſtas in *Stendel* deduxit. Quo pervenientes, non minori gaudio, occuſu & tripudio à Proconſulibus & à tota civitate in Monasterium præfatum ſunt ſuſceptæ, qui plurimum exultabant, quod jam Moniales bene reformatas recipere meruerunt. Tunc Conſulatus dixit ad Prioriſſam & ad Moniales, eis de *Dorſtad* conſeſſas: Si habitum iſtarum Monialium vultis aſſumere, & cantum, & conſtitutiones, & ceremonialia earum: tunc libenter volumus vos omnes hîc retinere: ſin autem, tunc utiles amplius hîc non eſtis. Miſerunt autem Priorem *de Hamersleve ad Præpoſitum & Prioriſſam in Dorſtad*, eorum ſuper hoc requirentes voluntatem. Præpoſitus primo iratus, quod inde recedere deberent, finaliter tamen reſpondit: Si ad nos redierint, eas abjicere nolo. Sicut ergo primò cum gloria magna ibidem fuerunt receptæ, tanquam Moniales bene reformatæ: ita nunc, quia nihil aut parum de vera reformatione cognoverunt, cum confuſione & pudore inde ſunt evectæ. Prior autem *de Hamersleve* de conſilio Conſulatus & de bona voluntate Monialium ibidem inveſtitarum, exiit eis habitum illum nigrum in Conſulatus præſentia & hominum plurimorum utriusque ſexus, & induit eas albis ſubtilibus, velum magnum nigrum capitibus omnium ſuperimponens. Puellas etiam alias ibidem de novo inveſtavit, habitum novitiarum noſtrarum illis tradens, hoc eſt, ſubtile ſine manicis, per annum uſque ad profeſſionum ſuarum tempus per eas deferendum. Cantum etiam noſtrum, ordinarium & ſtatuta tunc pariter aſſuſerunt, & Sororem in Prioriſſam ſibi elegerunt, quam Decanus confirmavit ibidem in officio, quia epiſcopalia omnia habet ſuper illam civitatem. Nam Epiſcopus *Halberſtadenſis*, in cujus diœceſi oppidum illud eſt conſtitutum, nullam pene ibidem habet poteſtatem & juridiſtionem, ſed ſolus Decanus *Stendalienſis* cum ſuo Canoniorum Capitulo, per antiqua ad hoc privilegia Apoſtolica. Cumque in ſedem ſuam inthroniſata fuiſſet, & omnes Moniales illæ manulem ei obedienciam præſtituiſſent: dictum Monasterium in debitam perduxit regularem obſervanciam, juxta Ordinis & Capituli noſtri inſtituta, & eam per multos jam annos in eſſe conſervavit, in exemplum & ædificationem omnium in *Marchia Brandenburgenſi* Monialium cujuſcunque Ordinis Monasteriorum, &

Yyyy y :

totius

totius communis populi plurimam salutem, sanctam earum vitam & conversationem quotidie audientis & videntis: quoniam nullum tunc in Marchia illa Monasterium Monialium fuit reformatum. Præfatus Pater *Bernhardus*, Prior de *Hamersleve*, adhuc omnes, illic habitum postulantes, solet investire, & ad professionem recipere puellas, & ipsum Conventum sæpius visitare & emendare, siquæ fuerint emendanda. His ita peractis, prædictus *Statius* Præpositus plures suscitavit adversus Priorem de *Hamersleve* vexationes. Nam Episcopus *Hildensemensis* scripsit *Episcopo Halberstadensi*, ut Priorem de *Hamersleve* inde revocaret ad Statii petitiones, quasi ei datum fuisset Monasterium in *Stendel*, & Monasterio suo *Dorstadt* incorporatum. Sed nihil profecit cum omni suo conamine; (*) quia non fuisset pro eo & suo Monasterio, quod Consulatatus *Stendalensis* sibi ad singula respondisset. Post hæc aliud tentavit invenire consilium contra nos, dicens, Moniales suas non esse regularissimas, sed *Ordinis Eremitarum Sancti Augustini*, quia nigrum portant habitum. Ad quod Doctor Sacre Theologiæ in *Erfordia*, *Ordinis Eremitarum Sancti Augustini*, Magister *Henricus Lodewici*, respondit, quod Ordo ipsorum nullum jam in mundo habet Monasterium Monialium sui Ordinis: & hoc dicere & stare voluit coram omnibus Doctõeribus & Religiosis quibuscunque. Cum idem Præpositus *Statius* & quidam alii in hoc non possent proficere, aliud invenerunt genus Monasterium illud à nobis dimembrandi. Quidam enim Ecclesiæ Majoris in *Hildesem* cum Præfato Præposito vocaverunt ad se *Hildesem* *Fratrem Ples*, in Monasterio Ordinis in *Porta Cali* vocatum Priorem, & *Fratrem Johannem Cruesborg*, ambos Ordinis Eremitarum, præfatum Monialium in *Dorstadt* Monasterium eis volentes perpetuo committere. Qui responderunt, quod sine Patre eorum Provinciali certum non possent ipsis dare responsum. Pater ergo eorum Provincialis hoc audiens, *Ples* absolvit à Prioratu *Porta Cali*, & *Fratrem Johannem Cruesborg* ad terras transmissit extraneas extra Saxoniam: quia non placuit ei, ut Monasterium Ordinis nostri, quod habet bonos Patres Ordinis bene reformatos (ut tota novit Saxoniam) ipsi invaderent, & ad alium ordinem reducere deberent. Imo & plures inde mirabantur, quod *Fater Johannes Cruesborg* tanto tempore intromisit se de Monasterio in *Dorstadt* ad reformandum, quod sui non erat ordinis; cum tam bonos, sicut ipse dicebatur, Patres sui Ordinis ibi in propinquo habuissent. Sed impudentiæ suæ compatiendum est, quia bonam forte habuit intentionem, licet errarit in re. Et ita Ordo noster manet, sicut à principio foundationis semper fuit.

CAPITULUM XXXVI.

De fundatione Monasterii Monialium Ordinis nostri IN BEVERWYCK.

Monasterium Monialium in *Beverwyck* partium *Hollandiæ* Ordinis nostri, in fundo hæreditario Domini *Gerardi*, devoti Presbyteri, constructum est. Moniales illæ ad longa tempora sorores fuerunt de tertia regula *S. Francisci*. Quibus tunc frequenter feci collationes diebus festivis, quando in *Sion*, Monasterio Ordinis nostri Canonicorum in eodem oppido habitavi. Mater autem Sororum illarum cum adiutorio hominum bonorum ab *Episcopo Trajectensi* impetravit, ut oratorium sive capellam in eodem loco posset ædificare. Quæ habita licentia, satis bonam & fortem de lapidibus & cæmento construxit, Duce *Philippo de Burgundia* assensum præbente, qui & Princeps *Hollandiæ, Brabantiæ & Zelandiæ* in brevi, post mortem *Comitissæ de Hollandia*, factus fuit. Impetravit etiam, ut præfata capella cum domibus sibi contiguis in Monasterium Monialium Ordinis nostri erigeretur: quod tamen majores oppidi illius admittere noluerunt; quia post consecrationem ejus in Monasterium erigeretur, ut timuerunt, sicut & factum fuit. Nos in *Sion* Canonici regulares & Moniales istæ, tunc adhuc Sorores, impetravimus secreto ab *Episcopo Trajectensi*, Domino *Zwederode Kulenborch*, quatenus Suffraganeus *Episcopi Trajectensis*, ut æstimo, de *Flandria*, præfata capellam consecraret cum cæmeterio sibi annexo, & alia quædam in *Sion* Monasterio nostro. Cum igitur Suffraganeus iste ad nos in *Sion* vespere venisset, tunc sequenti mane, antequam homines loci illius plene surrexissent, idem Suffraganeus & ego secum accessimus ad domum Sororum illarum; ubi primo cæmeterium pro ipsis consecravimus, & ego eum è vestigio sequens, tanquam ejus minister & capellanus, baculum ejus pastorem sive episcopalem post eum portavi & tenui. Et non longè post Capellam sive Ecclesiam illam similiter consecrari procuraverunt. Ex quo igitur venerabile Capitulum nostrum Generale omnibus Capitulo subjectis prohibuit, ne quisquam de Monialium Monasteriis de cætero assumendis se intromitteret, aut aliquam in Capitulo Generali de ipsis assumendis faceret mentionem; nullus Priorum Capituli nostri, quamvis ab *Episcopo* licentiam haberet, de illis se audebat intromittere. Igitur Sorores istæ impetraverunt à Principibus præfatis, ut

magnus

(*) Unde Prior de *Richenberg* dixit Præposito Ecclesiæ *Hildesemensis*, qui pro *Statio* Præposito loquebatur: non expedit Præposito & Monialibus in *Dorstadt*, quod per Consulatatum in *Stendel* ad lucem proveniant, quomodo & qualiter Moniales suæ ibi se habuerunt: quia melius subiciantur: Sic *MSC. Sultense*.

magnus ille *Prior Ordinis Prædicatorum de Herlem*, Ducis Burgundiæ Confiliarius, eas omnes investiret, & professionem ab eis reciperet secundum regulam Almi Patris nostri *Augustini*, in Ordine Canonissarum regularium. Quod & fecit cum magna populi utriusque sexus devotione. Patres tamen nostri in Monasterio, *Sion* vocato, consilio & auxilio, præsertim in spiritualibus, eas gubernant; videlicet in confessionibus audiendis, in consiliis dandis, in adversitatibus eas defendendis, & in similibus. Ecclesia earum sive capella non longe post cœmeterii earum consecrationem etiam fuit consecrata. Priorissa ibidem mihi dixit, quod libenter haberet, ut Sorores suæ de *quindena* in *quindenam* confiterentur & communicarent; quia per nullam rem melius, quam per sacram Communionem & frequentem confessionem eas in bona pace & claustrali disciplina posset conservare.

CAPITULUM XXXVII (*)

De Inclusis prope Hildesiam.

Inclusa sive Eremita circa Ecclesiam Sanctæ Catharinæ ad orientem civitatis Hildesienfis contra Sultam habitans cum Abra sua, per suffraganeum Episcopi Hildesienfis Dominum *Iohannem* Episcopum Misniensem ibidem fuit inclusa; quæ de mandato suffraganei, & etiam Episcopi Hildesienfis in litera patenti sigillata mihi est commissa cum Abra sua, & eis est mandatum, ut mihi obediant sicut Prælato suo; & professionem fecit secundum regulam Almi Patris nostri *Augustini*, & non secundum regulam Inclusarum, sicut illa fecit, quæ ante eam ibidem fuit inclusa: quæ etiam tantum in Inclusorio suo habere non debuit, quantum mus comedere potuit. In vita ergo sancta & religiosa eam & Abram suam, juxta mandatum Episcopi Hildesienfis, tenere debeo, & custodire in tribus omnium Ordinum substantialibus, paupertate, castitate & obedientia, & in conformitate statutorum Monialium Ordinis nostri, in quantum ipsi & mihi est factibile. Quæ usque hodie in vita sancta, & bona permanet conversatione, omni pene quindena communicans, & puram ante faciens confessionem: Abra vero sua semel in mensē, sicut Laici nostri, communicat, & ipsa in statu suo religiosam servat vitam, à mundi illecebris defæcatam. Inclusam sive Eremitam ad *S. Nicolaum* in parte Occidentis civitatis Hildesienfis, ob rogatum Suffraganei tunc infirmantis, de mandato Episcopi Hildesienfis, ego cum magna solemnitate more Episcopali, multis utriusque sexus hominibus præsentibus, ibidem inclusi; habitum antiquum cum vetere homine eam exui, & nova vestimenta, Ordini nostro congrua, eam indui: priorem inclusam ad *S. Catharinam*, quia legere novit, cum subtili sicut Monialem; istam, sicut conversam, quia Laica, cum scapulari. Ambæ tamen, quia Inclusæ, velum nigrum capitibus earum portant impositum. Hæc etiam secundum regulam Almi Patris *Augustini* similiter fecit professionem, & non Inclusarum; quia sexagenaria fuit, & plusquam XXX. annis inclusæ ibi ante eam, servavit, cibum & potum quotidie ipsi de civitate apportans; quod minimus non fuit labor; die ac nocte, hieme & æstate, elemosynam ei portare non desistens.

Inclusa sive Eremita tertia prope civitatem Hildesiensem in villa *Luzzenworden* sub tertia regula Sancti Francisci reclusorium illud introivit, per Suffraganeum Episcopi inclusa; quæ tamen propter inclusionem nigrum etiam velum in capite portat.

De Monialibus, quæ, reformationem fugientes, Apostata factæ, per me ad Monasteria sui Ordinis reformata sunt reductæ.

CAPITULUM XXXVIII.

De Moniali, quæ VII. annis apostataverat.

Monialis quædam, *Sophia* nomine, filia naturalis Ducis *Wilhelmi* senioris de Brunswick & Luneborg, cum magna solennitate à patre suo & à fratre suo, *Friderico*, Duce Brunsvicensi, oblata fuit super altare in Monasterio Monialium, *Mariense* nuncupato, Ordinis Cisteriensis diœcesis Mindensis, in patris sui dominio temporali constituto. Hæc cum longo tempore competenter bene fuit in dicto Monasterio conversata, prout in Monasteriis non reformatis fieri consuevit: tandem Capellanus quidam dicti Monasterii eam decepit, & multo tempore cum ea in Monasterio dormivit; interdum ipsa ad eum foras fuit egressa in proprium suum commodum. Et quia Dominus Deus tantum facinus diu non dimittit inultum; ipsa tandem concepit: quæ cum gravida facta, diutius latere non potuit, de Presbyteri illius consilio & auxilio virilem induens habitum, *diploidem* videlicet & *caligas braccatas* cum arcu & sagittis, sic vestita, nocte de Monasterio clam egressa,

Yyyyy 3

in pro

(*) Quæ sequuntur in hoc libro secundo, in Mōto Kiloniensi non comparent, sed ex Sultensi sunt desumptæ.

in proximam silvam, ubi eam expectavit, introivit. Quæ cum per duos aut tres dies & noctes ad voluntatem suam fuisset abusus, dixit, se ire, & eis necessaria providere, & continuo se velle redire. Cumque illa diutius ibidem expectasset, non fuit reversus, sed de terra illa ex toto recessit; Patrem ejus & fratres Duces valde pertimescens, eo quod eam imprægnasset, & jam ultra medium pervenisset. Ipsa vero se deceptam videns, sacerdote promissa non servante, ad proximam villam in vesperum declinavit, in domum perveniens honestæ cujusdam mulieris. Quæ cum audisset, ipsam filiam esse Ducis Wilhelmi, ad statim vestes eam exuit viriles, muliebria ipsam induens vestimenta. Permanfit autem foras extra Monasterium, donec puerum peperisset. Deinde ad Monasterium reducta, ibidem fuit incarcerata; ubi per instinctum diaboli pluries fuit vexata, quod seipsam interficeret; quia à tali peccato ulterius desistere non posset, nec regularem observantiam bene custodire. Quadam autem vice, ut mihi ipsa narravit, suavit ei Diabolus, ut tunicam suam in frustra concideret: Diabolus vellet asserem super caput ejus deponere, & ita per foramen illud cum tunica disrupta se suspenderet. Cui ipsa tunc consentiens, ad hoc necessaria continuo preparavit. Contigit autem, sacerdotem, qui Missam celebravit, inspiratum, ut Missa finita carcerem statim adiret. Igitur veniens ad eam, interrogavit, quomodo secum esset? cui omnia per Ordinem enarravit, & si statim non pervenisset ad eam, voluntatem Diaboli perfecisset. Tunc ad consultationem Sacerdotis educta de carcere, libertati pristinæ est restituta, ne tale piaculum, nec hinc nec in futuro remittendum, amplius attentare præsumeret. Dimissa autem suæ libertati, fugam iniiit, & per septem pene annos, per diversas terras, civitates, oppida & villas, vagabunda oberravit, usque in *Bremen & Hildeshem*; & ubique invenit suos amatores, à quibus etiam fuerat aliquando imprægnata. Ultimum suum filium peperit in *Hildesem*; ubi & nutrix cujusdam Consulis filix facta est, ipso ignorante, quod erat Monialis. Quod ego percipiens, quia visitator & reformator Monasterii fui fueram; misi ad eam unum de fratribus meis Presbyterum *donatum*, rogans, ut ad me in Sultam veniret. Quæ respondit: potius eligerem, quod tota civitas Hildesensis interiret, quam quod ad Patrem vestrum venirem; quia ad Monasterium meum ipse me reduceret. Contigit post hoc, ut puer ejus nocte moveretur. Quo mortuo, puer nondum sciens loqui, dum viveret; traxit supellectilem, sub qua hospita sua dormiebat; sæpius eam trahens, ut hospitam suscitaret. Quæ dum evigilasset, ait: quis es tu, qui me suscitasti? Respondit puer: Ego sum filius *Sophiæ* Monialis vestræ. Dicis matri meæ, quod ego perveni in cælum, in locum sibi paratum, si in Ordine suo jam reformato usque in finem permansisset. Si in cælum jam velit venire, sic vivat, ut illuc possit pervenire. Hic puer vivens verba formare non potuit; quæ mortuus, clarè ad intelligendum expressit. Matrōna ergo illa, puerum audiens mortuum, multum territa, statim surrexit; & cum dies illuxisset, mater sua & illa Matrōna, corpus defuncti ad S. Michaelē deferentes, in cujus Parochia morabantur, ibidem sepelierunt. Sepulto puero, in domum suam redire noluerunt; sed pariter ad me in Sultam, *hora quasi decima*, accesserunt. Vocatus ergo ad portam, & videns eas, dixi: quid huc venistis? an mihi loqui voluistis? respondit *Sophia*: hinc nolo recedere, nisi omnia peccata mea fuero vobis prius confessa. Cui respondi; ad refectorium nostrum nunc est pulsatum; prandio factō redire volo, & vos audire. Mittam vobis interim aliquid in paradisum nostrum ad comedendum, quia fratres circa refectorium me expectant. Et feci sic. Matrōna illa tunc recedente, ipsa sola ante ecclesiam nostram in paradiso remansit, & ibi comedit. Post prandium, ad eam reversus, in confessione ipsam expedi, quam ultra horam protraxit; nihil volens celare, in quo Deum offendit. Finita ejus confessione, eam tamen pro tunc nondum absolvi, quamvis Papalem super eam haberem auctoritatem; sed eam interrogavi, an ad aliquod Monasterium sui Ordinis reformatum vellet intrare? libenter, ait, reformatum volo intrare Monasterium, sed primò non ad proprium meum Monasterium. Tunc dixi: vultis ire ad Monasterium in *Derneborg* Ordinis vestri, de quo vestrum Monasterium est reformatum; unde Abbatissam habetis & sorores reformatrices? si me velint recipere, ait, libenter vadam illuc. Remisi autem eam in domum hospitiæ suæ, & scripsi Abbatissæ in *Derneborg*, petens, ut eam ad tempus in suum reciperet Monasterium. Quæ mihi dedit consensum, mittens mihi currum suum, in quo eam ad se adducerem. Mane autem disposui, ut cum Inclusa ad S. Catharinam pranderet; & prandio factō, eam illuc in curru perducerem. Cumque de Clusa eam vocassem, responsum accepi, quod facta esset furda. Intravi ergo ad eam, dicens; ut citò veniret ad currum. Quæ ad nutum aliarum respondit, se non audire; quia vapores crassiores, ante organa auditus ejus ascendentes, auditum ejus impedirent. Tunc mulieres & virgines præsentēs fleverant, dicentes: ut Evangelium S. Johannis collo ejus appenderetur. Quibus dixi, quod hoc non esset necesse; sed ut eam retrò me in currum levarent. Si Diabolus id fecisset, ipse currum mecum ascendere non auderet. Quod cum factum fuisset, & retrò me in curru sedisset, & frater meus ante me

te me in eodem curru: post legi longas vigilias pro Præposito in summo Domino *Eghardo de Hanenzee*, tunc defuncto. Deinde interrogavi eam, quomodo haberet? respondit: competenter bene. Tunc ergo melius audivi, dicens mihi: quid dicam, cum ibi venero ad Monasterium? Dixi: bene tunc dicam vobis. Cumque intrassem Monasterium, dixi Abbatissæ: adduxi *Sophiam*, Ducis filiam; quando intrabit ad vos in Monasterium? respondit: quando vultis. Statim melius est, dixi; alias multa volunt eam interrogare. Dixit: finitis vesperis, ducatis eam ad chorum nostrum superius, præcedentibus Capellanis nostris cum luminibus, (quia tenebræ erant post festum *Andree*,) tunc cum Conventu volo eam suscipere. Dixi autem *Sophiæ*: dilecta soror, audivi confessionem vestram in Sulta, sed vos non absolvi. Scitis plura ad confitendum? respondit: non. Tunc dixi: ponatis vos ad genua; ego ab omnibus peccatis vestris vos absolvam. Cumque absoluta fuisset, duxi eam ad chorum Monialium, & stans cum ea ante altare, dixi coram omnibus in monasterio, ibidem pariter congregatis: Soror *Sophia*, vos vaga nimis fuistis & dissoluta, regulam vestram & vota transgressa; vultis vos libenter emendare, & vivere de cætero secundum regulam *Beati Benedicti*, sicut Deo & Prælati vestris promissis? quæ tam cordialiter & ferventer respondit: libentissime; (quia eloquentissima erat,) quod calidus inde factus fui. Tunc dixi: Ego auctoritate *Papæ & Pontificis nostri*, ab omnibus peccatis & criminibus tuis, per te unquam commissis, te absolvo, in nomine *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*. Deinde tradidi eam Abbatissæ: ad cujus pedes se tunc prostravit. Statim omnes Moniales præsentis altissimis vocibus exclamaverunt: *gaudent in hac die Angelorum agmina, quia drachma decima perdita erat, & est inventa; & addiderunt: laudem dicite Deo nostro omnes Sancti ejus, & qui timetis Deum, pusilli & magni; quoniam regnabit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus & exulemus, & demus gloriam ei*. Ego autem interim de choro earum descendens, ante unum altare me projecit, donec cantus earum finiretur, ad lachrymas per devotionem earum pene compunctus. Mane autem facto, primis finitis, accessi ad Abbatissam in introitu Monasterii earum, dicens: Domina, quomodo Sorores vestræ cum ipsa jam sunt in pace? respondit: Sorores nostræ dicunt, si mille florenos *Rhenenses* nobis dedissetis, illos tam libenter non haberemus, sicut, quod istam Sororem errantem ad nos reduxistis. Quod responsum valde mihi complacuit, & omnibus, qui post id audierunt. Tunc dixi ad *Sophiam*, Ducis filiam: quomodo succedit vobis illa nocte? respondit, sorores istæ venerunt ad me, dicentes: bene veniatis ad nos, dilecta soror. Narravit autem mihi somnium, quod nocte illa viderat. Videbatur enim sibi, quod Domina Abbatissa in choro suo staret, & multæ albæ oves stabant in circuitu ejus, cum lætitia clamantes *blee*, ut oves sonare solent. Ubi una conversa, quasi de armario supervenit, griseam portans in humeris ovem, dicens: oportet, ut ovis ista etiam alba fiat. Deposita igitur ad pavementum, omnes illæ albæ oves ad griseam ovem accesserunt, & ore ac pedibus griseam lanam ab ea detraxerunt, cum jucunditate multa *blee* clamantes. Cumque aliquamdiu id fecissent, dixit soror *Margaretha* conversa, quæ eam adduxit: Domina, oportet, ut ad Domum Capituli cum ea procedatis; alioquin ex toto alba fieri non potest, nisi per bonam disciplinam. Quo facto, alba facta est, ut cæteræ. Post hoc *Sophia* chorum introivit, & vidit ante chori fenestram, per quam libri & ornamenta sacerdotibus porriguntur, virum nigrum quasi *ethiopem* stantem & clamantem: reddite mihi ovem illam, quia mea erat. Tunc *Sophiæ*, accedens ad fenestram, digitos suos misit in faciem viri illius terri nigerrimi, dicens: vos ovem illam non habebitis. Et ita tota nocte illa cum eo pugnavit verbis & digitis suis, usque ad eorum læsionem. Ibi ergo diu in bona pace permansit. Post multos deinde annos, ob rogatum Abbatissæ & ob *Sophiæ* desiderium, reduxi eam in curru de *Derneborg* ad Patrem suum, Ducem *Wilhelmum*, in novam suam civitatem; & ille disposuit, ut ad proprium reduceretur Monasterium; ubi permanet usque in præsentem diem in bona pace.

De Moniali Ordinis nostri, quæ de Saxoniam usque *Daventriam & Trajectum* apostataverat.

Monialis quædam, Soror *Gertrudis* (*) *Dogens* dicta, *militaris* (**), in Monasterio Ordinis nostri, *Werder* nuncupato, professa, & ibidem tunc Sacrista: cum alia ejusdem Monasterii Moniali, etiam *Militari*, de Monasterio suo clanculo exivit, habitu suo in choro derelicto, vestita seculariter, sicut in castris *Domicellæ* solent incedere. Et per *Westphaliam* pergens, venit *Daventriam*, & in *Trajectum*, diocesis *Trajectensis* civitatem cathedralem. Una earum, Soror *Gertrudis*, cum redisset *Daventriam*, quibusdam devotis matronis dixit, se esse Monialem Ordinis nostri de Saxoniam, & habere bonam voluntatem illuc revertendi, si sciret, quomodo id fieri posset. Quod audiens devota vidua *Albeidis Tentborn*, per aliquot menses

(*) in indice capitulorum *Sultensi* vocatur *de Gense*.

(**) autor quos hodie appellant *nobiles*, semper vocat *militares*; idem & *Cranzius* observavit.

ses suscepit eam hospitio, donec Patres Saxoniae ad Capitulum venirent in Windesem; qui eam ad proprium reducerent Monasterium. Contigit autem, quod illo anno ego, in Sulta Prior, solus de Saxonia pergerem ad Capitulum in carruca cum equis duobus & Laico vectore. Cum ergo in Windesem venissem, accesserunt ad me duo Patres Ordinis nostri de *Depenvene* Monasterio Monialium Ordinis nostri, quod plusquam CL. Sorores inhabitant, rogantes, ut Monialem illam mecum in Saxoniam reducerem. Secundò ad me venit Rector sive confessor Sororum in *Daventria*, hoc ipsum desiderans. Tertio venit illa devota matrona, quae eam per aliquot menses hospitio receperat, secum ipsam Monialem in *Windesem* adducens. Prandio igitur facto, portam Monasterii in Windesem ad eam exivi; & cum vidissem eam, statim me cognovit, quia ejus primus fueram visitator & reformator. Tunc omnes praesentes viri & foeminae id ipsum petierunt, ut eam in carrucam nostram mecum assumerem, & ad Saxoniam reducerem. Cum multum instarent, cepi eam ad partem, interrogans, quomodo secum esset? an articulos in ventre haberet? an impragnata esset? an cum aliquo dormivisset? Cumque ad singula mihi respondisset, & quod ab omnibus gravaminibus libera esset, cognovissem: quantum ad hoc bene fui contentus; sed Monialem juvenem, minus 30. annorum, mecum in carrucam assumere non consensit. Tunc praefati Patres & plures alii accesserunt ad Venerabilem Patrem, Priorem de Windesem, & ad Visitatores eorum, idem tentantes; qui mihi dixerunt, ut bonum opus tale non dimitterem, sed ovem errantem reducerem, & non curarem quorundam oblocutiones: quia opus Dei esset, & salus animae periclitantis. Acquievi tandem, & misi eam *Zwollis* in domum Sororum, cognatarum mearum, in domum *Cadeneters*; ibi me expectaret, donec finitis negotiis meis, paratus essem pergere. Cum autem de *Monte Sancta Agnetis* Monasterio Canoniorum regularium Ordinis nostri prope *Zwoll* exirem, versus Saxoniam perrecturus, Sorores de *Zwoll* cognatae meae adduxerunt eam mihi; & ita carrucam mecum ascendens, iter arripuimus, sedens circa me, modicum retro me. Inde recedentes, prima nocte pervenimus in oppidum *Hardenberge* ad commune hospitium; ubi tunc quidam supervenit vasallus cum servis suis, cum quo ego & ipsa cenavimus; & valde honestè in mensa se habuit, quia non erat plebeja, sed de bona progenie. Interrogavi ancillam domus, ubi illa dormire deberet? Respondit, quod in camera secreta eam solam vellet includere. Unde bene fui contentus. Quia eam inoneratam susceperam, volui eam talem custodire, & ad locum sanctum reducere. Si enim in publico cum aliis dormire debuisset, ego cum fratre meo in alio loco prope eam dormire voluissem; quoniam sancta virginitas thesaurus est pretiosus, nulla re mundi comparabilis. In crastinum tunc perreximus in *Frendeswel*, in Monasterium virorum Ordinis nostri, dictum *Northorn*; ubi eam direxi ad domum sororum, sub provisione Monasterii ibi prope habitantium. Supervenerunt ibi devoti Patres, *Dominus Egbertus*, Rector congregationis Clericorum in *Daventria*, & *Dominus Albertus*, Rector Congregationis Clericorum in *Zwollis*. Mane igitur cum à portario utensilia reciperem hujus Monialis, ad carrucam ulterius perrecturus; & ipsi etiam ad viam se praepararent; dixit mihi in carruca stanti *Dominus Egbertus*: non esset tolerabile, quod religiosus solus cum Moniali pergeret, si non esset *Frater Iohannes Buschi*. Cui *Dominus Albertus*: Cor mundum crea in me Deus. Ita ipsi in equis versus civitatem *Monasteriensem*, ad Capitulum sive colloquium ibi celebrandum, nos praecesserunt. Veni post hoc cum ea in oppidum *Stemorde*, disponens sibi locum nocturnae quietis ibidem cum vidua devota. Quod Prior ibidem ad S. Iohannem, cum ceteris audiens, Dominis suis, statim miserunt pro ea, volentes eam nobiscum cenare, & ibi dormire, solenniter nos pertractantes. Die sequenti pervenimus in civitatem *Monasteriensem*, ubi eam in domum sororum devotarum perduximus. Sed ego à Magistro *Ludolpho*, olim in *Hildesem* scholarium Rectore, & ibi ad S. Martinum tunc Canonico, hospitio sui receptus, eo quod in domo Fratrum Congregationis, propter colloquium Patrum, locus ad manendum non fuit. Audiens autem Magister *Ludolphus*, quod Monialem mecum haberem, quia in Saxonia rexerat scholas: statim sororem suam devotam, antiquam virginem, misit pro ea. Cum eo igitur cenavimus & dormivimus; ego in lecto suo, & Monialis illa cum sorore sua; & ipse alibi singulariter dormivit. Sequenti die venimus in Monasterium *Marienvelde* Ordinis Cisterciensis, ubi antiquus Abbas, *Dominus Henricus Hagen*, de mandato Prioris Monasterii mecum in hospitali foeminarum & cum ea comedit & cenavit, dicens: quod non acciperet centum florenos quod sic solus cum Moniali per tanta terrarum spatia perambulare, quia tota terra contra eum conclamaret. Ipse fuit *Abbas in Marienvelde* & in *Lochum* sui Ordinis. Pervenimus deinde in oppidum *Bilvelde*, ubi in hospitio mihi noto disposui, quod sola jacuit in conclavi, ubi alias ego jacuissem. Inde egressi ad quartam milliaris, fracta fuit chorda una, qua equus carrucam trahebat; & via non erat ibi bona, sed profunda & lutosa. Descendi tunc cum ea de carruca, dicens vectori: hinc ad iactum duorum arcuum fortalitium est & repagulum: nos per tritam viam peregrinorum ire volumus, vos per viam curruum. Qui primo ibi venerit, alium expectet. Nos ergo processimus per viam peregrinorum: ipse mansit in via curruum, & veniens ad fortalitium, per-

perrexit ulterius. Cum nos lento gradu ad dictum pervenissemus fortalitium, audivimus, quod jam præcesserat nos. Unde male contenti, misimus puellam, quæ eum revocaret, sed eum non invenit. Ego igitur solus cum ea in silva magna & longa per integrum milliare perambulavi, & ipsa flens dixit, ire se non posse. Portavi ergo calopodia sua, & libenter etiam portassem pelliceum suum, sed exuere eum non potuit, quia dixit, quod in hora dimidia non posset caput suum cum tot peplis velare, sicut erat. Ipsa ibat in tunica nigra stricta cum peplis, ut virgines in castris solent incedere, & ego in subtili & caputio super tunicas nostras. Interrogavimus occurrentes de carruca: Responderunt omnes, quod præterit. Oportebat ergo, ut se sustineret. Post medium milliare dixit, se fessam, & ire plus non posse. Tunc locus ille aptus erat; ad sedendum me igitur posui, & illa similiter. Postquam parumper quievimus, dixi: Tempus est, ut procedamus; alioquin, si ulterius processerit, oportet nos per tria milliaria pedestres ire. Surgentes ergo, expedivimus nos per viam. Quamvis solus cum sola per viam illam ambulaverim, nullam omnino finistram de ea habui cogitationem, cum tamen juvencula esset satis pulchra & bene morigerata; sed plurimum compassus ei eram, quod non bene poterat incedere. Laicus autem vector noster, postquam per unum milliare nos præcesserat, dimittens carrucam circa tabernam, cum uno equo in silva nos quæsit. Venimus tandem pariter, & carrucam iterum ascendimus, prospero cursu ad *Molenbeck* pervenientes, nisi quod semel carrucam super arborum radices in silva evertit. Qui territus inde, non audebat equos ulterius minari, dicens, quod essem nimis pretiosus; si mihi mali quid contingeret, nescire, quid Deo & hominibus responderet. Nam Monialis ista, si ad spatium unius pedis ulterius cecidisset, ad truncum caput suum confregisset. Multis tandem precibus ego & ipsa rogavimus eum, ut saltem in *Molenbeck*, ad quartale milliariis inde distans, nos transveheret: & fecit sic. Quo pervenientes, in domum sororum eam susceperunt, per diem Dominicum ibi remanentem. Tunc dixi ei: Soror *Gertrudis*, nondum estis confessa. Bonum esset, ut confiteremini; quia in propinquo est Monasterium, in quo libenter maneretis. Confessa est ergo ibi totam vitam suam à juventute, ante & in reformatione; & quia temerariè habitum suum deposuerat, in sententiam excommunicationis ipso facto inciderat: etiam, quia toto tempore ab ordine apostataverat, fuerat excommunicanda. Ego igitur Papalem habens super eam auctoritatem, & super totum Conventum, unde exierat; absolvi eam ab omnibus peccatis & criminibus, siquæ commiserat, & à sententiis excommunicationis cum suis sequelis super eam, restituens eam gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, injuncta sibi pœnitentia salutari. In crastino autem perduxi eam ad Monasterium Monialium Ordinis nostri in *Visbeck*, primum dimittens ipsam foris villam cum laico & carruca; & ego accessi ad Monasterium, requirens Abbatissam, quæ domi tunc non erat. Vocavi ergo Monasterii secundum Prælatam, cui dixi: Adduxi hîc Monialem de *Werder*, quæ usque *Daventriam* apostataverat: precor, ut eam suscipiatis, donec Abbatissa vestra advenerit. Quæ respondit: Non possumus, quia tales plures habemus. Cui dixi: Nolo, id mihi negari, quia plura bona vobis feci. Tandem mihi consensit usque ad Dominam Abbatissam. Rediens igitur ad Monialem nostram, dixi, ut secularia exueret vestimenta, & in subtili & corona ad Monasterium earum intraret. Quod fecit cum fletu, dicens: Tollite mantellum, & state ante me, ne aliquis videat me tunicam exuentem, (ita verecunda erat). In campo lato eramus, ibi timuit nuda videri. Cum ergo eam ibi introduxissem, à senioribus in ostio Monasterii fuit suscepta, ubi usque hodie permanfit. Ad Monasterium proprium petiit, ut eam non reducerem, ad octo inde distans milliaria, sed multum affectanter me rogavit, ut locum ibi pro ea impetrarem. Fuerat autem mecum in carruca per XXV. milliaria de *Zwollis* usque ibi in *Visbeck*, quod est in Saxoniam ultra *Weferam*. Aliquanto post tempore Abbatissa illa misit ad me Capellanum suum, dicens, quod Monialem illam mihi mittere vellet in *Sultam*, ut viderem, quo illam dirigerem. Hoc audiens, statim carrucam nostram ascendi, Ducem *Wilhelmum*, aut ejus summum Consiliarium, Dominum *Ludolphum de Barum* inquirens; quos in *Hanover* inveni. Locutus ergo cum Domino *Ludolpho*, narraui ei omnia, quæ cum ea egi, & quid mihi Abbatissa illa remandavit. Qui respondit: Monialis illa de melioribus hujus patriæ est exorta. Ego disponam cum Abbatissa, quæ illam bene retinebit; & factum est ita. Cumque cum Monialibus nostris de *Brunopia* illuc venissem, inveni eam professam, & cruces aureas seu sericas super coronam capitis sui, sicut aliarum, deferentem, & infirmariæ officium custodientem, sororibus ibi infirmis deservientem, & usque hodie in eodem statu devotè permanentem.

CAPITULUM XXXIX.

De alia sorore bona, vagabunda & restituta.

Soror quædam devota, de prope *Norbom* oriunda, in quadam sororum congregatione in *Frisia* fuit assumta; ubi primo omnia humilia fecit officia in coquina, in domo mulsarum, & ubi-

& ubique, & tandem *Mater* domus illius facta est. Qua de officio Matris deposita, aliam de civitate *Groningen* de domo sororum illarum, Matrem susceperunt. Deinde Sorores domus suae pro majori parte conversae esse voluerunt, ætate, Ordinis nostri; ad quod Soror ista non fuit inclinata. Tunc Mater illa de *Groningen* promisit sibi, si ad eam veniret, in *Groningen* locum habere deberet. Cum ergo Sorores domus suae non cessarent promovere, ut conversae fierent, Soror ista perrexit in *Groningen* ad Matrem illam. Quae cum satis instanter pro loco illo institisset, finaliter responsum accepit negativum, quod non esset spes ei in loco illo. Tunc anxiosa nesciens, quid faceret, tandem Prior Ordinis nostri de *Ezingen* illam secum in curru suo duxit in *Northorn* Monasterium Ordinis nostri in *Comitatu de Benthem*, ubi nata fuerat. Qui miserunt eam in *Schüttorp* ad illas sorores. Sed nec ibi poterat remanere, quamvis valde bonum de ea testimonium reddiderant; quia cives & majores oppidi illius pro suis ibi instabant filiabus assumendis, quod propter personarum ejus multitudinem facere recusabant. Ideo nec istam assumere audebant, sed ad Monasterium in *Frendeswel* eam remittebant; ubi tunc cum illis suis Sororibus aliquamdiu permansit. Cum autem ego reversus de *Windesem* in curru sphaerico, in quo Moniales tres de *Bronopia*, mihi in Saxoniam ad tres annos concessas, ad proprium Monasterium reduxeram, ibidem venissem: multum rogatus fui, ut istam Sororem mecum in Saxoniam assumerem, & de aliquo loco in Monasterio aliquo vel Congregatione ei providerem, valde bonum de ea dantes testimonium, tam Prior quam Procurator & laici. Tandem acquievi eis, & in currum sphaericum eam mecum levavi, in quo socius meus fuit *Frater Henricus Backer*, Conventualis in *Monte S. Agnetis prope Zwollis*. Cumque in *Schüttorp* ad Sorores pervenissem, illae flexis genibus pro ea rogaverunt, bonum etiam de ea dantes testimonium. Perduxi eam ulterius in *Hervordiam* ad sedecim milliaria de *Northorn* in curru nostro, ubi ego cum fratre meo hospitio receptus fui in domo Congregationis Clericorum, & ipsam duxi ad Sorores ibidem in propinquo. Mane cum ad eam reversus fuisset, dixit mihi: Cum talibus Sororibus, ut ipsae sunt, ego habitavi. Si me habere vellent, cum ipsis libenter remanerem; quia nesciret, an cum Monialibus, ubi eam habere volebam, sibi etiam conveniret. Quod audiens, institi apud Matrem & quasdam ibidem Sorores pro loco illo. Quae pro primo consensum mihi dederunt ad eam probandam; unde ipsa plurimum gavisa, mihi & sororibus illis multum regratiabatur. Sciebam vero, quod propter humilitatem, simplicitatem & probitatem ejus eam bene perpetuo retinerent; quod & factum est. Nam per plures annos ibi, in bona pace, & conscientia pura, Deo deservit, ibidem perpetua.

Finis Libri secundi.

LIBER III.

De

Quibusdam notabilibus factis in istis reformationibus, & de male predicantibus sed revocatis; de fratribus tentatis; de magnis terrarum Principibus, & aliis quibusdam annexis.

CAPITULUM I.

Rememoratio Beneficiorum Dei, cuidam (*) Patri concessorum, cum digna gratiarum actione; & in fine introductio congrua subsequens.

Misericordias Domini iterum atque iterum in æternum cantabo, non solum pro eo, quod animam meam de nihilo ad imaginem & similitudinem suam creavit, & corpus meum in utero matris meae animam conglutinatam in hominem formavit, & in hanc lucem nobis visibilem produxit; sed &, quod multis donis, naturalibus & gratuitis, animam meam & corpus meum decoravit; gratiam bonae voluntatis Deo serviendi mihi prorogavit, & in eadem bona voluntate ac statu religioso, a principio mihi datis, usque ad annos jam meos septuaginta duos, cum hæc scribo, conservavit; vires corporis, usum rationis bonum, sensuum interiorum & exteriorum vivacitatem, sacrarum scripturarum competentem intelligentiam, & cuncta ad animae meae salutem spectantia, clementissima sua bonitate mihi condonavit, & usque in praesens me custodivit; diversas insuper occasiones plurima promerendi per omnes dies vitae meae mihi subministravit, & ab æterno praedispovit; & in adversis, quae mihi

(*) Intelligitur ipse Johannes Buschius. Nota: Hic liber tertius, paucis quibusdam exceptis, ut & integer liber quartus, desumpti sunt ex Manuscripto Sultensi, quod sero tandem ad nos pervenit.

mihī ab hominibus, à tentatore inimico, & à me ipso in corpore & anima frequentius acciderunt fidelissime mihī astitit, & in omnibus me interius ex exterius, aut per seipsum per internam inspirationem, aut per homines per exteriorem consolationem, efficaciter & sensibiliter confortavit; & in prosperis, hoc est, in his, quæ mihī ad vota successerunt, ab ineunte ætate fidelissime semper mihī astitit, & ad multa bona, aliquando, ut videbatur mihī, impossibilia, sæpissime provexit. A puero enim ad scholas, à schola ad religionem, ad sacerdotium; à sacerdotio ad Prælaturas, in prælaturis ad multorum Monasteriorum utriusque sexus reformationem, non meis meritis, sed sua omnipotentissima bonitate, me promovit, & per tanta annorum spatia in id ipsum, in corpore & in anima sanum & incolumem, utcumque conservavit, ita, ut merito proclamem: Misericordias Domini in æternum cantabo. Cum insuper juxta Salomonis, viri sapientissimi, sententiam, *verbum Regis celare bonum est, verbum autem Domini manifestare honorificum*: & juxta legislatorem in Pentateucho: *Juxta est verbum in ore tuo & in corde tuo*; quod, secundum Doctoris gentium interpretationem, verbum fidei est: si quis in fide Dei credens omnia Deo fore possibile, Deum vivum & verum pro quacunque re, sibi vel aliis utili seu necessaria, bona fide rogaverit, & fidem firmam, se à Deo exaudire, habuerit, salutarem utique & realem petitionis suæ indubiè consequetur effectum: quoniam id in antiquo & Novo Testamento exemplis patrum præcedentium frequenter legimus adimpletum. Quapropter ea, quæ nostris temporibus per Dei voluntatem ad petitionem suorum facta cognovimus, non abs re existimamus, saltem aliqua ex his, ad honorem Dei & proximi ædificationem, in venerabilis quoque Capituli nostri Generalis promotionem, in lucem proferre.

CAPITULUM II.

De Patre, qui petiit à Deo, quod accepit.

CUM in oppido Hallensi Magdeburgensis Diœcesis partium Saxonix gravissima regnaret pestilentia, Pater quidam Ordinis Canonorum regularium, in Novo Opere Hallis Præpositus, in Windesem Conventualis, recordatus fuit, quod Pater quidam in Windesem Deum exoravit, quod in diebus suis nemo ibidem in pestilentia moreretur de Fratribus inhabitantibus; quoniam charitatem fraternam, quam suo tempore ibidem antonomastice servabant, in tali pestilentia sibi mutuo non poterant exhibere: Dominus autem petitionem & desiderium præfati Prioris adimplevit, ita, quod nemo de fratribus & familiaribus de pestilentia in Windesem in diebus suis mortuus est. Dixit ergo Pater iste Præpositus in corde suo: Non sum degener filius Monasterii in Windesem, sed legitimus. Rogabo ergo Dominum in simili causa: credo, quod me exaudiet. Habebat autem iste Præpositus pro laudabili consuetudine, quod, post matutinas de choro in cellam reversus, toto corpore super mattam ante lectum suum se prostravit, & maternâ lingua seu Latina pro quacunque sua & aliorum necessitate Deum exoravit. Ubi tunc advota communiter responsa ab eo suscepit, cum exaudire debuerat, & audivit, sicut auditur in corde: Fiat, ut petitur. Interdum tamen cælum videbatur aneum, & terra ferrea præ cordis sui insensibilitate & duritia, ita, quod se ipsum vix audiret loquentem. Quando ita se sensit induratum, tunc cœpit cogitare, an in verbo, facto aut cogitatu Deum in aliquo die præcedenti offendisset; & cum aliquid tale in se deprehendit, dixit ad Dominum: Est culpa mea; ego libenter me volo emendare, & si aliquid illorum esset confitendum, plene proposui confiteri. Tunc respondit ei Deus: Dicatis jam, quod desideratis. Quadam igitur nocte, super mattam suam ante lectum suum toto corpore prostratus, ex corde Deum rogavit, sicut à Priore suo factum audierat, quatenus nemo in Monasterio suo Novi Operis de fratribus & familiaribus in pestilentia illa, qua Hallis & circum circa grassabatur, illo anno moreretur. Et audivit Deum sibi loquentem, ut consuevit: Fiat, ut petitur. Qui responsum sibi factum non dubitavit adimplendum. Post hæc in eadem oratione cœpit cogitare, quod haberet unum fratrem *Georgium* nomine, Flamingum, Diaconum aut Subdiaconum, qui propter capitis debilitatem & sensuum suorum mobilitatem ad verum religionis fundamentum & ad Deum dare se non poterat, quia naturæ propriæ interdum nimium condescendebat. Dixit ergo ad Dominum Deum suum: Domine, si fratrem istum *Georgium* aliter ex hoc mundo tollere tibi non placet, consentio, & est voluntas mea, ut per pestilentiam istam ipsum hinc sustollas. Qui iterum ipsi respondit: Fiat, ut petitur. Et quia nocte illa Dei voluntatem de pestilentia in Novo Opere non grassatura, & de morte fratris illius intellexit, post duos aut tres dies, quando Capitulum culparum cum fratribus tenuit, dixit fratri illi, culpis suis dictis super mattam Capituli: Charissime frater, rogavi Deum, ut nemo in hac pestilentia hinc in Novo Opere moriatur, & mihi consentit; sed si vos per hanc pestem vult hinc tollere, dedi sibi consensum. Præparetis ergo vos bene ad mortem, ut mihi videtur, melior, quam estis, fieri hinc non potestis. Qui eodem die, aut tunc in crastino epidimia comprehensus, bene contritus & confessus, ante illius hebdomadæ finem mortem libenter suscepit, & ad meliora cœli palatia evo-

tia evolavit. Si diu supervixisset, credo, quod in tam bono statu vix vitam finisset. Contigit autem in brevi post hæc, ut in Novo Opere Hallis Laicus familiaris, Ecclesiæ custos in eandem incideret pestilentiam. Tunc fratres quidam dixerunt; Præpositus noster non bene intellexit verba de hac pestilentia sibi dicta. Qui iterum, ut consuevit, post matutinas ante lectum suum super mattam se prosternens, Dominum Deum exoravit, ut eundem mendacem non faceret; quia ex ore Dei dixerat, neminem in Novo Opere hoc anno in pestilentia moriturum præter fratrem *Georgium* præfatum. Qui integrum illi fidem servavit; quia laicus ille cito convaluit, & multis postmodum annis vixit. Non enim rogaverat, ut nullus ibi infirmaretur, sed ut nullus ibidem moreretur: & ita factum est.

CAPITULUM III.

PRior quidam Ordinis nostri quadam vice venit in *Hamersleve* cum Domina Priorissa & duabus Sororibus de *Stederborch* prope Brunswick, in curru suo lecto ad civitatem Magdeburgensem perrecturus, & invenit ibi Priorem jacentem in grabato, multis vestibus cooperatum. Cui dixit: Quare sicut vacca jacetis in lecto, & non surgitis? Qui respondit. Habeo febres, & statim venient super me. Ideo sic jaceo, ut calidum me inveniant, ne infrigidatus nimios patiar cruciatus. Tunc Zelo Dei, & Patris illius sibi dilecti amore constrictus & accensus, ait: Præcipio vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ut non admittatis istas febres; & præcipio istis febribus, ut ad vos non accedant. Vultis etiam obedire? Respondit: Libenter. Tunc dixit: surgatis ergo, & sitis sanus. Qui de lecto, vestibus depositis, sanus surrexit, & statim cum eo accessit foras Monasterium ad illam Priorissam, confortans eam. Prior iste Pater *Everhardus de Lochte* fuit, qui ante cum eo in Novo Opere Hallis habitaverat; qui magis illi Patri quam sibi ipsi credidit. Fides ergo sua saluum eum fecit, & in Patrem illum bona confidentia. Post aliquod tempus hic Pater *Everhardus* cibos comederat, unde febres solent generari, de quibus iterum cœpit febricitare. Venit ex casu postmodum cum Priore de *Richenberg* *Joanne Clovekorn* Prior præfatus in *Hamersleven*, Priorem ibidem in lecto jacentem inventientes. Tunc iratus Prior de *Richenberg*, quod Prior iste in prima ejus sanatione non dixerat, quod febres nunquam ad eum redire deberent. Qui hoc tunc non animadvertit, sed dixit, sicut in mentem sibi venerat dicendum. Tunc ait Prior de *Richenberg* ad eum: Pater, siquid potes, adjuva nos. Hoc audiens Pater, conticuit. Volebat autem adhuc semel dixisse, ut surgeret, & esset sanus; ita cogitaverat. Sed audiens verba Prioris de *Richenberg*: Si quid potes, adjuva nos; verba, quæ cogitaverat, secundo dicere pertimuit, ne non ejus salutem, sed potius vanitatem resonare videretur. Nihil ergo super hoc amplius respondit, sed eum, sicut erat permisit. Cautum ergo est, post acceptam sanitatem à cibus abstinere pristinam infirmitatem causantibus, ne Deum tentare videamur.

CAPITULUM IV.

De Moniali à febribus liberata.

DE Saxonia Prior in *Windesem* Conventualis, generali celebrato Capitulo ad Saxoniam rediturus, primo accessit ad *Bronopiam*, Monasterium Ordinis sui prope *Campis* oppidum, Diœcesis *Trajectensis*; ubi sanctimonialis quædam internis febrilibus caloribus diutius fatigata, sanari non poterat, quamvis remedia plurima adhibuerat. Rogavit ergo Priorem istum de Saxonia, ut benedictionem sibi daret, quia per illam se crederet perfecte sanari. Cui respondit: Quid hoc est dicere? per murum non valeo dare benedictionem vosjuvantem: & ita ab ea recessit. Cum autem inde erat recessurus, quoddam ostium clausum pertransiturus; ipsa ostium aperuit, & ad genua procidens, dixit: jube, Domine, benedicere. Tunc nesciens, quid diceret, subito respondit: *Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super te, & in anima, & in corpore sanet te ab omni infirmitate. Amen.* Et ita ab ea tunc recessit, pergens ad Saxoniam. Cum autem alio tempore de Saxonia in *Windesem* & *Bronopiam* fuerat reversus, eadem Monialis, & aliæ cum ea, eidem dixerunt Priori, quod statim post illam benedictionem integre se sensit sanatam. Fides ergo, quam ad benedictionem Patris illius habuit, salvam eam fecit.

CAPITULUM V.

De febricitante Priore.

Contigit eundem Priorem versus *Magdeburg* ad *Hallis* iter agere per Monasterium in *Huysborch* Ordinis S. Benedicti, in quo à Domino Abbate *Theodorico* charitative susceptus fuit,

fuit, & humane pertractatus. Qui dixit ei: Vultis visitare Dominum Priorem nostrum infirmum, cordialem amicum vestrum? Dixit: libenter. Cum ergo venisset ad eum in infirmitorium, Dominus Abbas sequebatur eum, cumque pariter sedendo loquerentur, tandem dixit Abbas: Domine Prior *Dirice*, surgatis, & petatis à Patre isto benedictionem. Qui surgens, continuo dixit ad Priorem: Domine, jube benedicere, more Ordinis sui. Cui Prior respondit: Creditis, quod per benedictionem nostram sanari potestis ab hac vestra infirmitate? Respondit: Non. Cui respondit Prior: Tunc maneat, sicut estis. Et quia hoc non credidit, Prior ille benedictionem ei dare noluit; cum tamen Prior fidem bonam ad hoc habuit, quod per ejus benedictionem sanatus tunc fuisset. Sed quia subjectum non habuit, in quod ageret, benedictionem intermisit. Præfatus Prior quibusdam inunctis, & nihil nisi mortem in proximo eis imminetent præsentibus, ita quod vix verba formare poterant: eis, visitando, prædixit, quod illa vice mori non deberent. Quod & ita factum est, quia plures post hoc annos vixerunt. Hoc in Priore in *Mariemelde* Ordinis Cisterciensis in Westphalia, & in laico in *Hammersleben*, & in aliis factum cognovimus, & coram multis testibus audivimus.

De his, qui ad Monasteriorum reformationem cooperari noluerunt, cum bene potuissent, sed variis modis se excusaverunt; qualem finem habuerunt.

CAPITULUM VI.

De Priorissa AD SORORES Hildesii; quia sorores pro reformatione concedere noluit, ideo defuncta.

Monasterium *Albarum Dominarum in Erfordia* cum nondum in plena esset reformatione, Consulatus Erfordensis scripsit Domino *Erneso* Hildensemensi Episcopo, Domino Præposito & Decano Ecclesie Hildensemensis, & mihi in Sulta Priori, ut, sicut ad *Novum Opus Erfordie* Monialibus Ordinis nostri, duas adduxi Moniales, & unam Conversam de *Heiningen* Monasterio Ordinis nostri Diocesis Hildensemensis mihi commisso; ita etiam duas vel tres Moniales *Albarum Dominarum* de Hildesem, quarum ego etiam Pater sum & Confessor, ipsis adducerem seu transmitterem, ut in regulari observantia, & in scientiis Grammaticalibus eas informarent, & Ordinem suum perfectius docerent observare; quia in *Siederborch*, in *Heiningen*, & in *Frankenberg* Monasteriis Monialium similiter fecissent. Acceptis ergo literis ad Episcopum & ad Præpositum & ad Decanum, mihi que per Consulatam Erfordensem transmissis; accessit ad Dominam *Gertrudem ab Harlesem*, ad Sorores Priorissam in Hildesem ejusdem Ordinis, instanter petens, quatenus duas vel tres Moniales, reformationis Zelum habentes, bene doctas, mihi concedere velit, in Erfordiam juxta Consulatam desiderium transmittendas. Quæ diu multumque deliberans, finaliter respondit: Ego ad tam remotas à nobis patrias sorores meas mittere non consentio. Cumque eam frequentius, ut mihi consentiret, exorasse, ipsaque excusationis verba semper respondisset, tandem intuli: Charissima Domina, si mihi in præmissis consentire nolueritis, tunc hoc anno moriemini. Respondit: Scio, quod mori me oportet. Utrum per annum prius, aut per annum posterius, non est magna res. Et sic suas allegans rationes, assensum non præbuit. Demum post mensem vel duos graviter cæpit infirmari, & ad extrema pervenire; quæ misit ad me, dicens: Non acciperem mille florenos, quod jam domi non essetis, quia, ut video, oportet jam me mori. Cui respondi: Domina, quo vultis ire? ad cælum vel infernum, sive ad purgatorium? Respondit: Vos scitis, quo libenter pergerem. Cui dixi: Quid dicit conscientia vestra? quid meruistis? Respondit: Scrupulum habeo conscientie, quod Sororibus meis plus consensu ad loquendum circa fenestram sine licentia, quam debui, & ad quædam alia, quæ sunt contra nostra statuta. Cui dixi: Cum talibus & cæteris peccatis mori nolite, quæ vestram gravant conscientiam, quia Deus major vobis est: nullum peccatum dimittit inultum. Convocetis statim omnes Sorores, & ipsis coram nobis omnia dicatis, in quibus eis condescendendo conscientia vestra gravatur, rogantes eas, ut id dimittant; & ut ego, & Suppriorissa eas ad hoc faciendum compellamus, ne per amplius fiat. Quod & statim fecit, adhuc me præsentem; quia id supra suam conscientiam jam amplius noluit assumere. Sororibus recedentibus, in confessione eam expediui, & absolutionem recepta, in lectum se iterum reposuit. Cumque ad mortem appropinquaret, misit ad me Monialem, cognatam suam, dicens: Domina nostra jam dicit, si utique sorores pro reformatione in Erfordia & pro doctrina adhuc habere vultis, ipsa libenter jam vobis vult consentire. Cui respondi: Tardè est: exhalare jam vult Spiritum suum, & hinc transire. Quis

Zzzzz;

id tam

id tam subito potest immutare? Oportet jam, ut viam ingrediatur universæ terræ, ante oculos summi Dei præsentanda, secundum proprium laborem & animæ suæ ferventem calorem mercedem receptura.

CAPITULUM VII.

De duobus Abbatibus, propter inobedientiam defunctis.

Dominus *Joannes Eiken*, Abbas ad S. Michaellem Ordinis S. Benedicti in Hildenssem, vir magnæ autoritatis, gratiæ & eloquentiæ, à Priore in Sulda *Joanne* instantè pluries rogatus, ut cum eo ad Priorissam & Conventum Monialium in Hildenssem, *Ordinis Beate Mariæ Magdalena de penitentia* accederet, ad præsentandum eis litteras Consulatus Erfordensis, Episcopo, Præposito, Decano Ecclesiæ Hildenssemensis & sibi scriptas; &, ut juvaret se, rogare Priorissam & Conventum, quatenus Moniales sibi concederent pro reformatione Monasterii Monialium Ordinis sui in Erfordia. Qui toties quoties ab eo rogatus, renuit, dicens: forsitan emittere vellent sorores, quas parentes earum, & amici seu cognati, libentius retinerent. Ego contra eorum voluntatem nolo eas impetrare. Cui respondi: Ergo plus timetis homines, quam Deum? Videbitis, quod Deus plagabit vos. Post dies octo ipse calcavit in clavum ferreum, & pedem perforavit, sic, quod cum difficultate incescit. Deinde in magnam incidit infirmitatem, quod os suum non potuit aperire, nisi valde parum, ita, quod vix digitum ori potuit imponere; nec ad loquendum, nec ad comedendum sufficiebat, sed forbitiunculas quasdam, pro naturæ sustentatione, aliquando infumebat. Tunc recordatus verbi Prioris in Sulda, dixit famulæ majori curiæ suæ: Ego offendi Priorem de Sulda: oportet me mori. Cui illa: Ego vadam, & rogabo eum, ut id vobis ignoscat. Respondit: Hoc non faciatis, quia sic oportet fieri. Quibusdam aliis hoc idem dixit. Cum ergo, Priorissâ ad Sorores in Hildenssem mortuâ, pulsaretur cum omnibus Monasterii sui campanis, hoc audiens, quia Monasterium earum non multum à suo distat Monasterio, dixit astantibus: Jam oportet eam me sequi. Qui tertia die post ejus mortem ad extrema pervenit, & in Domino obdormivit. Speramus, siquid Priori in Sulda consensum negando peccavit, in provisa morte pœnitendo delevit. Ecce, quam malum est, sanctam reformationem & animarum salutem non promovere, ubi quis potest, & per hoc eam impedire. Simile accedit Abbati *de Tinna* Ordinis Cisterciensis, qui eum voluit impedire in reformatione Monasterii Monialium Ordinis sui, domui suæ incorporati & Ordini. Qui primum scriptis inde eum avertere voluit, ne illud reformaret, dicens: potestatem ad hoc eum non habere, nisi esset sui Ordinis. Demum cum Dominus Cardinalis *Nicolaus de Cusa* omnes Prælatos provinciæ Magdeburgensis ad provinciale convocasset Concilium in civitatem Magdeburgensem: ipse Abbas *de Tinna*, Abbas *de Marienrode Henricus*, & ipse in *Novo Opere Præpositus* pariter convenimus. Ubi Dominus Abbas *de Marienrode* & ego diximus sibi, rogantes, ut in earum nobis consentiret reformationem. Qui licet multum ab illis rogatus, consentire illis noluit. Tandem Præpositus dixit: Domine Abba, consentire nobis jam non vultis. Dominus Deus hoc in vobis impunitum non dimittet. Et ita ab invicem tunc discessimus. Ipse Abbas *de Tinna*, antequam exivit de civitate Magdeburgensi, in gravem incidit infirmitatem; & antequam ad proprium pervenit Monasterium, mortuus fuit, & ita eos amplius Monasterium illud reformare non impedivit. Accidit quoque simile in *Heiningen*, unde duas Moniales & unam conversam assumens, perduxit in Erfordiam ad Moniales ibidem nostri Ordinis; quæ plurimum apud me instabant omnes, quatenus adhuc unam Monialem juvenem, bene doctam, eis concederem. Institi ergo ibi in *Heiningen* apud Priorissam *Albeidem de Bortfeld*, & *Beatam Weiernsem*, (sic enim vocabatur Monialis illa) mihi concederet ad tempus, pro instructione puellarum in Erfordia; quæ frequentius per me rogata, id facere recusavit. Cui respondi: Domina, jam non vultis nobis eam concedere. Dominus Deus per mortem tollet eam à vobis in brevi. Quod ita paulo post vidimus factum, per pestilentiam ibi regnantem.

CAPITULUM VIII.

De Episcopo salvato.

Episcopus Hildesimensis, *Gerbardus de Monte* dictus, in parte occidentali Civitatis Hildesimensis solennem fundavit & dotavit *Caribussiam*; Ecclesiam, Monasterium, & domos eis necessarias ædificando, prout hodie datur cernere. Hic etiam reformavit Monasterium *Ordinis Cisterciensis*, à primaria sui institutione tunc prolapsum, *Marienrode* nuncupatum, ad dimidium pene milliare à civitate distans Hildenssemensi, in eadem parte occidentali. Defunctus

functus autem idem Gerhardus Episcopus, sepultus est in choro & in sanctuario Carthusiensis Ecclesie. Qui per visum cuidam Carthusiensi apparuit, dicens, se esse in gratia non damnatum, sed salvatum. Tunc frater ille ait: Unde estis salvatus? Propter Monasterii nostri Carthusiensis de novo constructionem? Respondit: Non, sed propter Monasterii Ordinis Cisterciensis sanctam reformationem in Marienrode. Visio ista multos Prælatos Diocesis Hildensemensis, & in aliis locis quam plurimis, ad reformationem promovendam provocavit & animavit.

CAPITULUM IX.

De Præposito salvato.

Præpositus Ecclesie Hildensemensis Dominus *Eghardus Hamenze* per visionem hanc præfata tam valde fuit accensus ad multa Monasteria diversorum Ordinum cujuscunque sexus reformanda, videlicet ad *S. Michaelem* Ordinis Sancti Benedicti, ad *Sultana* Ordinis Canoniorum regularium, ad *Moniales* in Hildesem Ordinis Beatæ Mariæ Magdalensæ de pœnitentia, in *Richenberg*, in *Derneborch*, in *Heiningen* Moniales. Quicunque etiam reformati ipsum invocaverunt, fidelissime assistebat illis sano suo consilio & auxilio, etiam cum propriis expensis, cum ita res exegit. Potens enim & valde auditus erat in tota Saxonia coram Principibus terræ & cunctis Ecclesiarum Prælatibus. Cui aliquando dixi: Potestis in statu vestro, sicut nunc vivitis, etiam salvari? & vivere sine peccato mortali? Respondit mihi in domo sua: Salvari non diffido, sed sine peccato mortali vivere quomodo possum? Si enim terram nostram Diocesis Hildensemensem defendere debeo, tunc oportet, quod dicam aliquibus: Incendatis illam & illam villam Domini illius aut illius, qui tamen villici nunquam aliquando mihi nec nostræ Diocesi aliquid mali fecerunt. Scio, quod id sine peccato mortali facere non possum. Sed patriam & Diocesis nostram aliter non possum defendere nisi per talionem; ut sicut nobis & nostris fecerunt, sic faciamus eis similiter. Cui respondi: Si sine peccato mortali vivere non potestis, tunc non estis in statu gratiæ, sed in statu æternæ damnationis. Respondit: Si Dominus Deus noster in fine vitæ meæ mihi misertus non fuerit, tunc timeo, quod male habebō: spero tamen salvari propter verum & ferventem Zelum, quem ad sanctam habeo reformationem in quibuscunque Monasteriis cujuscunque Ordinis perficiendam: quoniam, ubicunque potuero reformationem promovere, non desisto, etiam cum temporalium rerum mearum dispendio qualicunque; quemadmodum Dominum *Gerhardum de Monte* Episcopum Hildensemensem audivi fuisse salvatum. Ante diem tertium mortis suæ fui cum eo in commodo suo, ubi ad ignem sedebat, calefaciens se, & ego secum, dicens mihi: Quando religiosi quicunque viri reformati aliquid à me desiderant, ut ad Dominum Hildensemensem, aut ad ejus Capitulum, seu alibi apud Principes terræ eos habeam promotos, hoc facio, non faciens mihi inde dubitationem; & si alter aliquis vir reformatus à me petit contrarium, hoc etiam facio, nesciens, quis eorum sanius sapiat, quatenus ipsi inter se de eadem re inveniant & discutiant, quis eorum justiore rationem producat. In crastino autem Sancti Andreae Apostoli, mihi, ad missam celebrandam stanti ante altare, per unum de fratribus meis in Sulta nunciatus fuit mortuus. Quod primum non credidi, quia in tam brevi sibi, tunc sano, fui locutus. Statim post eum venit alter ad me frater, dicens: Verè mortuus est. Tunc missam legi pro defunctis, pro requie & pace animæ suæ, qui de Spiritu Sancto legere cogitaveram. Habebam autem in consuetudine sicut & hodie, quando Jesum in missa per pedes (*) tenui, tunc leviter eum non dimisi, nisi ad vota mihi responderit, quod fiet, sicut eum rogavi, & vocem ejus audivi, sicut auditur in corde. In missa illa nihil mihi de ejus salute respondit. In crastinum tunc duxi filiam *Ducis Wilhelmi Brunsvicensis*, quæ per septem annos ab ordine Cisterciensi apostataverat, in curru ad Monasterium Monialium in *Derneborch*; ubi tunc missam audivi, etiam pro ejus anima exorans: nec ibi mihi respondit. Rediens inde, sedens in curru, legi Psalterium pro animæ suæ salute; cumque ad medium Psalterii in nocturnum die feria quinta pervenissem, statim oculi mei interiores aperti fuerunt, & intellexi intus in anima mea, per lumen mihi ibidem intus coruscans, quod non esset damnatus, sed esset in gratia, & de numero salvandorum. Et cogitavi intra me, unde id scire possem, esse verum. Et audivi, sicut auditur in corde, quod hoc ita verum esse, ad Sancta Dei Evangelia verè possem jurare, & hoc ita verum esse, sicut verum fuit, quod in curru tunc sedi, & sicut quæcunque alia vera. Et valde miratus fui in me ipso, quoniam vocem corporalem exterius non audivi, sed sine strepitu & sono verborum ista sic intellexi, & ita vera esse, sicut quæcunque probari possunt esse vera. Cæpi ulterius cogitare, quod talis fuisset modus, quando Spiritus Sanctus locutus fuit Apostolis, quid facturi erant. Sicut Spiritus Sanctus

(*) Sacram hostiam consecravi eamque elevavi.

Sanctus dixit Philippo Evangelistæ: *Adjunge te ad currum istum eunuchi; & Petro Apostolo: Ecce, tres viri stant ad ostium, quærentes te.* Super quo Beatus Gregorius 28. Moralium: Spiritum Sanctum quasi quædam verba nobis dicere est occulta vi ea, quæ agenda sunt, intinere, & cor hominis ignarum, non adhibito strepitu & tarditate sermonis, peritum repente de absconditis reddere. Unde Dei locutio videtur magis, quam auditur. Cum enim per semetipsum Dominus loquitur, sola vis nobis internæ inspirationis aperitur, & de verbo ejus sine verbis & syllabis cor docetur: quia virtus ejus in intima quadam sublevatione cognoscitur. Hæc Gregorius. Nunquam mihi simile accidit, sic clarè voluntatem Dei me cognoscere, nisi in missa seu post orationem singularem, cum pro aliqua re Dominum exoravi; cum responderi mihi consuevit: *fiat ut petitur, aut, hoc ita erit, aut, non erit.* Cum ergo de præmissis ita fueram certificatus, tunc legi ulterius Psalterium, quod pro medietate finieram, & Dominum istum Præpositum salvatum dixi & tenui. Quod autem celebrando aut missam audiendo à Deo pro eo non fui prius exauditus, cogitavi, id evenisse, sicut sæpe factum legimus, quia Divina sententia contra eum statim lata non fuit, sed suspensa; quoniam propter multa, quæ fecit, damnari meruisset, sed per orationes religiosorum utriusque sexus, quos ad reformandum se promovit & compulit, sententia contra eum ferenda fuit suspensa, ut non contra eum, sed pro eo finaliter sententia meritò posset proferri; & tunc pro ejus salvatione fuit prolata, quando præmissa mihi fuerunt revelata. Videmus ergo, quam salubre sit & bonum pro sancta reformatione & animarum salute laborare.

CAPITULUM X.

De Priorissa, quæ per annum jacuit infirma.

PRiorissa ad Sorores Hildesii, Domina *Hildegundis*, soror Præpositi prænominati, reformationem Monasterii sui prima assumserat ante annos XXX, honestamque & religiosam vitam, coram Deo & hominibus immaculatam, semper custodivit, & Monasterium suum in omni sanctitate & castitate, religiosaque conversatione cunctis diebus reformationis ejus exactè conservavit, ita, ut à memoria hominum non sit auditum, aliquam de Monialibus suis castitatem amisisse, ut in pluribus aliis frequenter auditum est Monialium Monasteriis. Domina ista *Hildegundis* Priorissa senio confecta, officium Priorissæ resignavit, & egit, ut Supriorissa ejus *Gertrudis de Harlesem* in locum ejus eligeretur, quatenus in bona cordis & corporis quiete ad vitam æternam se præpararet. Hæc ante mortem per annum lecto decubuit infirma, ad quam in principio infirmitatis suæ accessit, dicens: Domina mea charissima, rogavi Dominum Deum, ut per unum annum sic in lecto jacere, & hic purgatorium vestrum sustinere vobis concedat, & tunc in gaudium Domini cum jucunditate introire. Quæ primo bene fuit contenta, & profunditatem sermonis nostri non consideravit. Post annum dimidium & ultra plurimum cœpit attædiari, quod sic in lecto semper jacere deberet, & male de me fuit contenta, quod à Domino id sibi impetraveram. Vocavit ergo me, & in lecto jacens dixit mihi: Pater, non possum ita diutius jacere. Rogetis Dominum, ut possim mori, & de hac vita migrare: si ad superiorem locum in cælo pervenire non potero, ut tunc veniam ad inferiorem, vel saltem retrò januam, quia hic diutius jacere non volo. Cui respondi: Domina mea charissima, sitis in bona pace, quia hæc est vera dilectio, quam ad vos habet Deus, quod permittit hic vos aliquid sustinere. Et tale xenium nemini dat, nisi charis suis amicis & bonis, quos in æternum in cælo secum vult regnare. Et allegavi ei plura exempla ad id deservientia. Et ita ad bonam patientiam & animi sui tranquillitatem eam reduxi. Post aliquod tempus iterum doloribus & cruciatibus fatigata, dixit suis Sororibus: Male de Priore nostro in Sulda sum contenta, quia in istis corporis & cordis doloribus meis contra meam voluntatem hic tam diu me retinet. Misit ergo iterum pro me, volens me multum increpare, quod & incepit: ego autem dulcibus & consolatoriis verbis iterum ad bonam pacem eam perduxit. Ita feci sæpius, cum in ea anxietur spiritus ejus. In fine autem anni disposuit se ad mortem, & vocans me, multum regratiabatur mihi, quod per orationes meas tam diu in lecto jacuisset, dicens: jam mori sum parata, & ad cælum me ituram de omnipotentis Dei confido misericordia. Ipsa tunc agonizante, fui cum fratre ejus, Præposito *Egardo de Hanensee*, cui & dixi: Vos mille florenos dare possētis, ut, sicut soror vestra, quæ jam hac hora moritur, mori possētis. Qui mihi in hoc ipsum consentit, sciens, eam multum Zelosam semper fuisse pro regulari disciplina in se & suis sororibus. Cumque ipsa morti appropinquaret, dixit sorori *Mettike Vogedes*, sibi astanti: Quid volunt isti, qui albis induti ad nos huc venerunt. Et non multo post exspiravit. Nos credimus, illos in albis ad se venientes, aut angelos sanctos fuisse, aut spiritus & animas sororum suarum, quæ ad cælos eam præcesserant, & jam in cælo cum Christo regnabant. Præmissam visionem soror *Mettike Vogedes*, ibidem tunc Supriorissa, mihi enarravit.

CAPITULUM XI.

De Sorore defuncta & salvata.

Suppriorissa in eodem Monasterio Hildesii ad Sorores, nomine *Gisele van Steinberg* militaris, non multum senex sed devota & gratiosa, cum pestilentia ibidem regnaret, eandem pestem acquisivit. Vocatus ergo ad eam, quia pater earum eram, ut eam in confessione expedirem, cum primùm infirmari cœpisset, mihi fuit confessa; sed, ut illa infirmitate comprehensis moris est, propter dolorum gravedinem & mentis obscuritatem, non tam clarè & apertè omnia fuerat confessa. Post aliquot dies iterum ad eam vocatus, sed solus circa eam in infirmatorio circa lectum suum, dicens: Unde tamen tam graviter estis infirma, cum nihil vobis obesse videatur? Quæ peplum de scapula sua elevans, ostendit mihi griseum ulcus (eine grieße blader) super scapulam suam, ad modum nucis parvam, inde se dicens male habere, & mortem non posse evadere. Cui dixi: Mirum est, si tam parva res vos potest ita vexare. Venenum pestilentielle ibi erat in unum congregatum super scapulam ejus dextram. Ideo vestes & tactus ibidem sustinere non potuit, sed simplici peplo illud contexit. Confessione igitur ejus secundâ peractâ, in qua omnia peccata sua lucidè declaravit, dixit mihi: Pater, quid sentitis de me? pervenire potero etiam in cœlum? Cui juxta conscientiam meam & sanctum Evangelium respondi: Charissima Soror, ego promitto vobis regnum cœlorum. Sitis ergo in bona pace; & cum ibi perveneritis, orate etiam pro me. Ista ab ea tunc recessi, sciens, eam virginem castam & sanctam. Sequenti autem nocte disposuit se ad mortem. Quæ mori incipiens, dixit suis sororibus: Statim, cum exspiravero, mittatis ad Patrem nostrum, ut servet mihi, quod promisit. Et ita tunc in mane spiritum emisit. Ego autem in lecto jacens ante primas, somnium tunc habui, quasi confiterer alicui, & dixi: Nunc sum confessus; quis me absolvet? Tandem evigilavi, ad primas suscitatus. Cumque audissem, eam mortuam, de somno meo cœpi cogitare; quia forte ipsa Dominum Deum pro me rogavit, & aliquid haberem, quod non satis fuisset confessus. Et ita omnes angulos conscientia meæ perscrutans, per confessionem integram me purgavi. Post dies aliquot dicta *Gisele* defuncta, apparuit uni sorori in cella sua. Interrogata ab ea, quomodo secum esset? An esset salvata? Respondit: Ita. Et ait: Servavit vobis Pater noster, quæ vobis promisit? Ita, per omnia, quia jam cum Deo sum. Cui ait: Vos tam jucundè & lætanter mori videbamini: non vidistis ante mortem diabolum? Respondit: vidi eum, sed Beata Virgo Maria prævenit eum ad me, ideo ipsum non timui. Cui dixit: Ubi erat diabolus? Super graminibus, super quæ sorores stabant. Et tunc disparuit. Alia etiam vice præfata soror defuncta, eidem sorori apparuit. Interrogata iterum, quomodo haberet? Respondit: Bene per omnia. Et iterum: Servavit vobis Pater noster, quæ vobis promiserat? Respondit: Imo; quia video, quod concupivi, Dominum meum Jesum in gloria. Tunc ait: Quid Pater noster habebit in præmio? Respondit: Vitam & gloriam sempiternam cum Deo & omnibus suis Sanctis, cum de mundo exierit, & ad nos pervenerit.

CAPITULUM XII.

Quomodo Moniales proprietariæ sint, etiam si in commune pecuniam reponant?

Monasterium Monialium Ordinis Cisterciensis ad Sanctum Joannem in civitate Lubecensi cum aliquando visitarem, interrogavi Dominam Abbatissam, an Moniales suæ propria seu proprietatem haberent? Quæ respondit: Nullam; omnes enim sorores suæ, redditus annuales & proventus suos sibi semper præsentare consueverunt, & eos in cista magna ad hoc deputata, bene clausa, in ejus præsentia jussit imponi, & in singularum scriniis eos reservari. Cum autem singulæ sorores aliquid emere aut exponere volebant de rebus sibi necessariis, tunc Abbatissa, quæ sola ad eam clavem habuit, cistam eis aperuit, & singulæ de suis capsulis & repositoriis accipiebant, quantum volebant, reliqua ibidem reponentes in suis propriis scriniis; donec iterum inde aliquid pro sua necessitate recipere volebant; existimantes, quoniam Abbatissa, & non ipsæ singulæ de cista illa & bonis & pecuniis clavem habebant, quod proprietariæ non essent. Quibus ego dixi, quod vere essent proprietariæ, quia Abbatissa nihil inde sine earum consensu & voluntate posset recipere. Sed earum proprietatem Domina Abbatissa eis custodivit, & inde faciebant, quæcunque volebant. In communi cista ponebant pecuniam suam, sed non in commune; quia singularum propria erant divisa, non pro communi exponenda. Interrogaverunt autem me, an etiam cum bona conscientia ad altare in missa offerre possent denarium

Aaaaa

pro

pro vivis & defunctis? Respondi: Quando denarium ad altare defertis aut transmittitis, tunc Deo demonstratis, quod verè estis proprietaria, quasi dicentes: Domine, si estis oblitus, quod sum proprietaria, ecce denarius, proprietatis meæ verissimum signum. Si autem ad regnum desideratis venire cælorum, tunc oportet de necessitate, quod omnem vestram resignetis proprietatem. Rogavi Episcopum Lubecensem, Theologiæ egregium Doctorem, quod Monasterium illud Monialium ad S. Joannem, propter animæ suæ & sororum illarum salutem, reformaret; quia sorores & neptes in eo habuit professas. Qui mihi respondit, nullum se jus in spiritualibus in civitate Lubecensi habere sed Decanum ibidem in summo cum suo Capitulo jus totum tale ex antiquo ibi habuisse & habere; qui tamen nihil possunt aut facere præsumunt ibidem sine Consulatus voluntate. Jus tamen consecrandi Ecclesias, chrisma conficiendi, virgines Deo sacrandas per anulum desponsandi, & virginum coronas capitibus earum imponendi, solus sibi reservat Episcopus cujuscunque Diœcesis, quæ aliis non-episcopis committere non potest, ut faciant. Papa tamen, quia de plenitudine potestatis est, hoc aliis Prælati aut Ecclesiæ Cathedralis Canonicis, licite posset committere.

CAPITULUM XIII.

De Sororibus in Lubeck.

Domus Sororum devotarum in Lubeck in communi viventium, constituta est apud S. Egidium, in Segebergshueff nuncupata, à nomine fundatoris ejus: Mater vero Sororum in Nova Civitate Diœcesis Lubecensis multum infesta fuit Matri Domus Segebergensis in pluribus eidem detrahens & diffamans, in civitate Lubecensi & extra. Hoc ego percipiens, dixi matri illi, quod ab ejus diffamia desisteret, ut ego Lubecensi Episcopo id dicere vellem, & omnibus utriusque sexus devotis; & etiam ejus reformatricibus, in Hasselt Diœcesis Trajectensis sororibus, id scribere, quod tam mala & perversa esset, & alias sorores bonas sustinere non posset; & alia mala, quæ de ea cognovi. Quæ ista à me audiens, procidit cum sorore sua ad genua in domo, in qua fui, veniam petens, & emendationem promittens. Defendi ergo matrem illam ab injuria. Veni post cum Priore de Richenberg, Joanne Clovekorn, ad Episcopum Lubecensem, qui dixit mihi: Pater, audivi, quod non estis contentus de Matre Novæ Civitatis sororum, ut mihi est conquesta. Cui respondi: Verum est, quia pessimè fecit, se laudando & alias diffamando. Si se non emendaverit, majora horum faciam adversus eam. Tantùm ergo perfeci, ut eam de cætero in pace dimitteret facere facta sua, & in charitate sibi essent unitæ. Cum ergo domus sororum Segebergen dicta, non haberet cœmiterium consecratum & alia sororibus illis necessaria: accessi cum Priore de Richenberg ad Decanum Ecclesiæ Lubecensis, rogans, ut consentiret in cœmiterii earum consecrationem; &, ut in festis diebus in domo possent remanere, & ibi in capella sua missam audire, & ad matrem suam Ecclesiam non adire, & plura similia. Qui piè satis ad omnia nobis respondit. Accessimus etiam ad Proconsulem & Provisores domus illius, à Consulatu eis deputatos, qui similiter nobis ad omnia consenserunt; præsertim, quia eas jam tunc altero anno visitavimus, & non invenimus, nisi quod devotæ essent sorores juxta morem sororum terræ nostræ viventes. Obtinuerunt ergo, quod Episcopus Lubecensis, Dominus Arnoldus, utriusque Juris Doctor, Ecclesiam five Capellam & cœmiterium in propria persona eis consecravit, in præsentia Dominorum in summo ibidem Canonicorum & Consulatus Lubecensis. Dixi autem Matri domus illius, si in quibuscunque rebus obstacula pateretur, id mihi in Hildensem significaret. Ego sibi succurrere vellem. Respondit Prior de Richenberg: Quomodo vos in Hildensem istis hic in Lubecke potestis succurrere? Cui respondi: Optime id possum facere, quia currus quotidie inter Hildensem vadunt & Lubecke. Intentionem enim meam Episcopo, Decano & Consulatu Lubecensi semper transcribere possum, ut eis in suis necessitatibus succurrant & promoveant. Hoc Prior de Richenberg facere non potest, eo quod currus de Lubecke raro ad Goslariam vadant. In bona ergo pace Mater & Sorores ibidem nunc vivunt, & in spiritali ac temporali non modico profectu. Plura etiam servitia eis impendimus in lana comparanda, & ea in curribus quotidianis transmittenda; & nos in Sulda personaliter visitaverunt. Regulam Sancti Augustini, sicut in Eldagsen, assumerunt, & duas sororum domos de novo fundaverunt, unam in fundo patris matris illius, aliam in Diœcesi Schwerinensi prope Rostock. Mater autem illa per litteras me rogavit, ut duas matres & duas reformatrices, pro illis duabus sororum domibus, eis procurarem; quia aliquæ de his sororibus, quas ibi ordinaverat, jam defunctæ fuerant.

CAPITULUM XIV.

Sophia de Swichel, Priorissa in Heiningen, olim reformationi multum se opposuit, & reformatioribus ejus in multis contraria fuit. Quæ tandem in se reversa, ad proprium Monasterium se dedit post plurimam ejus evagationem, ubi circa finem vitæ lecto decubuit infirmata. Quam visitans, & in confessione expediens, sciens, eam multis malis irretitam, firmata. Dixi ei: Domina, ego vellem, quod per unum annum sic infirma jaceretis, & purgatorium vestrum hic sustineretis potius, quam in futuro. Et ita ab ea recessi. Per annum ergo infirma permansit; quo evoluta, statim se dedit ad mortem, & ut post intellexi, eodem die mortua fuit; sicut Dominus Joannes de Stockum, Monachus in Riddagshufen, qui à me hoc audierat, factum esse cognovit & dixit.

CAPITULUM XV.

De Prædicatorum quorundam erroribus, per Joannem in Sulta Priorem emendatis.

Prædicator Ordinis Fratrum Minorum, Dominus German, Custos Ordinis super quinque Ordinis sui Monasteria in Hanover, Hildesem, Brunswick, Halberstad & Goslaria, Lector & Guardianus in Hanover, publicè in ambone prædicavit in Hanover, omnes Beginas fore condemnandas, quæ sine tertia regula S. Francisci pariter habitarent, sive in communi sive in propriis viventes. Hunc sermonem tres audierunt sorores, in domo Beginarum ibidem habitantes, & contristatæ valde, animas suas condemnari metuebant. Vixerunt autem in eodem Beginario in propriis juxta consilium Terminarii Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, viri satis discreti; qui etiam Prior in proprio Monasterio in Osnabruga non longè post electus est, Joannes Koler nomine. Qui ab eis recedens præfatis fororibus, de ejus absentia querulantibus, respondit: Siquid adversitatis vobis occurrerit, ad Joannem in Sulta Præpositum id referte, qui vos in cunctis optime defendet; dicentes ei ex parte mea pro interfigno, quod ad Generale Capitulum suum iturus, in Monasterio nostro Osnabrugæ mecum comederit. Una ergo Beginarum istarum cum Abra sua venit ad me in Sultam, dicens: Guardianum in Hanover prædicasse, nullam Beginarum, in domo earum pariter habitantem, posse salvari, nisi tertiam regulam Sancti Francisci haberet & servaret. Et adjecit: Si hoc ita esset, nos tres sorores, ibidem pariter habitantes, ad statim inde vellemus recedere, ne animas nostras perderemus. Cui respondi: Qualem vitam & conversationem servatis? Ait: Quarta hora mane surgimus, de Beata Virgine horas, septem Psalmos, vigiliis & alia similia, pariter suo tempore legimus, quotidie manibus nostris laboramus, missam quotidie audimus, de laboribus manuum nostrarum vivimus, & inde pauperibus, in quantum possumus, subvenimus; diebus celeberrimis Ecclesias frequentamus, Dei præcepta & quadam ejus consilia libenter, pro posse nostro, servamus, Plebania nostris confitemur, & jura eorum parochialia ipsis persolvimus. Hoc audiens, dixi ei: Dicatis Guardiano illi: Præpositus dicit de Sulta, quod ad Regnum cælorum bene pervenietis, quia Divina præcepta custoditis: sed ipse cum suis fratribus, quia regulæ suæ sunt transgressores, meritò condemnabuntur. Et sic à me recessit, bene consolata. Cumque domum reversa fuerat, & præmissa cæteris enarraverat, fama publica per totum oppidum Hanoverense pervolavit, quod Guardianus ille mendacium prædicaverat. Unde non parum turbatus, plures sibi acquirens adhaerentes, voluit se adversum me juridice defendere. Contigit autem, me cum Domino Joanne, Priore in Richenberg in curru per Hanover pergere in Lubek ad visitandum Ordinis nostri Monasterium in Segebergen; ubi in via occurrit nobis foror illa Begina, quæ fuerat apud me, cum alia honesta matrona, habente filium Domini Türcken in Carthusia, quærere me volens in Sulta. Quæ mihi de curru descendenti dixit: Non audeo ad sermonem Guardiani amplius ire, quia publicè de me prædicavit, dicens: Quando Evangelium hic prædicatur, tunc quidam vadunt in Hildesem, quærentes, an verum sit, quod hic prædicatur. Vos boni homines! dicere contra Evangelium aperta est hæresis. Bene eam video hinc sedentem, quæ hoc fecit; digito super me demonstrans. Tunc ego profundè me inclinavi, timens, quod in ambone me vellet nominare. Cui respondi: Soror charissima, in hoc Guardianus bene prædicavit: qui diceret contra Evangelium, esset hæreticus reputandus. Sed quando Guardianus non verba Evangelica, sed verba propria & mendacia prædicat in ambone, talibus verbis ejus bene potest & debet meritò contradici: sicut verba sua fuerunt, quæ contra Beginas prædicavit; videlicet, quod omnes Beginæ, tertiam regulam non habentes, essent condemnandæ. Accedatis semper ad ejus prædicationem in omni timore, quia ipse confusionem, & vos gloriam inde reportabitis. Ipsa ivit ulterius cum alia matrona in Hildesem; & ego in Hanover, quod tribus milliariis distat de Hildesem. Novus ibi Terminarius, juvenis ejusdem Ordinis, mihi ibi occurrit, dicens: Guardianus

dianus traxit me in suam librariam, ostendens mihi textum & glossam in Clementinis. *Cum de quibusdam.* Et dixit: Quid potest Præpositus de Sulta his contradicere? Respondi: Ego vobis non possum respondere; sed hoc scio, si Præpositus de Sulta dixit, mendacium vos prædicasse, id ita esse probabit, sicut eum cognosco. Cui respondit Guardianus: Ego ad Erfordiam eum citabo. Cum hæc Terminarius mihi enarrasset, respondi: Et ego coram Universitate Erfordensi ipsi libenter respondebo, & ipsis causam istam juridicè terminandam prompto animo committam. Secedens inde veni in Lubeck, ubi cum Decano Lubecensi J. U. Doctore, post ibidem Episcopo, Domino Arnoldo de prædicta contuli materia, qui mecum permansit in sententia. Reversus inde in Hanover audivi, quod Guardianus iste dixerat, quod ad Romanam Curiam me citare vellet. Et respondi: Ego in dictamine Domini Apostolici in præmisso negotio libentissimè permanebo. Deinde veniens in Hildesem, accessi ad principalem Ordinis Minorum, dicens: Guardianus & Custos Ordinis vestri in Hanover prædicavit, hæresin esse, contra sermonem ejus dicere. Si fores illæ, quas volo contra eum defendere, hæresin sub se habent, ego cum eis ignibus in foro Hildensemensi tradere me volo concremandum: aut dictum Guardianum, si sic permanserit, ignibus concremabo. Qui territus respondit: Venerabilis Pater, ipse Guardianus filius vester est: libenter faciet, quæcunque vultis. Hac hebdomade venturus est in Hildesem. Ego ad Paternitatem vestram eum adducam. Ambo ergo ad cellam nostram post paucos dies venerunt, multum charitativè à me recepti. Nobis igitur confidentibus dixit Guardianus: Venerabilis Pater, Dominatio vestra misit pro me; & ego filius obedientiæ libenter veni audire voluntatem vestræ paternitatis. Cui respondi: Estis vos in Hanover Guardianus? Respondit, quod sic. Et dixi: Prædicastis vos, quod Beginæ, tertiam regulam Francisci non habentes, condemnabuntur? Respondit: Ita dixi. Omnis vivens in statu non approbato ab ecclesia, condemnabitur, & nullus vivens in statu non approbato ab Ecclesia, poterit salvari. Dixi: Quid per hoc vultis inferre? Forfitan, quod Beginæ istæ in statu sine æternæ damnationis. Respondit: Imo, etiamsi tantæ fuerint sanctitatis, sicut Beata fuit Maria Magdalena, aut Mater Domini Sancta Maria. Quoniam, si quis in pomærio vestro aliquem occideret, aut ibi in fornicationem caderet, & vos prohiberetis, ne ibidem de fratribus vestris aliquis post hoc transfret; Siquis in hoc vobis non obediret, utique mortaliter peccaret, & sic moriens condemnaretur. Sic & hic, cum Ecclesia Dei statum earum prohibuerit. Cui respondi: Si omnes Beginas in Almannia velletis condemnare, tunc magnam Christianorum partem in infernum dirigeretis, quia plusquam in XL. civitatibus & villis Almanniæ commorantur. Qui ait: Ego eas non condemno, sed Ecclesia Sancta dudum eas condemnavit. Cui respondi, hoc non esse verum. Ista enim est falsa: Omnis vivens in statu non approbato ab Ecclesia, condemnabitur, & Nullus vivens in statu non approbato ab Ecclesia, poterit salvari. Sed ista est vera: Omnis vivens in statu reprobato ab Ecclesia, condemnabitur, & Nullus vivens in statu reprobato ab Ecclesia, poterit salvari: quoniam Sanctus Franciscus ante regulæ suæ confirmationem, & Carthusienses, & alii quam plures, ante vitæ & statutorum suorum confirmationem bene salvari poterant. Finaliter tamen tunc pariter conclusimus, quod ambo stare vellemus dictamini solennium Sacræ Theologiæ Doctorum, hæreticæ pravitatis examinatorum, Magistri Henrici Take & Magistri Henrici Psalter. Quo factò, rogavit, ut parvam sibi scriberem schedulam, quod bene prædicasset; quia plures sibi dare vellent subsidium, ut me traheret in iudicium, & contra me placitaret. Cui respondi: Si prædicastis, quod Beginæ illæ essent condemnandæ, hoc non est verum. Nolo ergo quicquam pro vobis scribere, sed definitioni stare Jurisperitorum & Theologorum. Et ita ab invicem tunc discessimus. Post hæc Fratrum quidam Minorum in Archidiaconatu nostro publicaverat, quod illum in Sulta Præpositum nemo posset convincere, quem Guardianus in Hanover, Custos Ordinis nostri citare proponit ad Universitatem Erfordensem, objectionibus suis de statu Beginarum sibi responsurum. Hoc audiens, accessi ad Dominum Decanum Ecclesiæ Hildensemensis, utriusque juris Doctorem, quid de statu Beginarum illarum sentiret, inquirens. Qui mecum fuit in sententia, dicens: Ego & Capitulum meum Hildensemense Vobiscum permanebimus. Decanus dictus in crastino Canonicos suos vocavit ad Capitulum; qui pariter concluderunt, quod Guardianus errasset, & mecum permanere vellet; etiam coram quocunque iudice adhesionem promittentes. Unus igitur ex Canonicis Doctor Decretorum, Dominus Arnoldus Heisede, misit statim tunc ad me famulum suum, quærens mihi loqui, & ubi vellemus convenire. Cumque in locum nobis aptum pariter convenissemus, dixit mihi: Domine Præposite, cum Guardianiano convenistis, quod duo Doctores, hæreticæ pravitatis examinatores, causam vestram de Beginis terminare deberent. Jam aliis de eo facitis querimonias, sicut Domino Decano nostro. Cui respondi: Audivi in brevi, quod ad Erfordiam me vellet citare. Quæsi ergo consilium Prælatorum nostrorum & astipulatores. Tunc ait: Si Guardianus ille loqui deberet coram Dominis de Capitulo aut Consulatu aliquo, tam facundè sciret proferre sermonem, sicut vestra Paternitas. Cui respondi: De pulchris & facundis verbis hic non agitur,

tur, sed de verborum sanorum veritate. Tandem respondit: Guardianus iste tam bene defendere debet Beginas illas, sicut vos. Tunc dixi: Quando hoc facit, tunc sum contentus de eo, & ab omni impetitione mea ipsum tunc absolvo. Et ita statim ab invicem recessimus. Guardianus iste in festo Circumcisionis ad populum facturus sermonem, pluribus dedit in ambone novum annum, & mihi similiter, dicens: Pater quidam in Hildesem sermonibus meis se opposuit, dicens, me male prædicasse; cui pro novo anno unum do aculeum de corona spinea, ut habeat Domini passionem in memoria, & mihi ignoscat, siquid minus justè adversus eum dixi seu prædicavi. Et ego similiter unum mihi pro novo anno aculeum de eadem spinea corona Domini accipio, ei similiter ignoscens, siquid amarius contra me protulerit. Post hæc clarè declaravit de illis Beguinis, quod in statu sint gratiæ & salutis, & ad regnum cælestis poterunt pervenire; quia vitam bonam habent & sanctam, in præceptis Dei & suorum superiorum ambulantes, & regularium Christi charitatem ad omnes sollicitè custodientes. Quod multis probavit rationibus; unde valde in eo fui ædificatus, & bonum, humilem & conscientiosum virum ex hoc tempore eum habui & dilexi. Contigit autem in brevi post hæc, ut infirmatus morti appropinquaret. Misit ergo ad Beginas illas, petens sibi ignosci, quod contra eas prædicasset. Quæ responderunt: Nos vobis id non indulgemus, nisi Pater noster de Sulda id vobis ignoscat. Hoc post ejus audiens mortem, durè sorores illas increpavi, quod ita respondissent; cum omnibus veniam petentibus semper, & præsertim in morte, sit ignoscendum.

CAPITULUM XVI.

DOCTOR Sacræ Theologiæ de Brabantia venit post hæc in Hanover Regis Cypri indulgentias à poena & à culpa, ut asseruit à Romanis Pontificibus illi concessas, populo ibidem denuncians. Ego autem, cum tunc temporis propter Monialium reformationem Hanover pertransirem, præfati Doctoris audiivi sermonem, in quo personam meam ad Fratrum Minorum ibidem non reformationum instantiam, ut mihi videbatur, tangens, calumniam pro vindicta secretissime mihi inferre conabatur; quod tamen nullus alius apertè poterat intelligere. Sermone finito, quatuor Ecclesiarum Plebanos oppidi illius in unum convocavi, dicens eis: Non audistis, quod Doctor iste quatuor jam prædicavit articulos contra veritatem, & contra Plebanos & Pastores Ecclesiarum? Responderunt: Adivimus quidem, sed tam profundè super eos non cogitavimus. Quibus ego: Mendacium prædicavit, non vultis hoc defendere? Dixerunt: Quomodo hoc defendemus? Respondi: Ut publicè revocet de ambone, quæ male prædicavit. Rogaverunt ergo me, qui ibi eram cum Patre Rotgero, Priore de Wittenborch, quatenus eum informarem, ut male prædicata de ambone publicè revocaret. Et dixi: libenter. Accessi ergo ad eum in suum hospitium, dicens: Domine Doctor Ordinis Carmelitarum, vos hodie prædicastis quatuor articulos, quæ vera esse probare non potestis. Oportet, quod crasillos revocetis, alioquin hic ultra prædicare prohibemini. Prædicastis enim, quoties missa per mundum celebratur, toties una anima de purgatorio liberatur. Item, quod Mendicantes, Episcopis præsentati à suis superioribus, sunt supra Plebanos. Alia duo puncta nunc tradidi oblivioni. Si tot animæ à purgatorio liberarentur, quot fiunt missæ in mundo, tunc nulla jam esset anima in purgatorio, quia per totum mundum multo plures missæ celebrantur, quam homines quotidie Christiani moriuntur. Gratis ergo quotidie missæ pro defunctis servarentur, cum nulla ibi jam esset anima. Fratres etiam præsentati, in adjutorium Plebanis sunt Ordinati, non in eorum Dominos & majores. Et de duobus aliis articulis similiter respondi, quod falsi essent & non veri. Ipse autem ad hæc respondit: Ego, quæ hodie prædicavi, coram cunctis in Hildesem Doctoribus, coramque Archiepiscopo, Coloniensi & ejus universitate, optime scio & voto defendere, per omnia esse vera. Cui respondi: Egregiè, Domine Doctor, cum sitis compatriota meus, cum sim de Diocesi Trajectensi, confundor & scandalizor in vobis, quod talia prædicastis. Oportet vos ea publicè de ambone revocare, vel de terra Domini Ducis Brunswicensis Wilhelmi Senioris ad statim exire. Imo si ea non publicè revocaveritis, tunc nec in Ducatu Brunswicensi, nec in Diocesi Mindensi per amplius prædicabitis. In crastino autem omnia, quæ male prædicaverat, ad consultationem meam publicè revocavit; quamvis ego eodem vespere inde recesseram. Sic ergo Minores illi in insidias mihi paratas ipsi cum isto Doctore per se inciderunt.

CAPITULUM XVII.

De lectore, qui prædicavit, non licere libros habere Teutonicos.

LEctor quidam Ordinis Fratrum Predicatorum in Zutphania publicè prædicavit, quod laici libros Teutonicos habere non deberent; & sermones non nisi ad populum in Ecclesia

Aaaaaa 3

fieri

fieri deberent. Ego autem simplex tunc frater in Windefem, in Sutphaniam missus cum fratre pro negotio, hoc audiens; & sciens, plusquam centum congregationes fororum & Beginarum in Terra Trajectensi plures habere libros Teutonicales, & eos quotidie legere singulariter & in refectorio: constanter contradixi, quia in Sutphania, Zwoll & in Daventria, & ubique in civitatibus, oppidis & villis hujusmodi libros Teutonicales legunt & audiunt. Accessi ergo ibidem ad Prædicatorum Ecclesiam, Priorem requirens Monasterii, cui & dixi: Domine Prior, audivi, Lectorem vestrum publicè prædicasse, quod laici libros Teutonicales habere non debent. Hoc male prædicavit. Oportet, quod illud revocet. Principes enim terræ, communis populus, viri & fœminæ, per totum mundum nostrum libros multos habent in Teutonico conscriptos, legentes in eis & studentes. Vos & Fratres vestri sæpe populo in vulgari prædicatis; velletis etiam, ut sermones vestros memoriter retinerent? Respondit: Etiam. Tunc dixi: Si in scriptis eum haberent, tunc utique eum melius retinerent. Quare ergo habere non debent libros Teutonicales? Respondit; Laici quidam altos habent in Teutonico libros, videlicet Sententiarum, & similes, quos quidam Ordinis nostri transtulit in Teutonicum ex Latino, Valens Doctõr; alii Missale etiam cum Canone habent in Teutonico. Ergo non valet, quod laici libros legant in Teutonico. Cui dixi: Hoc non approbo, quod simplices laici, viri vel fœminæ, tam altos & divinos libros habent Teutonicales; Imo & Canonem, in Teutonico apud Moniales inventum, ego combussi. Veruntamen libros morales de vitiis & virtutibus, de incarnatione, vita & passione Christi, de vita & sancta conversatione & martyrio Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum & Virginum; homilias quoque & sermones Sanctorum, ad emendationem vitæ, morum disciplinam, inferni timorem patriæque cœlestis amorem provocantes, habere & quotidie legere, cunctis doctis & indoctis utilissimum est. Quod si istos admittere non vultis, ego dicta Doctorum Sanctæ Ecclesiæ, Augustini, Gregorii, Ambrosii & Hieronymi cæterorumque orthodoxorum in scriptis vobis ostendam, quod hujusmodi habere libros, omnino utile est & licitum. Qui respondit: Si dicta Doctorum in scriptis produxeritis, nos etiam dicta Doctorum in contrarium producemus. Tunc dixi apertius: oportet, ut lector vester ista de libris Teutonicalibus non habendis, quæ prædicavit, publicè revocet de ambone; alioquin cum Domino Trajectensi Episcopo & ejus Capitulo in summo disponam, quod nec vos nec lector vester amplius in Diœcesi Trajectensi prædicabitis. Tunc dixit Prior: Videtur mihi, quod ad hoc commissionem habeatis ab Episcopo Trajectensi. Sitis in pace; Ego disponam, quod Lector noster illa revocabit. Cum per me ire vellem ad Lectorem lecto decumbentem, dixit Prior: Valde doctus est vir. Cui respondi: Ideo libentius sibi loquor, quia doctus est, quia tunc melius intelliget. Tamen ad rogatum Prioris & fratris, qui mecum erat, non ivi ad infirmum, præsertim, quia Prior mihi promissit, quod debuit illa verba revocare. Redii alia vice de Daventria in navi ad Sutphaniam in Ysela. Tunc interrogavi viros & fœminas mecum navigantes, quid Prædicatores in Sutphania solent prædicare? Responderunt: Lector alias prædicavit, quod laici habere non deberent libros Teutonicales; illud in brevi hoc modo revocavit: Vos boni homines, quando hic Evangelium prædico, hoc aliis aliter ulterius enarratis. Dixi alias, quod libros Teutonicales habere non debetis, hoc ita notavi. Fœminæ quædam vel etiam viri scripta interdum aliqua sub mappa ponunt altarium, ut super ea missa legatur. Missa finita recipiunt ea; & tunc cum illis divinationes plures faciunt, & incantationes & auguria. Illa scripta vos habere & legere prohibui, seu etiam apud vos reponere. Libros vero Teutonicales bonos & morales bene habere, & legere potestis. Et in navi addiderunt: Omnes mirati fuimus, nescientes, per quem coactus fuerat revocare, quod prius aliter prædicaverat. Hoc audiens, fueram contentus, quia intentum obtinueram.

CAPITULUM XVIII.

Lector Ordinis Minorum *Hallis* prædicaverat, si quis alteri centum florenos solvere teneretur, & pratum haberet, unde annuatim quinque florenos sublevaret, pratum illud creditori suo posset committere, ut annuos ejus fructus tolleret, donec centum sibi florenos solveret, quia hoc usura non esset. Cumque id mihi relatam fuerat, misi pro eo; quem ad me statim venientem interrogavi: Prædicastis vos, quod sine emtione quis quinque florenos suscipere supra centum sibi concessos licitè posset, & usuram non committeret? Respondit: Etiam. Et dixi: Nescitis, quod quicquid datur pro pecunia concessa ultra fortem, hoc est ultra pecuniam concessam, usura est? Si vero pactum emtionis & vinditionis intervenerit, videlicet ut pratum illud pro centum florenis sub redemptione emisser, & ita quinque florenos annuatim inde sublevaret, hoc usura non esset. Cumque multis rationibus partem suam vellet defendere, misi pro meo officiali, in Jure Bacculario, qui mecum fuit in sententia. Lector autem ille quia non cessavit contradicere, dixi Officiali: afferte Decretales, ut ad oculum videat, se errare. Quibus lectis, errasse se cognovit. Tunc dixi

dixi ei: In primo sermone vestro Hallis ista revocate, & Juris veritatem populo declarate. Et fecit sic, dicens: Vos Hallenses, quando veritatem vobis dico, vos male intelligitis, & male ulterius denunciatis. Dixi vobis, si quis alteri centum tenetur dare florenos, pratum habens, quinque sibi annuatim dans florenos: committere ei posset illos quinque florenos annuatim inde tollere in defalcationem summæ capitalis; alias semper est usura, si non emptio & venditio intervenerint.

CAPITULUM XIX.

Lector quidam Augustinensium Hallis Terminarius prædicavit, *Caipham esse salvatum*. Cum id mihi à seculari esset narratum, vocavi eum ad me, dicens: Unde hoc sciret, quod Caiphæ esset salvatus? Respondit: Magnum malum esset, quod ille, qui talem prophetiam prædixit: *Expedis vobis, ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat*; esset damnatus. Cui respondi: *Balam similem aut majorem longè ante prædixit prophetiam: Oriatur Stella ex Jacob, & tamen condemnatus est, & gladiis filiorum Israel occisus*. Et Dominus in Evangelio: *Muli mihi dicent in illa die: Domine, Domine, in nomine tuo prophetavimus, & signa multa fecimus*. Quibus respondebit: *Amen dico vobis, nescio vos, discedite à me operarii iniquitatis*. His auditis dixit: In quodam antiquo libello inveni, quod *Jacobus* Apostolus multos Phariseorum convertit, inter quos & Caiphæ erat. Cui dixi: Si vultis omnia prædicare, quæ in antiquis libellis inveniatis, tunc errores & hæreses sæpe prædicabitis. Ego tamen misericorditer volo vobiscum istud tenere. In proxima prædicatione, quam Hallis facietis, ita dicatis: Ego, quando alias hîc prædicavi, dixi, quod Caiphæ esset salvatus. Hoc in quodam antiquo inveni libello. Credo, quod libellus meus sit incorrectus; & quod sit condemnatus. Non est necesse, ut dicatis, mendacium in ambone vos dixisse. Respondit: Ego statim ad Capitulum nostrum vadam in Thuringiam. Respondi: Eatis, quocunque volueritis, & loquamini, cum quibus placet; sed in proximo sermone, quem Hallis prædicabitis, ita faciatis, sicut dixi vobis. Alias Hallis non prædicabitis. Qui reversus de eorum Capitulo provinciali, fecit, ut mandavi.

CAPITULUM XX.

Prædicator meus Hallis, vir pro populo Dei plurimum zelosus, præsertim, ut mandata Dei observaret, nomine *Gerhardus Dobbeler*, frequenter decem præcepta prædicavit, tres, quatuor aut quinque continuè faciens sermones super uno præcepto, donec omnes in parochia sua illud observarent. Cumque illud tardius servare inciperent, dixit in ambone publicè ad populum sexus utriusque: *Quare istud Dei præceptum observare non incipitis? Forte possitis dicere: Pater meus & mater mea boni homines fuerunt, justi & veraces. Scio, quod ad regna cælestia dudum pervenerint. Ut quid nunc tam districtè plus, quam illi, cogor observare divina præcepta? Audi, quid ad hoc respondeam? Habes inde literas bene sigillatas, quod parentes tui, qui tam boni fuerunt, in cælum pervenerint? Libenter eas viderem; sed literas te inde habere, non existimo. Ego autem tibi dico: Si parentes tui vixerunt, sicut tu jam vivis, & præcepta Dei non servaverunt, tunc ego literas habeo bene sigillatas, quod jam sunt in inferno; & literæ meæ missalia sunt, in altaribus jacentia, cujus Evangelium ibi scriptum, verum esse, Christus, Deus noster, sanguine suo sigillavit. Ibi enim scriptum est: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & plura his similia. Transgressores autem mandatorum Dei jam defuncti, & sic mortui, jam sunt in inferno. Hoc tenet fides catholica: hoc dicit Christi Evangelium. Qui vero Dei præcepta in hac vita servaverunt, licet nunc mortui sint in corpore, tamen nunc in anima in cælo vivunt cum Deo, & in resurrectione mortuorum in corpore & in anima regna cælestia cum Sanctis Angelis & omnibus Sanctis æternaliter possidebunt. Cogitetis ergo, ubi jam sint parentes vestri, qui tam boni secundum seculum vobis videbantur; & vitam vestram emendatis. Quam multa bona prædicator iste Hallis fecerit in populo per suos notabiles & ferventes sermones, superius in reformatione Monasterii *Novi Operis* clarius est expressum. Non multam scripturam allegavit, sed ad rem transivit, dicens: Tu cum longo naso, cum calceis discoloratis, tu Proconsul, tu dives, tu pauper, quid dicturus es ad ista, cum in dorso jacueris, & spiritum exhalabis? Hoc modo præmeditare, & similia.*

CAPITULUM XXI.

De Indulgentiis promerendis.

Nicolaus de Cusa Cardinalis per Almanniam Legatus, in publica sessione Magdeburgi totius provinciæ Prælatorum, anno Domini 1451. apertè dixit, quod penitentia pro uno

uno peccato taxata, sunt *septem anni certis diebus sub certo modo vivendi, comedendi & vestiendi*, prout *Bartholomaeus* Doctor hoc describit, per totum illud septenarium singulis diebus id servandum. Pro duplici vero mortali peccato, utpote pro adulterio, perjurio, homicidio, augurio & similibus, pœnitentia taxata *quatuordecim anni* sunt, sub simili modo, ut prædictum, in pœnitentia debita servati. Peccator autem quicumque, qui per tantum tempus præmissam pœnitentiam servaverit, aliam post hanc vitam in purgatorio pœnam non habebit. Si præmissam pœnitentiam pro singulis mortalibus peccatis in vita præsentis non compleverit, tunc oportet, ut post hanc mortalem vitam huiusmodi pœnitentiam, hinc decedens, compleat in purgatorio. Et quia multi plurima mortalia peccata in hac vita commiserunt, & talem pœnitentiam per totam vitam, etiam si centum annis vivere possent, pro singulis suis mortalibus peccatis, propter vitæ suæ brevitatem, facere non valent & complere: ideo Sancta Mater Ecclesia & Sedes Sancta Apostolica, formam & modum adinvenit, quo magni peccatores à cunctis suis criminibus & peccatis per gratiam divinam, autoritate Dei & Sedis Apostolicæ, iudicè merito possint liberari. De thesauro enim Sanctæ Ecclesiæ, hoc est, de meritis Domini nostri Jesu Christi, suæ Benedictæ Matris & omnium Sanctorum ejus, Dominus Apostolicus, & illi, quibus Ecclesiæ Dei claves sunt commissæ, certam accipiunt portionem, & cunctis Christi fidelibus gratiam illam communicant, & thesauri illius faciunt esse participes; quantum illis videbitur, & pro quanto, prout in bullis eorum continetur, indulgentias concedentes & remissionem peccatorum; seu pœnas, pro peccatis eorum merito substinendas, remittentes; deque Dei misericordia & Sanctorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, autoritate confisi, dant & relaxant, quantum eis ab alto conceditur. Qui enim decem, viginti, triginta aut centum annis in purgatorio pro peccatis suis puniri debuissent; si in vita præsentis indulgentias veras, Apostolicas, decem, viginti, triginta aut centum annorum promeruissent; ab illis purgatorii pœnis per illas indulgentias tot annorum omnino essent liberati. Omnibus igitur persuasit Christianis, quatenus indulgentias promereri non negligerent, si sine igne purgatorio hinc ad cælum evolare desiderarent.

CAPITULUM XXII.

De tribus Reformationum generibus, & primò, de Reformatione, facta per suspendium. (*)

Fuit Abbas quidam nigri Ordinis, hoc est, Sancti Benedicti bonæ voluntatis, qui Monasterium suum libenter reformasset, sed habuit plures de fratribus suis, qui totis viribus in hoc ei resisterunt, (a) & aliquos in hoc sibi satis obedientes, qui libenter regularem vitam voluerunt servare. Perversi tamen fratres illi (b) in tantum se opposuerunt, quod Monasterii sui reformationem ad effectum suum perducere non potuit. Videns ergo fratres suos in statu vivere perpetuæ damnationis, quia proprietarii, incontinentes & inobedientes erant, nec regulam nec Ordinis instituta debite observantes: accessit ad Principem istius terræ, Dominum *Albertum, Austriæ Ducem, & post Regem in Bohemia & Romanorum*, cui insolentiam & perversitatem fratrum suorum, qui ei in reformatione resisterunt, conquestus est. (c) Cui Dux ait: Domine mi Abbas, ad Monasterium vestrum redeatis; ego in brevi propria in persona veniam ad vos, & omnes bene reformabo. (d) Quibus auditis Abbas exhilaratus, cum gaudio ad (e) sua repedabat. Princeps ergo præfatus cum decenti sua comitiva ad claustrum illorum venit Monachorum; & Abbate cunctisque fratribus suis etiam de villis & grangiis (f) in domum Capituli convocatis, dixit coram omnibus: Domini & fratres mei omnes, (g) volo, ut ad reformationem & regularem observantiam Sancti Benedicti ad statim (h) vos disponatis; quia rebelles & inobedientes ac perversos ego (i) corrigere volo, ne bona, à Christi fidelibus pro animarum suarum salute Monasterio vestro data, amplius vos in tantis peccatis & flagitiis (k) consumatis. Sitis ergo bene deliberati, quid mihi ad hæc respondeatis; quia hæc ita fieri oportet. Si mihi in præmissis contradixeritis, faciam hodie, ut amplius contradicendi non habeatis facultatem. Singulos vos interrogabo, à capite incipiendo; & quem paratum invenero, dignis laudum præconiis & favoribus remunerabo: Perversos autem & rebelles condigna animadversione

(*) Hæc sequentia tria capita in MSto Kiloniensi Libro II. annectuntur, iisque præmittuntur ibidem hæc verba: *Quia liber iste de reformationibus Monasteriorum intulatur, tria hic ponuntur genera Reformationum, Domino Egghardo de Hanzee Præposito Hildesheimensi Ecclesiæ ex Austria scriptæ & transmissæ.*

(a) Certos etiam habuit fratres reformationem desiderantes, & sibi bene obtemperantes. MS. Kilon. (b) numero majores. MS. Kilon. (c) Quo audito, Dux ait. (d) Quo responso. (e) Ad propria. (f) in domo Capituli eorum congregatis & convocatis, (g) volo & desidero, ut (h) vos omnes disponatis, & eam realiter cum affectu & effectu assumatis; quia (i) sic corrigere & emendare volo, ut amplius mihi non resistant, ne (k) inutiliter consumatis,

ne (l) multabo. Sitis ergo bene provisi, quid mihi respondeatis; quia incontinenti pro meritis seu demeritis finalem sententiam suscipietis. Tunc dixit ad Abbatem: Domine Abba, vultis vos regulam (m) Beati Benedicti libenter servare, sicut Deo & Sanctis eius promissistis? Qui respondit: Domine mi gratiose, ego regulam meam libentissime volo observare. Dux respondit: Hoc bonum est, (n) Tunc Dux ait (o) sequenti: Vos Domine, vultis etiam regulam vestram servare? Respondit: Nullo modo, sed vivere volo, sicut inveni in Monasterio, quando primo huc intravi. Cui Dux ait: Promissistis etiam obedientiam secundum regulam (p)? Ait: Etiam. Tunc Dux dixit: Servetis ergo regulam, quam promissistis; (pp) & provideatis vobis, si id negaveritis, quod mercedem iniquitatis vestrae statim recipietis. Qui perversè respondit: Ego eam nolo servare, sed sicut (q) fui, volo permanere. Tunc Dux ait illi: Si non vultis regulam vestram servare, tunc exeatis de Capitulo. Et continuo exivit. Deinde Dux sequenti in Ordine Fratri dixit: Vos Domine, vultis regulam vestram servare, sicut (r) promissistis? Qui ergo de Fratribus istis dixit, regulam se velle libenter servare, illum Dux plurimum laudavit, & in domo Capituli remanere iussit; Sed qui regulam suam rebelliter servare contempsit, illum statim domum Capituli exire iussit. Singulis igitur Fratribus interrogatis, (s) & rebellibus, protervè respondentibus, egressis: Dux ait ad Abbatem: Domine Abba cum Fratribus istis, qui parati sunt obedire, (t) regulam vestram servate, sicut optastis. Alii fratres, qui hinc exierunt, reformationem vestram amplius non impedient. Quo audito Abbas dixit: Utinam, Domine mi Dux, ita esset! tunc perfectè nos vellemus reformare. Dispositis ergo omnibus, propter quæ Dux advenerat, dixit Domino Abbati: Domine Abba, (u) vultis mecum ire, & videre, quomodo fratres vestri rebelles & protervi morde se habeant? Et duxit eum in domum, ad hoc deputatam, ubi omnes illi fratres inobedientes, funibus per colla earum constrictis, (u) in creopenforio ad trabes pendebant, quidam mortui, alii extremum (x) spiritum jam trahentes. De quo Abbas territus & stupefactus, dixit ad Principem: Domine, quid fecistis? Tunc ait Dux: Isti tam perversi, reformari non potuerunt, nisi per suspendium. Compulerat enim (y) servis suis, ut quemcunque de domo Capituli exire viderent, statim apprehenderent, & (z) funem ad collum eius ligarent, & in domo, ad hoc deputatam, ad trabes suspenderent. Qui mandatum Domini Ducis perficientes, omnes (zz) fratres illos in una cavilla suspenderunt.

CAPITULUM XXIII.

Reformatio facta per ignem. (*)

Fuit in partibus illis Monasterium, in quo fratres valde dissolutè vixerunt, neque regulam, neque (a) statuta observantes, sed unusquisque id, quod sibi placuit, faciebat. Contigit, Abbatem ibidem mori. Unde fratres gavisi, post defuncti sepulturam pro novi electione Abbatis convenerunt. Habuerunt autem fratrem unum conventualem incontinentis & dissolutæ vitæ, qui etiam ad electionem non convenerat. (b) Hunc ergo unanimiter sibi in Abbatem elegerunt, putantes sub eo omne, quod volebant, se facturos. Electione facta, duos fratres notabiliores ad eum miserunt in tabernam, ubi cum viris & mulieribus potando sedebat. Qui eum in partem vocando, dixerunt: Totus Conventus noster personam vestram sibi elegerunt in Abbatem. Dignemini ergo ad eos venire, & Abbatæ nostræ dignitatem assumere. Hic fratribus ad se missis (c) respondit: Ego Abbas vester esse nolo. (d) Rogaverunt tamen illum instantissime, ut saltem ad fratres & Conventum suum venire dignaretur, & eorum audiret intentionem. (e) Tunc acquiescens, ivit cum eis. Importunis autem precibus (f) fratrum suorum (g) tandem dedit consentium, ut Abbas eorum vocaretur & esset. (h) Instaurantes ergo convivia, acceperunt singuli concubinas suas, pulchriorem inter eas Domino Abbati suo, tunc electo, assignantes. Quam Abbas accipiens juxta se collocavit, ut ceteri faciebant, manducantes & bibentes, ludentes & se inebriantes, & per dies multos id continuantes. Videns autem,

(l) ut promeruerunt, puniam & multabo. (m) S. Patris vestri Benedicti. (n) Faciatis hoc, & bene vobis erit. Tunc. (o) in ordine sequenti. (p) S. Benedicti. (pp) quia, si id nolueritis, mercedem (q) sum. (r) Deo & vestro Prelato promissistis. (s) & examinatis, & (t) reformationem & regulam. (u) veniat mecum videre, quomodo (u) ad trabes in segregata domo pendebant. (x) adhuc palpitantes, & extremum spiritum exhalantes. Hæc videns Abbas, territus valde & pavefactus, (y) Dux servis. (z) in collum eius funem ligantes, ad trabes eum suspenderent, in loco sibi deputato. (zz) omnes illos protervos & perversos fratres.

(*) De Monachis per ignem reformatis.

(a) Ordinis sui statuta. (b) sed cum suis complicitibus foris permansit. Hunc (c) statim respondit. (d) ideo de alio vobis provideatis. Rogaverunt (e) qui tandem acquiescens (f) omnium fratrum (g) convictus. (h) Instantes igitur conviviis,

Bbbbbb

tem, Abbas, quod fratres sui reformare se nolebant, sed in vita sua mala & multum criminosa perseverare, imo & in deterius semper ire: quodam tempore, cunctis inebriatis & ludentibus, dixit concubinæ sibi assignatæ: Quando à mensa me videtis surgere, tunc statim sequamini me. Surrexit ergo (i) de mensa cum sua concubina, & foras egressus, clausit domum, in qua erant: omnes introitus & exitus ejus palis, vectibus & repagulis fortissime obfirmavit, & sic ignem domui supposuit, & totam domum, cum omnibus hominibus utriusque sexus & omnibus rebus suis, igne concremavit & consumpsit, dicens: Isti fratres mei reformari non poterant, nisi per ignem. Fratres ergo isti, reformare se nolentes, hoc modo subtracti sunt de terra, & in ignem æternum submerfi.

CAPITULUM XXIV.

Reformatio facta per flagella. (*)

Abbas quidam in eadem regione, Monasterium suum volens reformare, quosdam habuit fratres pestiferos & rebelles, & in sancta reformatione ipsi resistentes. Cumque verbis (a) piis & modestis nihil in eis proficeret, de consilio & auxilio Principis terræ suæ dictos fratres apprehendit, magnisque catenis, manicis & compedibus, pedes & manus eorum constringens, ad postes dormitorii eos fecit (b) astringi & affigi. Divinorum autem tempore, quando in choro horæ cantabantur, libros cantuales jussit eis anteponi, ut ibi horas cantarent Canonicas, quas in choro cantare recusabant. Qui ibidem cantare noluit, tam diu, scapulis nudatis, magnis virgis cadebatur, seu etiam, vestibus usque ad cingulum dimissis vel ultra; donec pœna urgente, carne cuteque laceratus, cantare compellere-
tur. Tempore refectio-
nis cætrum Conventualium fecit similiter. Cibum & potum jussit eis tunc anteponi, & si manducare nolent, fecit eos acerrimè vapulare; donec cibum attingentes manducarent & biberent, ut jubebantur. Cumque per aliquod tempus die ac nocte ita cantare cogentur, & suo tempore manducare, hunc exactoribus cum virgis recentibus carnes eorum exfulcantibus & livore (c) conficientibus. Tandem de necessitate fecerunt virtutem, promittentes, sponte & libenter se velle in choro cantare, & in refectorio comedere, ut ab iis (d) plagis possent liberari. Regulam quoque suam (e) & tria substantialia (f) libentissime se velle amplius servare, nec de teneritudine, impotentia aut peccata te aliqua amplius facere querelam, sed in cunctis se libenter velle obedire. In hæc sacramenti verba, Domino Abbati & terræ Principi repromissa, vectibus, manicis & compedibus singulorum apertis & solutis, ad Conventualia sua redire sunt permisi. Hic modus reformationis mitior fuit quam alii præmissi; utilis tamen & satis efficax (g) perversos ad observantiam compellendi. Dux iste *Albertus* propter Zelum bonum, quem habuit ad Monasteria reformanda, non longe post creatus est in Regem Bohemorum, ac deinde electus in Regem Romanorum; filiam *Sigismundi* Regis Romanorum habens in conjugem, magnum habens præfagium, multa bona in Ecclesia Dei se facturum; quia & Rex fuit *Ungarorum*: per Reginam *Hirsici*, Regis post Bohemorum, ut dicitur, per pomum, pro media parte intoxicatum, veneno interfectus. Mediam enim partem non intoxicatam Regina comedit, & alteram pomi partem intoxicatam dedit Regi ad manducandum. Qui statim sentiens venenum in se grassans, ad mortem se præparavit devotissimè.

De Fratrum & Laicorum tentationibus.

CAPITULUM XXV.

De Laico tentato in Wendesem.

Laicus in Windefem fuit assumptus, *Diricus* nomine de Zwollis, grossus corpore, fortis ad laborandum, legere nesciens in libris, multum intelligens ad discendum. Horas enim de Beata Virgine Maria, septem Psalmos & vigiliis, horas de sancta Cruce & de æterna sapientia, & similia didicit exterius (**), quando cum aliis laicis nostris ea legentibus in area triturravit. ita ut quasi eorum esset magister in legendo. Sic sæpius unum chororum tenuit. Hic in initio pene suæ conversionis venit ad me, tanquam ad cognatum suum, dicens: de Windefem se velle recedere, eo quod vestiarius noster antiquus, frater *Reinerus Arnhem* sibi dixerat,

(i) in furore suo de mensa, quem præfata sua concubina statim est secuta.

(*) De alio Monasterio, quod per catenas & flagella fuit reformatum.

(a) bonis, piis. (b) affigi & adcatenari. (c) afficientibus, (d) plagis & verberibus. (e) de statuta Ordinis. (f) substantialia Ordinis. (g) ad compellendum perversos, ad se reformandos.

(**) hat sie auswendig gelernt; *exterius* auswendig, id est, memoriter. Etiam Thomas de Kempis hunc Germanisimum habet.

dixerat, cum caligas sibi paratas à fartore, accipere debuisset: Vos dignus essetis, ut cum caligis istis per caput percuteremini. Quamvis frater ille jocosè id sibi dixerat, id tamen in serio sibi dictum acceperat. Et mihi dixit: putassem, quod cum sanctis hominibus hic habitarem. Si sic in Monasterio habitare deberem, & talia verba frequentèr audire, tunc potius hinc vellem recedere. Cui respondi: Hoc mirum valde est de vobis; robustus estis homo, sicut aliquis in Monasterio, & propter unum jocosum verbum inde vultis recedere? Non erubescitis inde? Verbis igitur consolatoriis, licet ipse juvenis etiam tunc essem, ad meliora eum fui adhortatus, dicens: Frater mi charissime, istud principium & minimum est, quod etiam in Monasterio bene reformato frequenter oportet nos sustinere. Et ita agendo & informando ad mentis suæ pacem & tranquillitatem ipsum tunc perduxì. Hic idem laicus *Diricus* missus fuit cum aliis duobus laicis de Windesem ad duo vel tria milliaria, ad arborem magnam & altam evellendam. Cumque securibus ipsam evellere & defecare diutius attentaverant, & parum proficiebant, alii duo laici in domum coloni nostri, ibi proximam, pro funibus ierunt concedendis, ut cum eis ad terram ipsam detraherent, quam, ut ipsis videbatur, securibus evertere non potuerunt. Illis abeuntibus, hic solus apud arborem remansit, ulterius eam secando, & evertere laborando: quæ tandem in aliorum laicorum absentia casum fecit, & improvisè super laicum *Diricum* cecidit, ipsumque contrivit & interfecit. Unde ipsi & nos omnes satis fuimus contristati; postmodum tamen non minime ex hoc ipso fuimus consolati. Præfatus enim *Diricus*, paulo ante defunctus, ab uno fratre devoto in Windesem visus fuit in gloria & vita beata, mercedemque in celo cum Sanctis habere martyribus; quia emissus per suos superiores, in vera obedientia occubuit; semperque fervidus in omnibus operibus suis & laboriosus fuit. Ecce quantum vera & humilis promeretur obedientia, quæ filios Dei facit hinc & in æternum.

CAPITULUM XXVI.

De alio laico tentato.

LAICUS quidam *Ioannes de Xantis* vocatus, venit ad nos de partibus Ducis Clivenfis ad Monasterium nostrum in *Bodingen* ultra Coloniam. Qui post modicum tempus adventus fui ad nos, dixit mihi, se de loco velle recedere, quia non posset ibi habitare; & cum montem altum super quem Monasterium situm est, ascendere debebat, pedes ejus vix eum volebant portare. Cui respondi: Rogo, ut propter Deum maneatis hic per unum diem. Qui respondit: Non possum hinc, nec propter Deum, per unum diem manere, quia locus iste est mihi valde contrarius. Tunc ego dixi sibi: Charissime Frater *Iohannes*, vos scitis, quod ego libenter facio, quidquid à me petieritis. Rogo igitur vos, ut propter me per tres dies adhuc hinc permaneatis, & post hoc faciatis, sicut tunc vobis placet. Tunc alta trahens suspiria, ait: Non libenter vos offenderem. Si utique vultis, per tres dies propter vos hinc adhuc manebo. In his autem tribus diebus in alium virum omnino est mutatus. Nam ex natura sua bonus est, & bene morigeratus, prudens in verbis, modestus in conversatione. Non longe post factus est conversus, & omnibus exemplar disciplinæ & sanctæ religionis. Negotia Monasterii & opera sibi commissa multum prudenter egit & fideliter, omnes diligens, & ab omnibus dilectus, sanum membrum Monasterii. Hunc inimicus noster in principio à bono nitebatur avertere, si is, qui ejus noverat astutias, eum in bono non fortasset; qui & in bono proposito per multos annos, usque in præsentem diem, permanfit.

CAPITULUM XXVII.

De Clerico ad exeundum tentato.

Bertoldus *Semeyer*, intraneus Novæ Civitatis Hildensemensis, religionis gratia venit ad nos Clericus in Sultam, & libenter à nobis est receptus; quia primus erat ex omnibus, qui de seculo ad nos venerunt. Cumque per mensem, aut modicum amplius, nobiscum habitasset, mane circa octavam horam venit ad me, toga indutus & pileo coopertus, dicens: Pater, ego volo hinc recedere, quod sciatis. Cui dixi: Quo vultis ire? Respondit: Ad sæculum. Cui dixi: Vos primus estis, qui de seculo ad nos venistis. Si à nobis receditis, aliis ad nos venturis exemplum præbebitis, ut non veniant ad nos, bonam vitam nos non habere putantes. In principio enim reformationis Monasterii in Sulta fratres antiqui, Dei timorem & observantiæ regularis amorem non habentes, media nocte sicut media die, in omni loco ad invicem loquebantur, quando nemo vidit de reformatis. Similiter in aliis fecerunt observantiis regularibus, non Dei & propriæ conscientiæ, sed hominum timore ad observantiam coacti. Clerici ergo ad nos venientes, in eis non fuerunt ædificati, sed magis scandalizati, & à sancta religione averfi; sicut etiam faciunt omnes pene antiqui in an-

tiquis Monasteriis reformandis. Bertoldus præfatus Clericus mihi tunc respondit: Ego propter multa, me ad hoc monentia, penes me firmavi, quod in Sulta nolo remanere. Cumque vidissem animum ejus nullis rationibus ad manendum nobiscum posse induci, tunc dixi: Si rogarem vos, ut propter me iretis in *Brunswick* de Hildesem ad quinque milliaria, velletisne mihi in hoc acquiescere? Respondit: Non solum in *Brunswick*, sed etiam, si vultis, in *Magdeburg* ibo propter vos, quod sedecim milliaria distat de Hildesem. Tunc dixi: Si propter me in *Brunswick* aut *Magdeburg* pergeretis, tunc ad minus una nocte aut pluribus foras remaneretis. Rogo ergo, ut propter me hac nocte adhuc in Sulta permaneat. Qui in hoc mihi acquiescens, illa nocte nobiscum permanfit. Direxi illo dies fratres boni testimonii duos ad eum *Hermannum Lauw* & *Ioannem Bödecker*, ut secum loquerentur, & ab errore suo eum revocarent. Unde in tantum confortatus est, ut altero mane ad me rediens, erubesceret, quod tentationem à nobis recedendi admisisset.

CAPITULUM XXIIIX.

De graviore ejusdem tentatione.

FRATER ille *Bertoldus Semeyer* ad religionem nostram assumtus & investitus, in fine novitiatus sui gravissimam iterum habuit tentationem de Sulta recedendi, & habitum Ordinis deponendi. Et quia fratres nostri debitam reformationem nondum observabant, ut præmissi, & bonum ab eis exemplum capere tunc non potuit: idcirco ante tempus professionis suæ per breve tempus misi eum in *Richenberg* Ordinis nostri Monasterium, ante nos in Sulta reformatum, prope *Goslariam*, ut etiam Fratrum illorum videret reformationem pro sua in bono proposito meliori confortatione. Qui inde ante diem professionis suæ in Sultam reversus, dixit Magistro suo, Fratri *Ioanni Winter*, de *Richenberg* mihi concessio, quod in tantum caput doleret, ut, cum ad *Gloria Patri*, inclinaret, videretur sibi propter capitis sui vertiginem, quod statim ad terram cadere deberet. Qui ei respondit: Si ego in capite meo talem haberem vertiginem, ego hic nollem profiteri, sed potius habitum exuerem. Quo audito dixit intra se: Jam rectum habeo magistrum, qui ad vota mea mihi respondet. Cum mihi hæc relata fuerant, dixi Magistro suo: Cur tale dedistis tentato fratri consilium? Nescitis, quod fratres tentati multa sibi proponunt & constringunt, ut tentationibus suis dare possint assensum? Amplius non eritis magister ejus. Vocavi autem post hoc eum ad celiam nostram, eique mecum ante lectum nostrum sedenti dixi: Frater mi charissime, quomodo est vobiscum? Respondit: Non per omnia bene, sed male. Et dixi: Vultis etiam cras facere professionem? Cras enim, videlicet in die Purificationis Beatæ Mariæ, annus est, quod habitum per nos induistis. Respondit: Non, quia hic manere non intendo, sed habitum religionis exuere. Tunc dixi: Quando primum ad nos venistis, mihi dixistis: *Sanctus Bartholomeus* Apostolus vester est, apud eum perpetuo velitis remanere. Respondit: Ita tunc proposui, sed alium jam sensum acquisivi. Cui dixi: Vos estis primus, qui de seculo ad nos venistis: si jam à nobis receditis, multi alii Clerici per vos à nobis retrahentur. Si nobiscum autem permanseritis, eritis concausa omnium, vos hic subsequendum, æternæ salutis. Respondit: Ego pro aliis non possum esse sollicitus. Oportet, ut faciam, quod mihi convenit. Tunc intra me dixi: Domine Deus meus, quid faciam, ut animam fratris istius ab isto malo proposito valeam revocare? Dixi ergo illi, prout mihi tunc incidit: Charissime frater, vos dicitis, quod caput doletis propter ejus vertiginem, ut ad terram cadere timeatis, cum ad *Gloria Patri*, vel ad collectas, inclinatis. Ex parte Dei promitto vobis, si nobiscum permanseritis, nunquam amplius caput dolebitis. Tunc ait: Habeo etiam plura alia impedimenta. Cumque vidissem, quod subterfugia quæreret evadendi, & ratione vinci non posset, dixi sibi: Si Deus vellet, quod hic professionem facere deberetis, Velletis tunc hic profiteri? Respondit: Si Deus hoc vellet, quomodo possem contradicere Deo? Sed quis mihi Dei manifestabit voluntatem? Respondi: Venerabilis ille Pater Magister *Gerhardus Groet*, primus inchoator modernæ reformationis per Alemanniam, cum aliquam causam magnam haberet agere de quacunque re, & nesciret Dei voluntatem, tunc præmissa oratione vocavit aliquem ad se juvenem de platea, dicens ei: Quid faciam in hac re? & quod juvenis ille sibi tunc respondit, id accepit, tanquam à Deo sibi fuisset responsum. Faciatis ergo & vos similiter. Hic in propinquo multi Patres sunt, venerabiles viri reformati, de *Bursfelda* & de *Marienrode* Abbates; in *Carthusia*, in *Richenberg*, in *Wittenborg* Priores: illos interrogetis, oratione præmissa, ut Deus voluntatem suam per eos vobis revelet, & quidquid vobis responderint, id pro certo sciatis esse divinam voluntatem. Tunc altè suspirans, ait: Pater, de nemine plus confido, quam de vobis. Committo vobis super animam vestram, ut vos mihi dicatis, quæ sit voluntas Dei? Utrum hic facere debeo professionem, an non? Cui respondi: Ponamus nos ad genua, & legamus unum *Pater* & *Ave Maria*. Quo facto, iterum pariter confedimus. Tunc dixi: Frater mi Bertolde, ex parte Dei

Dei

Dei dico vobis, quod ejus voluntas est, ut hic faciatis professionem. Qui statim mihi respondit: Jam faciam libenter. In hoc verbo recessit à se omnis tumultus cogitationum suarum repugnantium, & ad mentis suæ rediit tranquillitatem, dicens: Ego antea potius in aquas usque ad collum cecidissem, antequam id fecissem. Jam ad omnia sum paratus. Et ego sibi dixi: Si ita feceritis, ut jam dicitis, & sic usque in finem perseveraveritis, tunc regnum cœlorum vobis repromitto. In crastino tunc in manus nostras fecit professionem solennem, cunctis fratribus nostris & amicis suis sibi congaudentibus. Frater iste *Bertoldus* prudens satis & discretus procurator fuit ad tempus in Sulta; ac demum post mortem Fratris *Arnoldi*, successoris mei in Prioratu Sultensi, ipse octo annis cum dimidio Prioratus officium gubernavit, in bona Monasterium tenens disciplina; donec ego ad idem officium in Sulta per electionem fui revocatus. Ipse etiam Monasterium Monialium Ordinis nostri in *Heiningen* Diœcesis *Hildensemensis* de extrema pene paupertate ad bonam reformationem & ad competentiam rerum temporalium, cum consilio fratrum suorum, præsertim Fratris *Bertoldi Eicken* Supprioris, & *Ioannis Oelfinck* procuratoris, laboriosè perduxit. Et quia tanta bona in Monasterio illo Monialium erat facturus, tam magna in principio conversionis suæ inimici sustinuit impedimenta. Ipse etiam post Prioratûs sui resignationem factus est ibi Pater & Rector, & non longe post calculi morbo vexatus, ad extrema pervenit. Misit ergo pro me in Sulta, ut ipsius extremis interesssem. Jacuit enim per diem & noctem quasi agonizans, & aliquoties Conventui in choro nunciatus fuit mortuus; sed mori non potuit, nisi prius à me fuisset absolutus. Hora autem vespertina in *Heiningen* adveniens, descendi de carruca ad lectum ejus, qui inferius jacuit in præpositura; à multis deductus. Ipse videns me, valde gavifus rogavit astantes, ut eum ad me converterent. Tunc jusfit omnes exire, dicens mihi: Pater, ego valde sum infirmus. Ego omnia peccata mea confessus sum seniori nostro Fratri *Ioanni Bodecker*, & ille omnia peccata mea vobis ulterius confitebitur, ut sibi commisi. Vultis in hoc esse contentus, & super hoc me absolvere? quia nimis sum infirmus. Et dixi: Ita libenter. Et adjeci: Supprior noster petit, ut sibi & omnibus Fratribus ignoscatis; quia Pater eorum fuistis; si in aliquo vos offenderunt. Respondit: Valde libenter. Et dixi: Vos etiam rogatis me ex parte omnium, si eos offendistis, ut vobis id ignoscant? Respondit: Etiam libenter. Tunc vocavi omnes, qui foras erant, dicens, ut mihi afferrent formam absolutionis in extremis. Cumque eam cunctis audientibus legissem, & illa verba, *Ego te absolvo*, finivissem, statim sine mora oculos aperiens sursum respexit, & spiritum exhalavit. Tunc unus sacerdotum dixit: Ecce quam lætanter Pater noster ad cœlum respicit. Cui alter Sacerdos respondit: Videtis, quia moritur. In nullo in morte fuit mutatus in facie & colore, nisi quod sursum lætis respexit oculos. Dixerunt ergo omnes, quod mori non potuit, nisi à me prius fuisset absolutus, quia tota nocte clamaverat: *Pater curre, Pater veni, quia te exspecto*. Spero, quod Deus post absolutionem nostram regnum sibi donavit æternum, sicut ante professionem sibi promiseram; quia usque in finem vitæ suæ sub obedientia vera permansit, vivus & mortuus; & quasi miraculum habuerunt à Deo, quod tam diu agonizans mori non potuit, qui post nostram absolutionem statim emisit spiritum. Et tunc ibidem in Ecclesia infra chorum Monialium cum debita solennitate traditus est sepulturæ.

CAPITULUM XXIX.

De Fide laico nostro tentato.

Fide laicus sartor, de *Hagen* terræ Comitatus de *Schöwenborg* oriundus, venit ad nos in Sultam emendationis vitæ gratia propter animæ suæ salutem, vir proceræ staturæ; non levis in moribus, sed satis seriosus & maturus. Officium sartoris longo tempore custodivit, & videns, quod coquos ad nutum & Monasterii nostri utilitatem habere non potuimus, ipse idem officium de mandato nostro arripiens, longo tempore id nobiscum exercuit, habens sub se juvenem mercenarium, qui ollas, patellas & scutellas quotidie lavaret & reponeret, sibi in adjutorium esset. Deinde animadvertens, quod braxatorem & pistorem, nobis bene convenientem, non habuimus, etiam illa didicit officia, & magister in eis factus, usque in finem vitæ suæ illa officia, dato sibi suo tempore adjutorio, diligentissimè custodivit. Multum ergo nobis in præmissis, & in aliis multis officiis, fuit utilis & necessarius. Cumque plus quam per annum fuerat nobiscum, tentatus satis graviter fuit ad seculum redire. Venit ergo mane ad me in cellam nostram, ad ambulandum paratus, vestes & calceamenta ad id necessaria jam indutus, dicens mihi: Pater, de Monasterio isto statim volo exire, nolens hic amplius habitare. Cui respondi: Et quid obest vobis? Vexat vos hic aliquis? unde tentamini? Qui respondit: Hic sunt duo Clerici, unus de *Zwoll Henricus ten Tiner* de Monasterio Montis S. Agnetis, bene doctus & dives, & alter, de *Campis, Fridericus Overstege*, cocus noster. Isti duo omni nocte & vespere in turri

Bbbbbb 3

circa

circa dormitorium conveniunt, udi & Fridericus dormit; & ibi unus docet alium, & tempus inutiliter consumunt. Cocus noster est parum aut nihil sciens: intendit tamen presbyterare, & quia id non possum sustinere, volo hinc recedere; Sed prius volui vobis valedicere. Cui respondi: Ego valde miror de vobis; vos fortis estis viribus, & ecclesias portare possitis venales, & jam unico stramine ad terram prostramini. Quid est hoc dicere? Vultis propter aliorum quæcunque facta bona vel mala Deum deferere, & animam vestram perdere? Et adjeci: Ego bene disponam, quod amplius id dimittant. Sitis ergo in bona pace, & faciatis ultra facta vestra, sicut fecistis. Qui ait: Quando ascendi gradum ante cellam vestram, tunc bene cogitavi: Si ad Patrem ieris, tunc oportet te manere. Sed si ipso infalutato recesseris, tunc poteris abire sine omni impedimento. Cui dixi: Diabolus, qui vos captivum tenuit, non fuit ausus hic intrare: ideoque in via media voluit vos retrahere, sciens, si tentationes vestras manifestaretis, nullam in vobis potestatem retineret. Recessit ergo à me multum bene pacatus, & ita cunctis pene diebus vitæ suæ permansit; magnus claustralis disciplinæ Zelator, quam inter laicos & familiares æquo animo perire non sinebat. Diebus enim celebribus laici nostri post septimam, & ferialibus diebus post octavam, loqui non consueverunt. Hoc ipse strictissime consuevit observare.

CAPITULUM XXX.

De eodem laico tentato.

Fratrater iste *Tielo* factus conversus, aliam gravissimam & multum periculofam incurrit tentationem, occultè eam servans; quam neminem in mundo scire voluit, nec fratrem suum carnalem *Abbatem in Marienrode* Ordinis Cisterciensis, nihil aliud in se sentiens, quam propter illam ad seculum se rediturum. Ego igitur considerans eum plus solito depressiorem, tandem ab eo extorsi, ut tentationem suam mihi revelaret. Qua audita, multis modis & civibus, & apud Deum & apud ipsum, institi, ut inde posset liberari; quoniam spes liberationis ejus ab ea pene fuit sublata. Ego autem non cessavi per piam admonitionem per scripturam sanctam eum quotidie inducere, quatenus tentationis illius abjecta importunitate & vehementia consideret in Deo, qui ab omni malo eum liberaret; & meum in hoc sequeretur consilium, qui nihil, nisi melius suum, ut ipse bene sciret, semper facerem & optarem. Qui tandem animum arripiens firmiorem, & in Deo confidens, omnem illam suam tentationem juxta consilium meum ex toto à se viriliter abjecit, & eam ultra non admisit. Et ita ex integro ab illa fuit liberatus, nec percepi, quod ex hoc tempore unquam habuit sic graves tentationes, nec multum speciales; sed fervens & devotus, & multum pro communi laboriosus, permansit usque ad mortem. Qui quinque seu sex diebus ante mortem suam à me increpatus, quare tam multum laboraret usque ad sudores & fatigationes, respondit: Ideo hic laboro, ut, postquam hinc exiero, tunc ab omni labore & dolore valeam esse liber. *Pesilentia, tunc Hildesii grassante*, ipse est correptus, & ab ea post paucos dies diem claudens extremum, ad meliora cæli palatia indubiè introivit. Ejus tentationem in palam non produco: sic enim ipse me rogavit. Inde tamen non mirari fui miratus, quod tali tentatione Diabolus potuit eum sic irretire; quia extra naturam hominis non fuit; ut Deo prætermisso, ejus (*) voluit voluntatem perficere, & mundum iterum introire, si Deus & vir probatus in sedem priorem eum non restituisset. Nemo ergo suis confidat viribus, Deoque & suis Prælati acquiescat, & non poterit male mori, etiam quantumcunque graviter tentatus.

CAPITULUM XXXI.

De tentatione magni Patris in Clericatu suo *ARNOLDI HULS*, postea Prioris magnifici.

A*rnoldus Huls*, in Clericum assumtus in Monasterio Ordinis nostri in *Frendesvel* prope *Northorn*; ubi in Clericatu gravem incurrit tentationem, ita, quod Monasterium exire deliberaverat. Prior hoc percipiens, libenter eum retinisset, quia spes de eo fuerat, in Ordine eum utilem futurum. Prior ergo, cum verbis simplicibus eum retinere non potuit, ad cellarium suum eum secum sumisit, ubi vipam bonam, de vino factam, eum comedere & bibere fecit. Ipse igitur Patris sui videns humanitatem & charitatem, statim à malo suo proposito resiliivit, & ita paulatim ab omni mala tentatione fuit liberatus. Diabolus enim ante, & in religione in principio, illos multum, & quantum potest, à bono proposito revocare, & Ordinis asperitate deterrere consuevit, quos magnos postea in Ecclesia futuros, multumque fructum in animabus lucrands & salvandis facturos esse prognos-

(*) scilicet Diaboli.

prognosticatus fuit. Clericus enim iste *Arnoldus Huls* magnus postmodum propagator fuit Ordinis nostri in diversis Diœcesibus. Nam & in *Diœcesi Monasteriensi* investitus & professus, in Monasterio *Ezingen in Frisia* Ordinis nostri primus Pater & Rector fuit, plures ibidem ad Ordinem & in laicos suscipiens, & in *Diœcesi Bremensi*. Primus etiam Rector & Pater fuit in *Bodigen* Diœcesis *Colonienfis*, ubi cum eo Monasterium Ordinis nostri Canonico-regularium fundavimus, & Capellam cum domibus sibi conjunctis, de licentia Domini Apostolici, in Monasterium Ordinis nostri ereximus, & plures fratres & laicos ad professionem suscepimus. Prior fuit etiam in *Bodecken* Ordinis nostri, Diœcesis *Paderbornensis*; de quo plura Ordinis nostri Monasteria reformavit aut de novo fundavit, & plura Monialium Monasteria non reformata in Canonico-regularium Ordinis nostri virorum Monasteria perduxit. Ecce quantum fructum in Ecclesia sancta Dei per eum Deus fecit; quod inimicus humani generis libenter impedivisset, si potuisset.

CAPITULUM XXXII.

De Carthusiensibus.

Prope *Wesaliam* supra *Rhenum* fui in *Carthusia*, ubi in investitione Plebani civitatis, Ordinis *Præmonstratensis* Prior nobiscum fuit in prandio, ad singula fercula parvam ex libro legens nobis lectionem, more Principum Secularium, qui singula fercula fistulando sibi mandant apponi: qui dixit Magistro juveni in Medicinis, Vos Domine mulias sæpe bonas habetis tentationes, & à Deo inspirationes ad serviendum Deo, & ad omne opus bonum faciendum. Sed sicut alii malis, ita vos bonis illis tentationibus resistere consuevistis: qui hoc ita se habere publicè confessus est. Prandio factò, cum fratribus in vinum spatium. Tunc unus eorum mihi dixit: ego frequenter cordis & corporis molestias patior & fatigationes, & cum eas vix possum sufferre, dico mihi ipsi; tu in *Nussia* ac alibi bene locum habuisses in Ordine Canonico-regularium; tunc tibi hoc non placuit, modo locum mutare non potes, sed oportet te perpetuo sic remanere, sive dulce sive amarum tibi id fuerit; & nunc doleo multum, quod id tunc non præcogitavi. Alterius *Carthusiensis* Cellam ingressus dixi: frater mi charissime, vos habitetis hic, sicut unus Dominus, quia duas magnas cellas habetis, unam supra aliam. Respondit: ego custos sum Claustris; ideo duas cellas habeo, sed ambæ istæ cellæ aliquando mihi minis sunt angustæ, & nescio, ubi intus vel foras me vertam, quia solitudinem ferre non possum; & tamen oportet, ut me sustineam, quia non est spes, cum sim inclusus, ut ad alium locum religiosum me valeam transferre.

Et inveni ibi fratrem bene religiosum, qui cum sorore patris me *Schwollis* frequentans habitavit, multum mihi familiarem & affabilem, qui onera ordinis competenter bene perferre, & ideo in bona pace semper permansit. *Carthusia* à prima sui institutione semper in observantia regulari permansit, propter tria, videlicet solitudinem, silentium & visitationem. ut patet in hoc versu:

Per tria *So. Si. Vi.* *Carthusia* permanet in vi.

Visitavi in *Carthusia* Patrem mihi dilectum prope *Erfordiam* *Rotgerum*, quondam in *Wittenborh* Priorem qui conquestus mihi fuit, quod dormire non posset. Cui dixi, quod nives in horto suo jacentes, quia hyems erat, prima die in unum colligeret versus orientem; alterâ die versus occidentem; tertia die ad meridiem; quartâ die ad septentrionem: ut ita caleferet, & membra sua usque ad sudores moveret, tunc bene melius dormiret. Duxit me in solarium suum, ubi ligna, quibus per hyemem se calefaceret, in unum usque solarium collegerat. Cui tunc dixi: hodie ligna ista in aliam cellæ vestræ partem ponatis, cras in tertiam partem, post cras in quartam partem domus vestræ; & ita calefactus bene dormietis.

CAPITULUM XXXIII.

De muliere in cœlum ter in hebdomada rapta, ut dixit.

Mulier quædam in *Diœcesi Trajectensi* per annos quatuordecim ter in hebdomade, ut ait, rapta fuit in cœlum, & vidit Deum, Angelos sanctos, Beatam Virginem Mariam, omnes Apostolos & Sanctos, in cœlo existentes. Hæc audiens, vocavi eam ad me, veritatem hujus rei ab ea requirens. Quæ constanter, hæc se ita habere, affirmavit, dicens: Deum vidi & omnes Sanctos ejus, & Plebanus civitatis nostræ *Almarie* ex ore meo sæpius, quæ sibi dixi, prædicavit. Habeo virum piscatorem, cum quo ad exteras partes cum piscibus

bus venalibus sæpius navigavi, & de licentia Pastoris mei in alienis parochiis sæpius communicavi; maxillas meas, cum sanctus ante elevationem Corporis Dominici in missa cantatur, lacrymis persæpe rigavi. Cui dixi, bona mulier, vidistis Deum? Respondit: frequenter eum vidi & omnes Apostolos. Et dixi: quomodo Deus est indutus? Respondit: vos bene doctus estis vir, vos bene scitis, quomodo vestitus est Deus. Tandem per me coacta respondit: Deus in cælo griseam tunicam est indutus. Tunc dubitare cœpi de veritate visionum suarum, dicens: in cælo non sunt oves, ergo nec grisea lana nec alba. Timeo, quod non sit Deus, qui sic vobis apparet: sed Diabolus talia vobis figmenta ostendit, ut decipiat; quæ satis constanter mihi respondit, quod utique Deus esset, qui per quatuordecim annos ter in hebdomade se ei cum sanctis suis manifestavit. Ad aliud sentire eam pro primo inducere non potui. Interrogavi ergo, quomodo ad tales primo pervenisset visiones? Respondit, nutrix fui cujusdam infantis, à parentibus satis divitibus mihi commissi ad lactandum & custodiendum; quem nocte dormiens oppressi, & manè mortuus fuit inventus. Parentes autem infantis hoc audientes quærebant me interficere; unde tantum dolorem concepi, & in tantum timui, ut die ac nocte à lacrymis non cessarim. Unde capitis dolorem incurrens, hanc gratiam à Domino Deo consecuta sum, ut ter in hebdomade præfatas mihi concederet visiones. Hæc audiens, magis ac magis de visionum ejus veritate cœpi dubitare; quæ adjecit, quod Deus tria sibi dixit verba, quibus omnes sacerdotes convincere deberet. Cui dixi: quæ sunt verba ista? Respondit: ante tres annos custos Ecclesiæ scripsit mihi in schedula verba ista, proferens de bursa sua eandem schedulam, hæc verba continentem: *Misericordia Domini me defendet, pietas ejus me custodiet, & Veritas ejus ad vitam æternam me perducet.* Tunc dixi mulieri: nunc video, vos à Diabolo deceptam, quia ista verba sacerdotes non tangunt nec concernunt. Quicumque ea legerit, videt, vos infatuatam. Diabolus ergo est, qui vos seducit. Consulo vobis, ut eum relinquatis. Sic ostendit se *B. Martino* in diademate, tanquam Christus Deus noster esset, sed Martinus eum cognovit, & cum fœtore ab eo recessit. Sic patrem in eremo decepit, dicens, quod in puteum caderet, & mercedem Abraham in oblatione Isaac reciperet; quem Patres vix inde extrahere poterant. Timeo, quod etiam vobis cum viro vestro naviganti dicere posset: projiciatis vos in aquam, & ira Martyrum sanctorum mercedem recipietis. Si hoc aut simile feceritis, tunc statim animam vestram in infernum deduceretis, perpetuò cum Dæmonibus cruciandam. Consulo ergo vobis omninò, ut diabolum istum à vobis repellatis; alias male peribitis. Si mihi vultis acquiescere, dabo vobis consilium, quomodo ab eo possitis liberari. Tandem mihi acquievit. Tunc dixi: vespere, quando visiones istas habere soletis, & vultis ire dormitum, tunc primum legatis in genibus ter *Ave Maria*; & statim calidam bibatis cerevisiam, unum quartale, sicut potestis calorem ejus sustinere sine pane cum modico butyro, quæ bis vel ter exhausta, statim ponatis vos ad dormiendum. Si Deus fuerit, qui vobis apparere solet, bene revertetur: si Diabolus fuerit, ad vos tunc non redibit. Ista ei dixi, ut ipsa in *Ave Maria* haberet confidentiam; ego autem in calida cerevisia. *fi.* warme Jaute vocamus. Et fecit sic. Dormivit ergo per totam noctem *iam* sine omni visione in uno somno usque mane. Unde valde contristata, dixit *joanna* Domicellæ, quæ mihi de ipsa hæc narraverat: feci juxta consilium Patris, & omnem visionem & consolationem divinam, quam quatuordecim annis semper hac nocte habui, nunc perdidit. Cumque mihi ista retulisset, consolans eam dixi, ut summè gauderet, quod à tam malo Diabolo esset liberata. Et quia pauper erat, disposui in civitate Alcmariæ in tribus sororum congregationibus, ut ter in hebdomade noctibus, quando visiones habere consuevit, per integrum annum quartale cerevisiæ sibi darent, ut à præfatis visionibus ex toto posset liberari, ne recidivum per amplius pateretur.

CAPITULUM XXXIV.

PUella quædam quindecim annorum multis visionibus, spiritu quodam sibi apparente, dicebatur consolari; plura de statu animarum defunctorum aliis revelans: scilicet, quod quædam essent in purgatorio; & quomodo per missas, vigiliis, Eleemosynas & alias devotas orationes & suffragia possent à pœnis liberari. Hoc ego audiens, & rei veritatem scire desiderans, & cum illa anima, si vere Christiana esset, loqui concupiscens, rogavi inclusam apud nos ad *S. Catharinam*, filiam confessionis & provisionis nostræ, quatenus eam ad me in Anteclausorium vocari procuraret. Cui ibidem ad unum milliare adveniendi dixi: soror, soletis videre animam alicujus defuncti? Respondet anima fratris patris mei frequenter mecum est, & multa secreta de animabus defunctis mihi revelat. Cui dixi: si eam vidistis, tunc mihi dicatis, quam magna est, & quomodo est induta? Respondit: trium pedum cubitorum altitudinis est, albâ tunica de grosso panno induta, parumper ultra genua protensa; caputium parvum habens de simili panno. Tunc dixi: est jam apud vos? Respondit: non. Dixi: dicatis ei, quod cras, cum hîc ad vos rediero, mihi loquatur, aut ego

ego à vobis eam expellam. Tunc puella cœpit plorare, timens, eam à se fugari. Promisit tamen mihi, quod ei dicere vellet, ut mecum loqueretur. Reversus ad eam in crastino in Inclusorium, dixit, quod spiritus ille libenter mihi loqui veller, si haberet licentiam. Et respondi: si mihi hic non libenter loquitur, tunc nocte aut die veniat ad me in cellam nostram, vigilantem aut dormientem; aliàs à vobis eam repellam: & ita ab ea recessi. Frater autem ejus carnalis, nondum viginti annorum, mecum tunc ivit ad Sultam, dicens mihi in via: soror mea mihi dixit, quod spiritus ille sibi apparens libenter vobis loqueretur; sed timet, si hoc fecerit, tunc Deum rogabit, ut à pœnis liberetur; & sic nunquam posset amplius sorori meæ loqui. Cui respondi: ille fatuus est spiritus, qui de pœnis non cupit liberari. Diabolus est, non anima Christiana, quæ decipit sororem vestram, & eos, qui eam audiunt. Consulo, quod eum à se repellat, & verbis ejus per amplius non intendat, ne eam in fine decipiat, & tandem ad infinita mala perducatur. Recessit ergo ab Inclusorio, & amplius non est illuc reversa; quia deceptio fuit & non veritas, quod per Spiritum illum sibi fuerat revelatum.

CAPITULUM XXXV.

Spiritus quidam domum parentum meorum, me nondum nato, noctibus subintrans, plures illis molestias & terrores inferebat. Cum enim sopori se dedissent, spiritus iste de uno sedili, quod ab introitu domus nostræ usque ad focum protendebatur, saltavit usque ad aliud sedile, quod stabat ante cameram, in qua dormiebant; magnum faciens sonitum ad asseres sedilis. Idem spiritus interdum accepit vestimenta & tunicas de lecto avix meæ, matris videlicet patris mei, de superiori camera, in qua dormiebat sub solario, & posuit eas super focum circa ignem; ubi in opposito sub gradu cameræ jacebant duo pueri, filii matris meæ, frater & soror mei, quos mater mea de primo viro suo legitimo habuit tribus annis; ego autem primogenitus sum patris mei. Mater ergo mea Margareta, gestans me in utero, ut credo, dixit patri meo: non auditis, quantas spiritus iste inquietudines nobis hic facit in domo? Qui ait: nescio, quid dicam. Mater autem mea, metuens infantes suos, in domo sub gradu jacentes, inde turbati & deterreri, aperiens fenestram lecti & cameræ suæ, per eam in tenebris exclamavit & dixit: quis est hic, qui nos omni nocte sic inquietabat? domum istam pecunia nostrâ comparavimus & eam bene persolvimus. Nullus jus aliquod habet in domo ista, nisi nos. Post hæc mater mea intulit: ego per Deum omnipotentem vobis præcipio, cujuscunque anima es, seu spiritus, aut alia Dei creatura, per venerabile sacramentum corporis Christi, & per quinque ejus vulnera, & per extremum ejus judicium, & cætera, quæ mulier sic inopinatè poterat proferre, ut de domo ista recedatis, & in pace nos dimittatis. Quibus dictis, mater mea persensit, spiritum illud ad se propius accedere; si forte vellet eum interrogare, quis esset? quid peteret? & quomodo secum esset? & quomodo juvari posset? sed hoc mater mea facere noluit. Et ita spiritus ille de domo nostra, in qua natus fui, perpetuò discessit, & nunquam auditus aut visus est aliquem ulterius ibidem strepitum commovere.

CAPITULUM XXXVI.

Bronopiæ in Monasterio Monialium prope *Kampis* Ordinis nostri, in domo & habitatione sacerdotum earum, quidam spiritus aliquando in noctibus strepitum magnum fecit, & sonitus ejus fuit, quasi cum malleo magno ad asseres percuteret solarii ante cellas dormientium. Unde non parum territi, ignorabant, quis hoc faceret, cum surgentes neminem viderent, nec malleum nec aliud instrumentum, quod id fieri posset. Tandem frater noster *Joannes Kempis* Rector tunc ibidem, unus de sex primis in Windefem investitis, acceptis secum fratribus suis presbyteris & Clericis, totam circumvit domum illam subtus & supra, & omnes cellas ejus aspergens cum aquâ benedictâ, aspergendo decantans: *Benedic Domine domum istam*, & similia, quæ ad id sibi videbantur congruentia; unde post hoc nunquam strepitus aliquis, sonus aut vox auditus seu visus in ea fuit.

CAPITULUM XXXVII.

Avus meus, pater matris meæ, *Alferdus Grüter*, consul oppidi Zwillensis, hospes Magistri *Gerhardi Magni*, totius Almanniæ reformationis & devotionis inchoatoris & promotoris, dixit vice quadam ad eundem Magistrum *Gerhardum Grat*: filia mea Margareta duodecim nunc aut 13. annorum plurimum infirmatur, & timeo, quod in brevi morietur; respondit: non inde timeatis, quia magnum virum adhuc generabit, & nunquam ex ea filius male peribit. Consuevit enim eam secum per plateam ducere de portâ *Vorß*, ubi tunc avus meus morabatur, ad Magistrum *Joannem Cele* Rectorem scholarum in Zwillis, moram circa

Ccccc

circa

circa cœmeterium majoris Ecclesiæ tunc trahentem. Primum quoque Alphabetum matrem meam docuit: & quia Spiritum prophetiæ verum in multis, quæ prædixit, cognitus & probatus est habuisse, non dubitamus, hæc adimplenda seu impleta, multis profutura.

Ego Juvenis factus scholas frequentans, decem & septem annorum, spiritum conceperam intrandi Monasterium bene reformatum invitit parentibus: sed soror matris meæ, prudens satis. Deum timens & dives, frequenter me ad id hortabatur, ut utique religionem introirem, consilium & auxilium ad hoc mihi repromittens. Cujus libenter sequens consilium, in *Windesem* accessi ad Monasterium Ordinis Canonorum regularium Diocesis Trajectensis, ubi ad habitum & professionem suo tempore à Patribus tunc ibidem benevolè fui susceptus; & usque ad sacerdotium, quod in Colonia suscepti, tandem promotus, primam missam ad quatuor milliaria ultra Coloniam in Monasterio Ordinis nostri *Bodingen* cantavi.

Præfata autem amita mea *Mechtildis Bomgarten* procuraverat mihi, religionem intranti, quinquaginta *scudata in auro*, in valore circa septuaginta *florenos Rbenenses*, & pannum nigrum pro Cappa & Caputio; album quoque pannum sufficientem pro tunicis Superioribus, mediis & inferioribus camisiis, caligis, foccis & pedibus, à quodam marito cognatæ meæ; (mater enim mea & ipsa duorum fratrum filia fuerunt, qui *Ioannes Helia* vocabatur.) Quoniam ista mihi procuraverat, me semper promotum habebat in omnibus; & pene sola me de amicis meis plurimis ad religionem hortata fuerat: idcirco plurimum eam dilexi, & post mortem ejus cordialiter Deum pro ea intercessi. Intellexi autem, de *Bodingen in Windesem* reversus, quod in prima missa mea, quam de S. Spiritu in dominica ibidem cantavi, ab omnibus pœnis purgatorio fuerit liberata, & ad gaudia evolarit æterna. Sit laus & gloria Deo, bonorum omnium piissimo largitori, quod preces fervorum suorum, ferventer eum rogantium, dignatur exaudire. Ista quinquaginta *Franciæ scudata* pater *Joannes Voss*, Prior tunc in *Windesem*, qui me investivit, & post annum ad professionem suscepit, illo tempore sublevavit, & in utilitatem Monasterii nostri convertit. Post mortem parentum meorum vendidi hæreditatem paternam, *triginta talenta* annuatim, & domos lapideas; unde proconsules oppidi nostri literas sigillatas emptoribus illis super hoc tradiderunt, post meam, ex parte Monasteriorum in *Windesem* & *Depenvene*, ubi soror mea monialis est professa, & ex parte fratris mei secularis, in terra *Juliacensi* commorantis, earum resignationem: & nullus de Consulibus & civibus in hoc mihi contradixit. Pecuniam inde sublevatam cum omnibus utensilibus, Monasteriis præfatis & fratri meo seculari, in tres æquales partes dividendo, præservavi, sine omni cognatorum meorum impedimento. Hoc idcirco hic adjeci, quia in aliquibus *Saxoniæ civitatibus* illam induxerunt *consuetudinem*, ut filii & filia religiosi, hæreditatem totalem parentum suorum accipere non debeant: sed aut consulatus, aut alii amici eorum & fratres, partem non parvam hæreditatum eorum sibi usurpant, *jus municipale*, ut hoc libere facere possint, desuper imponentes, contra canonum sanctiones. A jure enim id & à legibus sub pœnis gravissimis prohibetur, ut in *bullâ* declaratur *Carolinâ*. Imo & filii, qui propter crimina exhæreditari de jure possent à parentibus, si religionem introierint, reabilitantur ad hæreditatem paternam jure recipiendam, ut in *jure Canonico* declaratur.

CAPITULUM XXXVIII.

RES circa me in vestimentis & cappis prædicatas pluribus, in exemplum mortificationis propriæ voluntatis, placuit hic annectere. Novitius factus in *Windesem*, in die Epiphaniæ novam accepi cappam, quæ post pascha data fuit fratri *Wilhelmo Huesden*, qui cum fratre *Jodoco de Brel* ad curiam perrexit Romanam, magna Capitulo nostro impetrantes privilegia à *Martino Papa quinto*, quæ in omnibus nostris habetur Monasteriis. Unde in festo Exaltationis Sanctæ Crucis sequente, antiquam & multum detritam suscepi cappam, quotidie induendam. Non longè post hoc bonus niger pannus mihi missus fuerat pro nova Cappa & Caputio, & albus pannus bene valens, pro tunicis omnibus mihi necessariis, Camisiis, caligis & pedaliis. Hoc audiens, accessi ad cellam sartoris nostri, interrogans pro panno mihi misso; qui respondit: pannus iste niger & albus nobis missus, aliis fratribus pro cappa, caputio & tunicis deputatus est. Si inde habere vultis duo pedalia, potestis accipere; aliud inde non habebitis. Hoc audiens, dixi bono & quieto animo in nullo commotus: Si aliud inde habere non debeo, date mihi duo pedalia, & bene sum contentus; & fecit sic. Habitavi in *Bronopia* cum Monialibus Ordinis nostri, reversus de ultra Coloniam, tribus annis; unde non parvum conscientie meæ passus sum remorsum, quod Ego adhuc tunc juvenis sacerdos, tempus meum ita deberem consumere. Vidi enim fratres meos in *Windesem* Conventuales, die ac nocte chorum, refectorium & dormitorium frequentantes; tam altè in cælo, & me tam bassè, quod eos in cælo vix poteram videre; quia, cum eram juvenis, deberem quotidie multa promereri in regulari observantia, in cordis rigore, & in propria voluntatis & nature meæ mortificatione, quod apud Moniales facere

facere non poteram (quia quod volebam, penè faciebam) nisi quod in die aliquam missam celebrabam & horas Canonicas legendo persolvebam. Rogavi ergo Priorem nostrum in Windefem *Wilhelmum*, virum strenuum & Zelosum, ut ad Monasterium mihi redire liceret: qui, ad instantiam Priorissæ & sororum ibidem, mihi distulit consentire, quia Magister eram fabricæ Ecclesiæ suæ magnæ, cui tectum superponere tunc adhuc debebant. Super quo procuratorem nostrum, *Gerhardum Naeltwic*, virum sanctum consulens, audivi; frater qui libenter esset in conventu suo, & ex obedientia cum Monialibus cogitur habitare, credo, quod à Deo bonam recipiet mercedem. Ad tempus, ergo ibidem tunc adhuc permansi: Conscientia autem meâ intra me non quiescente, obtinui tandem à Priore meo, ut ad proprium Monasterium mihi redire liceret: ubi non longe post tribus penè annis sacrista factus, ornamenta Ecclesiæ nostræ & custodiæ in sexaginta aut octoginta pene florenis emendare procuravi. Recedens autem à Monialibus præfatis, bonum valde dederunt mihi pellicium, quod plus quam triginta annis usque hodiè portavi, & novam bonam nigram cappam magnam & latam à sartore nostro in Windefem mihi in Bronopia factam; quam cum in Windefem per aliquot dies in adventu portaveram, venit ad me vestiarius noster, Frater *Ludolphus Campis*, vir proceræ staturæ, dicens: frater *Joannes*, licentiam habeo à suppriori nostro, quia Prior noster domi non erat, ut detis mihi cappam vestram novam, quæ vobis nimis longa est, & recipiatis cappam nostram antiquam, quæ mihi nimis brevis est. Tunc cœpi primum cogitare: frater iste junior me est ætate & in religione: facite etiam rectè, ut hoc à me requirat? & iterum cogitavi, vis jam fieri propter cappam istam proprietarius, retinendo? & statim animo quieto & bene deliberato tradidi ei cappam nostram magnam novam & valdè bonam, & recepi cappam ejus antiquam, detritam, & fila singula ostendentem. Unde non parvum gaudium in corde concepi, quod ita in cappa illa resignatus fui. Poteram enim unum verbum Suppriori nostro aut Priori inde dixisse, & eam bene retinuissem; Sed sensi notabiliter, quod in tali voluntatis propriæ resignatione & in similibus Deus, remunerator omnium bonorum, magnam in multis bonis mihi gratiam retribuit in interiore pace cordis, & in bonâ omnium mihi necessariorum copiosa provisione, semper usque in præsentem diem. Nunc notabile factum enarrabo contra eos, qui bona non sua, violenter diripiunt & ea non restituant.

CAPITULUM XXXIX.

Magistro *Gerhardo Magno* adversus alienarum rerum & bonorum raptores, spoliatores, appetitores ac detentores sermones sæpe faciente, quod hujusmodi homines animarum suarum inimici sunt capitales, æternis incendiis concremandi; verissimis hoc volens comprobare factis & Exemplis; suis familiaribus & amicis frequentius enarravit, quod de consulibus *Oppidi Daventriensis*, Spiritu Sancto id sibi revelante, cognovit. Ex Daventriæ, inquit. Consulatu infra viginti annos nullus, de Consulatu defunctus, ad regnum pervenit cælorum, sed ad infernum omnes de eis mortui descenderunt pro eo, quod bona Ecclesiastica, decimam videlicet quandam & alia quædam bona, Canonicis Ecclesiæ Sancti *Lebuini* ibidem cum omni jure suo pertinentia, contra Deum & justitiam per propriam potentiam violenter abstulerunt, & ea dictioni Civitatis suæ perpetuo assignare præsumperunt. Unde non solum ipsi, sed omnes eidem in hoc consentientes, pari pœnâ sunt multati. Quo contra scriptum est ex ore Dei: non sequaris turbam ad faciendum malum. Unusquisque enim eorum in solidum ad restitutionem ablatorum tenebatur, juxta juris dispositionem. Ecce, quanto timore & pavore Prælati animarum, & seculi hujus judices, conscientiam suam illæsam servare cupientes, populum sibi subjectum in via Dei bene regere sunt astricti, quos sequela partis majoris ad malum faciendum requisitos, à peccato & damnatione perpetua non poterit liberare. Interrogatus idem magister *Gerhardus Groet* de patre suo, qui etiam ibidem unus aliquando fuit Proconsul, respondit: pater meus, videns quosdam, in honore & judicii potestate constitutos, amore, odio, sive pecunia, à vero declinare, & in sinistram partem se flectere judiciumque pervertere; prudenter & cautè inde se subtraxit, consulatus dignitatem, data pecunia ad id assignata, spontè resignando. Hæc ipsa *Dominus Henricus de Huxaria*, qui ejus fuerat confessor, sapius mihi enarravit, & plura his similia, in quibus, eum verum prophetiæ Spiritum habuisse, ad oculum probavit. Videant ergo Monasterium & Ecclesiarum bonorum ablatores & detentores & violenti oppressores, consiliumque & auxilium ad id tribuentes, ut, dum adhuc vivunt in humanis, ablata injustè quantocyus restituant; & se ipsis Monasteriis & Ecclesiis citius reconciliare festinent, ne justo Dei judicio in perpetuum condemnentur, propter pauca temporalia bona, citius peritura, animas suas immortales perpetuo victuras, Dæmonibus tradentes æternis ignibus concremandas. Quod Magister *Gerhardus Magnus* Spiritum habuit prophetiæ, idem *D. Henricus* in multis fuit expertus. *Dominus Joannes Ruusbrock* in *Viridi Valle* Monasterio Ordinis nostri in Brabantia, vir bonus & valde religiosus, ibidem

ibidem Prior, cum obisset & ad cœlestia regna emigrasset: hoc Magister Gerhardus in Spiritu recognoscens, campanas in Daventria solenniter fecit compulsari, pro felici ejus transitu ad gaudia sempiterna.

Daventrienses sæpius haberunt inimicos *de antiqua Isela Domicellos*; & quando terram eorum voluerunt invadere, suosque & sua rapere & spoliare, hoc Magister *Gerhardus* eis prædixit, quatenus in illis & illis locis, ubi erant venturi, sibi providerent; & hoc modo Daventrienses à damno rerum & personarum sæpe liberavit. Quæ etiam avo meo de matre mea, & de filio ejus prædixit, antequam conceptus & natus eram, vidimus realiter adimpleta; & plura his familia scripta sunt *in libro de vita & conversatione sua sancta* & prædicatione ejus utilissima ibidem.

De magnis terrarum Principibus, quæ bona & mala fecerunt, & quæ poena eis interdum imprecata fuit.

CAPITULUM XL.

De Domino HENRICO BRUNSVIGENSI DUCE, qui petiit Monasterium Monialium visitari, & quid ei fuit responsum.

Dominus *Henricus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis* misit pro me, rogans, ut visitare vellem Monasterium Monialium *in Stederborch* Ordinis nostri propè Brunswick ad unum milliare; cui tandem in castro suo *Wulvesbütel* dedi consensum cum Priore *de Hamersleve Everhardo*. Quo facto ad prandium me invitavit; cui respondi: Ego de vaccâ aliis raptâ & ablatâ comedere non consuevi. Respondit: in quatuordecim annis interim, *quando veni de Hassia*, vaccas non rapui, sed cotidie rapio pecuniam, cum qua vaccas comparavi. Voluit autem visitationi nostræ ibidem per se aut suos interessè; sed hoc non permisi. Dux autem circa solis occasum à nobis volens recedere, valedixit nobis. Cui dixi: Domine Dux, libenter haberetis, quod sanctimonialia ista, regulam suam servando, ad regnum cœlorum pervenirent; sed vos tamen ire vultis ad infernum. Qui respondit: Ego tam benè ad regnum cœlorum volo pervenire sicut vos. Dixi, non contradico: sed ego ibi, quo Dominus voluerit; & vos peribitis ad infernum. Respondit: unde hoc scitis? dixi: qui dicit, quod ire velit ad terram sanctam Jerusalem, aut ad Curiam Romanam, & iret in Angliam aut Norwegiam, non perveniet in terram sanctam, nec ad urbem. Vos dicitis, quod libenter velitis venire in cœlum; sed transitis per viam, quæ ducit in infernum. Tunc ait: postquam hîc visitastis, tunc ad castrum meum veniatis; & si ibi tunc me non inveneritis, tunc dicatis Domine meæ Ducissæ, si quid habetis contra me. Completa igitur visitatione, accessi cum Patre *Everhardo, de Hamersleve Priore* ad castrum *Wulvesbütel*, & non invento Duce, dixi ad Ducissam *Helenam, sororem Domini Ioannis Ducis Clivensis*: gratiosa Domina, dixi Domino vestro Duci *Henrico*, quod ibit ad infernum; & videtur mihi, quod cum eo ire vultis in infernum. Respondit: *plures in inferno platta inveniuntur quam galeæ*. Et miratus fui tam subitum ejus ad hoc responsum; sed prudens satis est, & scit bene quid loqui debeat; & adjecit: quid tamen habetis contra Dominum meum Ducem? respondi, illa & illa violenter aufert à Monasteriis etiam reformatis, & de Ecclesiis collegiatis. Respondit: hoc facere possunt procuratores & provisos ejus: ipse nihil inde scit. Si sciret, invitè faceret. Ego tamen bene scivi contrarium, sed pro tunc ulterius filii; quia nihil profecissem, si Duci, quod mihi in eo displicuit, personaliter non dixissem. Contigit in Monasterio Monialium *in Stederborch*, ut Monialis quædam diceret, se in extasi mentis raptam in cœlum; ubi Dominum Jesum in magna, ut ait, vidit claritate, beatam Virginem Mariam, infinitos Angelos & Sanctos. Cum hoc Ducissæ, compatriotæ meæ, in castro suo recitasset, respondit: mirum est, quod Diabolo creditis, qui ipsi hoc ostendit. Si non essetis sacerdos, tunc meritò comburi deberetis. Cui respondi: visio ejus esse potuit à Diabolo, & potuit etiam esse à Deo & bono Angelo, seu ex natura propriâ; & quam diu aliquid boni inde sequitur, quare illam ad bonum non interpretarer? Cumque mihi non acquiesceret, sed diceret, me comburendum, nisi crederem, Diabolum ipsi apparuisse; dixi: Ego pedem meum ponam apud pedem vestrum; aut ego vos comburam, aut me comburetis. Non videtis, quod sum sacerdos; quomodo audetis vos opponere sacerdoti? Ego omni die in cœlum trahi consuevi, ubi Deum video & omnes Angelos, beatam Virginem & omnes Sanctos; ubi loquor cum Deo, & Deus ita verè mihi respondet, sicut Evangelium verum est. Tunc ait: hoc ego bene credo, quod Deus respondet vobis per Evangelium. Et dixi: si ego omni die sic elevor in cœlum, quid mirum, si monialis ista semel tracta fuit in cœlum? Ibi duo, presbyter & presbyterandus stabant in atrio, propter altaris ibidem dedicationem, ad vespervas cantandas; quibus Ducissa dixit: Pater iste dicit, se in cœlo Deum & Sanctos videre; quid vos ad hoc dicitis? respon-

respondit presbyter: *Moyſes* figuraliter vidit Deum. Cui dixi: non figuraliter sed substantialiter vidit Deum. Tunc ait: habeo pulchras super hoc B. Thomæ quaestiones. Respondi: Thomas dicit, sicut Ego. Videns Ducilla, quod convici sacerdotes, inde se subtraxit, timens à me comburi. Item vocavi eam saepe *Dominam*, sed respondit, non sum Domina; putans, Abbatissas & Priorissas duntaxat Dominas vocari, sicut in pluribus audierat Monialium Monasteriis. Tunc dixi, Domina vocatur eine Frauwe. Non vos estis ergo mulier? forte vocamini *gratiosa Domina?* respondit, verum est.

CAPITULUM XLI

De Marchione Brandenburgensi.

Dominus *Fridericus Marchio Brandenburgensis, Elector Imperii*, in die sancto paschæ cum quatuor Comitibus & duobus Doctoribus quodam tempore fuit in castro Domini Magdeburgensis *Gevikenstein*, & misit Comites de Anholt, *Adolphum & Gerbardum de Servis* (*) ad me in Novum Opus Hallis, rogans, ut ad eum veniens secum cœnarem. Quibus respondi: volo primum vespertas in tam sancto die cum conventu decantare; quibus finitis, ivi cum eis, duobus Doctoribus, qui mecum erant, coassumtis, *Magistro Thoma, in Medicinis egregio Doctore*, cui similem in facultate suâ Alemannia dicitur non habere, & *Magistro Willikino Doctore Decretorum*. Cumque in castrum ad aulam pervenissemus, clamavit ad me Marchio Brandenburgensis, dicens: Domine Præposite, beneveniat; venite ad aquas & lavamini ad cœnandum. Cum omnes loti fuissetis, cantaverunt omnes totâ curiâ carmen paschale in Teutonico alta voce: Christus ist uperstanden von der Todten Hande (**); deſs ſollen wir alle froh ſeyn, Gott will unſer Troſt ſyn, Kyrieleis. Postquam trina vice id decantassent, ad mensas ascendere se parabant. Tunc dixi Marchioni: jam benedicite cantastis, quis dabit nobis benedictionem? respondit, nos fecimus, quod nostrum est: faciat jam, quod vestrum est. Tunc dixi, Benedicite, *Hec dies, quam fecit Dominus, exultemus &c.* pro temporis congruentia. His finitis, ad mensas conſedimus, omnes quinque Comites soli, ego & quatuor Doctores soli; deinde omnes alii collateraliter pariter. Cœna finita, quia Dominus Magdeburgensis non fuit præſens in castro, ego cum Marchione ad commodum ivi Archiepiscopi, & pene per horam solus cum eo locutus fui; & videbatur mihi, quod valde prudens & astutus erat. Dixi ergo ei: Si Dominus Magdeburgensis & Dominatio vestra essent unanimes & in factis vestris concordēs, nullus Princeps auderet vobis & vestris nocere. Quia, si aliquis Principum vos & vestros subditos terramve vestram invaderet, depopularetur aut vestros captivaret: tunc, militibus, vassallis & subditis vestris in unum convocatio, damnum nobis illatum proponitis, eorum super hoc consilium requiringdo. Unus respondet, Ego cum decem equis occurram vobis; alter dicit, ego cum viginti equis veniam: tertius cum triginta; quartus cum sex vel octo, & sic ulterius; singuli juxta facultates suas; dicentes: tale damnum ille Princeps vobis intulit; nos in duplo majus damnum ipsi inferemus. Tunc Dominatio vestra respondet: qui tale consilium daret nobis, ut nemini damnum inferemus, & tamen cuncta ablata nobis in integrum restituerentur, utique melius esset consilium. Quando D. Magdeburgensis & vos essetis concordēs, nullus hîc in terra Princeps esset, qui vobis auderet resistere. Si Dominus Magdeburgensis semper sequi vellet consilium *Marschalci sui Advocati* cæterorumque Consiliariorum suorum, tunc nunquam haberemus pacem in terra. Oportet ergo, quod ipse summus suus sit Consiliator. Bonum est, ut ipsos audiat; tamen melius est, ut eos ad suum sanius consilium verbis prudentibus & persuasivis inducat. Tunc Marchio respondit: Non habeo in terra mea, qui de hujusmodi rebus me informet. Promitto vobis, quod consilium vestrum libenter sequi volo. Ego jam pauper sum Dominus; si juxta consilium vestrum me rexissem, dives Dominus jam fuisset. Obsedi enim in brevi civitatem, ubi multos bonos viros & plurima bona amisi. In brevi ad vos volo redire, & latius de hujusmodi materia vobiscum conferre. De multis aliis devotis materiis, de Deo, de missis, de bona conscientia, & cæteris similibus, tunc sermones nostros protraximus. Unde miratus fui, quod tam clarum habuit intellectum; in quibus omnibus prudentiam ejus consideravi. Domino etiam Magdeburgensi Archiepiscopo domum reverso narravi pro missa Marchionis mihi facta, in quibus bene sibi complacuit.

Duo fratres, Saxonix Duces, *Fridericus Marchio Misnienſis, & Wilhelmus Landtgravius Thuringia*, lites inter se habuerunt de terræ suæ divisione; quia æquales esse voluerunt in paternâ possessione. Pater horum primum Dux Saxonix non fuit: sed quia viriliter egit,

Ccccc 3

etiam

(*) Zerbû, Servesta. (***) f. von des Todtes Banden de vinculis mortis. Hodie nescio cur mutata veteri cantione canitur *von der Marter alle*, ubi nec sensus nec prosodia tam bene convenit. Cum tamen & in alia cantione veteri habeatur: *Christ lag in Todtes Banden, Für unsre Sünde gegeben, Der ist wieder erstanden, Und hat uns bracht das Leben.*

etiam ultra vires suas, contra Regem Bohemæ hæreticum & suos complices; & verus Dux Saxonæ de *Lautenburg*, frater Magni Episcopi Hildesienfis, bibulus & potator fuit: *Sigismundus* Imperator potentissimus tulit ab eo Ducatum Saxonæ, & dedit illum Margravio Misnienfi patri istorum fratrum *Friderici & Wilhelmi*, & quamdiu ex toto in paterna hæreditate non sunt divisi, nomen Ducis Saxonæ retinent utrique. Marchio igitur Brandenburgensis partem tenuit Landtgravii Thuringiæ *Wilhelmi*, & non fratris sui *Friderici*, qui senior eorum fuerat. Convenerunt igitur in unum in oppidum Dominorum de *Anholt* (*), *Servis* nomine, omnes terræ nostræ Principes, ad pacificandum fratres, illos duos; & quando Marchio Brandenburgensis ibi audivit, quod sibi non placuit, tunc equum suum ascendit, volens inde recedere. Sed Dominus Magdeburgensis revocavit eum, dicens: scitis, quid Domino Præposito Novi Operis promissistis? respondit: ita, & statim de equo descendit, & fecit, ut voluerunt. Post hoc junior Dux *Wilhelmus* terram senioris fratris sui invasit; & Marchio Brandenburgensis, hoc audiens, missam audierat in oppido fratris senioris. Inde exiens, ignem in oppidum id sagittavit & totum combussit. Unde viri, calorem illum non sufferentes, dederunt se inossatum civitatis; quos sagittis perfodi jussit, non miseratus eorum humanitatem. Et alia quædam mala per servos suos *Bohemos* in corpore Dominico dicitur perpetrasse. Quod ego audiens, valde malè de eo fui contentus. Comes de *Anholt Adolphus* venit ad me in Magdeburg, quando Cardinalis ibi synodum provincialem congregaverat, dicens mihi: Domine Præposite, quid vultis demandare Domino *Friderico* Marchioni Brandenburgensi? Respondi, quod Dæmones eum debent in ignem infernalem suspendere, capite deorsum & pedibus sursum. Tunc quidam vasallus, stans retro Comitem, dixit: Deus tamen est misericors. Respondi: Deus tam misericors non est, quod possit Marchionem *Fridericum* salvare. Et ita à me recesserunt. Posthæc idem Marchio ad curiam Romanam perrexit; cui Papa *rosam* dedit in Dominicâ Latere; & ulterius perrexit ad *terram Sanctam* in Jerusalem. Tunc dixi: si pro satisfactione peccatorum suorum illac ivit, tunc in gratiam eum recipio, & vitam æternam concedo: si pro laude humana hoc fecit, tunc tamen recipiet, quod promeruit. Demum post plures annos de *Windesem* in Saxoniam reversus, in prandio comedi cum Domino *Friderico* Magdeburgensi Archi-Episcopo in castro suo *Calpis* ex sua scutella; cui inter cætera dixi: quomodo tecum stat in amicitia Dominus *Fridericus* Marchio Brandenburgensis? Respondit: valde benè; si aliquid ab eo peteretis, libentissimè faceret; & adjecit, eum dixisse: Pater ille satis durus mihi est. Et scio, quod gavisus esset, si mihi ante mortem semel loqui potuisset. Qui, Marchionatu resignato, Monasterium dicitur introisse, & ibi tunc in brevi vitam finivisse.

CAPITULUM XLII.

De Duce Holfatiæ & Consulibus Lubbeckæ.

Consulatus Lubicensis tenuit in vinculis virum spectabilem, animosum & bellicosum; *Conradum van der Lucht* nuncupatum, qui, ut Proconsul Lubicensis supremus, Dominus *Iobannes Colman* mihi dixit: in una camera secum habitavit, plus quam mille marcas habens in prompta pecunia; qui & ipse intentionem habuit Duci Holfatiæ serviendi, quia *Comites Holfatiæ & Duces de Schleswick* lites tunc habuerunt cum *Rege Dania*: & ipse Proconsul hoc ei dissuasit, dicens: Principum amicitias non diu durare; sed leviter aliquid, ad aliorum malevolorum suggestionem, contra hominem etiam fidelem inveniunt, unde post multa beneficia ipsum abjiciunt & à se repellunt. Cujus non acquiescens consilio, ad *Comites Holfatiæ* se dedit, & *Campiductor* eorum factus, bellum instauravit contra omnes eorum adversarios, & civitatem *Flensborch*, quæ erat Regis Daciæ, obtinuit. Proconsule ejus in domo sua audacter occiso. Postquam Dux de *Schleswick* & Comes *Holfatiæ* Dominus *Adolphus* pacem habuit de inimicis suis & bonam victoriam, exaltare voluit *Conradum van der Lucht* pro fideli labore suo; quia Duces, Comites, milites & servi, omnes tempore belli obediebant *Conrado van der Lucht*, ut Dux *Wilhelmus Brunswicensis*, qui interfuit, mihi enarravit. Sed hoc invidentes milites & terræ illius majores, quod homo plebejus, de villa *Güesdorp* Diocesis Hildesienfis natus, dominari super eos deberet: tantum Duci *Adolpho* suggesserunt, ut eum de terra sua expelleret; ipse vero, quia laboriosus erat & astutus, Ducem citavit coram sede libera in *Westphalia*, qui in Holfatio habitans hoc pro nihilo reputavit. Sed Dux *Wilhelmus de Brunswic*, qui est in judicio illo liber scabinus, dixit ad Ducem *Adolphum*: si perveneritis in *Deventer*, tunc, quia liber scabinus sum ibidem, oportet, quod in primam arborem aut repagulum inventum vos suspendam, aut alii liberi scabini me suspendent. Dux *Adolphus* hoc audiens, rogavit consulatum Lubicensem, ut eum sic tenerent, ne in tale mortis iudicium perveniret. Consulatus ergo, qui *Conrado van der Lucht* salvum dederant conductum pro-

(*) Zerbst.

progredi quocunque vellet in suo districtu, ad petitionem Ducis Adolphi ipsum in civitate sua apprehenderunt, & in carcerem civitatis posuerunt sub arcta custodia. Multi autem in civitate, Conradi cognoscentes innocentiam; quia & amici ejus fuerant, plurimum ei condoluerunt, sed nemo contra senatum loqui audebat. Ego autem, quia mecum in Sulta cognatum ejus habui sibi penè proximiorum, perrexi cum eo, scilicet Fratre *Ioanne Olsinck*, ad civitatem Lubecensem: ubi accessimus ad Consulatatum, & petivi, dicens: audivimus, quod habetis hic in vinculis virum quendam, cujus Frater noster proximus & cognatus. Petimus nobis eum dari: nos volumus ei sumtus dare, & cætera sua necessaria cunctis diebus vitæ suæ. Quo audito, libenter me audierunt, & vinum in Consulatatu nobis propinauerunt. Cumque omnes in sedentes bibissent, Proconsul dixit, quod loqui mihi vellent. Direxerunt nos interim ad latus Consistorii eorum, ubi origo Civitatis illius erat depicta. Qui habito consilio, responderunt nobis, quod duobus de consulatatu commiserint, id nobiscum tractandum. Qui ad nos venientes, dixerunt, quod sine Domino Duce nihil in illo negotio auderent attentare; & quia Consiliarius sive Cancellarius ejus jam esset in civitate, cum illo loqueremur: ille Duce referret omnia, & Ducis voluntatem nobis remanderet; & fecimus ita. Dux ergo remandavit, ut ad eum in *Zegebergen* veniremus; ubi multum gratosè suscepti sumus in Monasterio Ordinis nostri ante eorum reformationem. Dux ergo descendens de castro cum multis equis, 30. vel ultra, præmisit nuntium suum, rogans, ut ad eum veniremes foras cæmeterium Ecclesiæ, quo erat protransiturus. Ego autem in subtili & caputio cum fratre meo occurri ei. Videns autem me, descendit de equo, chyrothecas è manibus exuens; & caputium sive pileum de capite deponens, dixit mihi, post benignam salutationem & manus porrectionem: Domine Pater, quod est vestrum desiderium? tunc breviter dixi sibi intentionem meam & Consulatatus Lubecensis. Respondit breviter: ego vadam ad castrum meum *Goddorp*; nocte eo in monasterium *Bardisholme*. Cum rediero in brevi, vobiscum volo de his conferre & concordare de omnibus. Unde pro tunc fui contentus, dicens, quod sequenti die etiam pergere vellem in *Bardisholme*; qui respondit: Ego disponam, quod ibi vos bene tractabunt. Sic à nobis recessit, & in crastinum Præpositus de *Zegebergen* cum curru suo misit nos in *Bardisholme*, ubi gratosè multum à Præposito & Fratibus fuimus suscepti. Qui dixit: si in *Zegebergen* vos bene tractaverunt, nos, qui duplo ditiores eis sumus, melius vos tractare volumus quam illi; & dederunt nobis Medonem & cerevisiam Hamburgensem in copia, & cibos pene paratos. Dux ergo & nos in *Zegebergen* reversi, de singulis nostris negotiis pariter contulimus. Ipse enim & ego, quasi per horam cæmeterium soli circumeuntes, conclusimus, quod infra quindenam ad certum locum voluit venire, & consulatatus ibidem sibi occurreret: tunc finem facere vellet in negotio *Conradi*. Reversus igitur in *Lubeck*, ista narraui duobus illis de consulatatu, nobis deputatis; qui dixerunt: Domine, quis estis vos, ut sciamus consulatui id ulterius denuntiare? respondi: ego vocor Præpositus Monasterii Sancti Bartholomæi in Sulta prope *Hildeshem*. Tunc depositis pileis seu caputiis dixerunt: Domine, parcatis nobis, quia dignitatem vestram ignoravimus; & addiderunt: precamur Domine, quod usque ad illud tempus, à Duce nobis præscriptum, hic remanere volueritis, & illi Dietæ interesse; alioquin parum proficiemus. Quibus respondi: plures jam instant festivitates, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi, & similes, in quibus cuncti religiosi in suis esse debent Monasteriis. Responderunt: si non vultis in civitate remanere, Consulatatus concedet vobis currum & equos, ut ad decem milliaria pergatis, quocunque volueritis: tantum ut ad diem, à Duce constitutum, redeatis. Tunc dixi: quando ad Consulatatum venimus, tunc videtur vobis, quod duo Monachi veniunt, & super dorsum vobis loqui debemus. Responderunt: nos omnes religiosos libenter audimus, & præsertim vestram paternitatem; quia negotium vestrum totum concernit consulatatum. Tunc unus eorum *D. Ioannes Hoefman* dixit: ego darem togam meam, vario bene foderatam, quod *Conradus van der Lucht* de carcere nostro liber exiret. Pro responso dixi eis: vellem nocte deliberare, an possem manere. Mane deliberatus, inde recessi versus *Hildeshem*, hoc ipsum eis denuntians propter certas causas, ad hoc me moventes. Cives autem & Consules audientes, quod palam coram Consulatatu pro *Conrado van der Lucht* locutus fui, ad prandia nos invitaverunt, sollemnissimè nos tractantes. Unus eorum tres marcas pro vino ad unum prandium exposuerat: tot amicos *Conradi* nobiscum invitaverat, cum *Arnoldo de Holte*, in *Bodeken* Priore. Ego tamen principalis eram Præpositus.

CAPITULUM XLIII.

Dux igitur & Consulatatus Lubicensis cognoscentes astutiam *Conradi van der Lucht*, quia contra justitiam & contra saluum conductum eum captivarant, & in carcere tanto tempore delinuerant: de carcere ipsum emittere non audebant, sed usque ad mortem ejus ipsum ibidem detinuerant. Quo mortuo, amici ejus etiam ex parte nostra, Consulatatum Lubicensem citaverunt ad sedem liberam in *Westphalia*, dicentes: Præpositus & conventus in Sulta

Sulta eos ibidem citaverunt, ubi & nobis respondere debuerunt. Audiens hoc Consulatus Lubicensis, miserunt ad sedem illam liberam, ubi citati fuerunt, promittentes, quod voluntatem nostram facere vellent, & nobis respondere *coram Duce Saxonie super pontem Louwenburch*: quia à sede libera in Westphalia appellare possunt ad Ducem Saxonie super pontem Louwenburch; deinde ad Imperatorem. Illæ tres sunt sedes judiciales liberarum sedium. Cum ambæ partes ibi remissæ fuissent, ego veni cum fratre meo *Joanne Olsinck*, assumpto Notario de Luneborch, & cum duobus viris equestribus de Hildesem, in *Louwenborch*, in termino nobis præfixo: & contigit inopinatè, me ibi intrare hospitium, in quo ipsi consueverant hospitari. Post horam venit supremus Proconsul Lubicensis cum alio Consule, & quodam Doctore legum seu decretorum, & Equestribus 30. vel ultra; & audientes, me in eorum hospitium introisse, ad aliud sibi proximum intraverunt hospitium. Vespere autem facta, accessi eum Notario & testibus *ad pontem* ibidem *judicarium*, requirens, an aliquis ibi mihi respondere & satisfacere vellet super impetitionibus, quas habui contra Lubicenses: ubi tunc nemo mihi respondit. Ad hoc Notarium requisivi & ipsum testem in omnem eventum futurum. Die crastina Dux Saxonie in *Louwenborch*, frater Domini *Magni*, Episcopi Hildesienfis, convocavit consulatum Lubicensem & nos, ad audiendum causas & impetitiones nostras & eorum responsa. Doctor eorum dixit ad iudicem: sunt hic præsentès, qui Consulatum Lubicensem citaverunt? respondi: ita; ego & conventus in Sulta eos citavimus. Ait: estis vos superior eorum? dixi: ita. Et ait: quis est hic ex parte conventus in Sulta? respondi: Ego, quia Prælatus & superior eorum sum. Ait: si non habetis literas & documenta, quod conventus vester vices suas vobis commisit: tunc non tenemur vobis respondere. Et dixi: quia probare possum, quod eorum sum Prælatus, tunc in iudicio vices eorum etiam potero de jure servare. Doctor ille nullo modo hoc admisit. Gratis ergo ibi venimus omnes. Dux tamen audire noluit impetitionem nostram, si forte amicabiliter nos posset componere. Cui dixi in omnium præsentia: Nos Consulatum Lubicensem impetivimus *pro millem arcis*, & *pro viro argenteo* & etiam *pro perpetua memoria*; quoniam in *Holfaria* & alibi tanta sibi debebant, & Consulatus fidejussores ejus erant pro duobus millibus marcis. Et quia talem virum in carcere contra justitiam tenuerunt usque ad mortem: ideo virum argenteum pro eo requisivimus, & perpetuam ejus memoriam. Hoc audientes de Consulatu ibi præsentès, non fuerunt deliberati quicquam super hoc nobis respondere aut probare. Tunc dixi Proconsuli mihi noto: fecimus nobis in complacentiam, quia frequenter benè in civitate vestra à multis tractati sumus, quod huc venimus. Cum mediocri summa vobiscum benè concordassem. Si nos causam istam dimittimus, tunc amici ejus seculares eam volunt assumere, & ignorabitis, quomodo ab eis evadere poteritis? Tunc dixit Proconsul: nos sæpius multos habuimus inimicos, civitatem nostram tamen semper retinimus: & ita opere imperfecto relicto inde recessimus. Tamen propter eandem causam curru Lubicenses, de *Francfort* cum magnis mercimoniis versus *Lubeck* tendentes, in Saxonie sunt detenti & spoliati frequenter: unde damnum plusquam mille marcarum sustinuerunt.

CAPITULUM XLIV.

De susceptione Cardinalis in Thuringia, Hallis, in Saxonie, & Magdeburg,
& quæ nobis commisit reformanda.

Cardinalis à latere *D. Nicolaus de Cusa*, Thuringiam ingressus, venit in *Erfordiam*, ubi duo invenit Monasteria reformata, videlicet *ad Sanctum Petrum* Ordinis *S. Benedicti* & *Augustinenses Eremitas*. Invenit etiam ibi octo Monasteria, quatuor virorum & quatuor Monialium non reformata, quorum reformationem plenariam commisit venerabilibus Patribus & Dominis, *Abbati ad S. Petrum*, *Doctori Henrico Lodewici* provinciali Augustinensium, *Doctori Zegeler* Secretario civitatis, & *Doctori Jacobo Hartmanni*, senioribus totius universitatis, & mihi *Joanni*, in Novo Opere tunc Præposito. Etiam antequam me vidit, tamen de nostris reformationibus multa audivit. Commissiones istas in literis ibi reliquit sigillatis: reformatores autem præfati nihil de his inceperunt, donec pro me scriberent *Hallas*, ut per undecim milliaria ad eos venirem. Assumsi ergo *Doctorem Paulum* collegam meum, Præpositum Ordinis nostri ad Sanctum Mauritium Hallis, & ivimus *Erfordiam*; ubi quatuor Patres & Domini prænominati, & nos duo, ad omnia accessimus octo non reformata Monasteria cujuscunque Ordinis, exempta & non exempta. Dominus Abbas & ego in processione primi fuimus, quia majores Prælati: post nos *Doctor Paulus* Decretorum, & *Doctor Henricus* sacræ paginæ, *Doctor Zegeler* & *Doctor Jacobus*, Decretorum Doctores; deinde duo Proconsules civitatis *Erfordensis*; deinde unus vel duo de *quatuor viris*, qui cum Consulatu regere habent civitatem: & nullus nostrum fuit, quin ad minus unum habuit famulum sesequentem. Ita accessimus processionaliter duo & duo ad omnia præfata Monasteria

ria visitanda; & , si Abbas præfens aliquando non fuit, tunc ego solus omnes istos Prælatos antecessi: quia pro consuetudine habent, cum impar numerus est in processione tali, tunc primus solus incedit, & omnes alii, duo & duo, pariter eum sequuntur. Tunc igitur Canonicos regulares perduximus ad observantiam, & quatuor Monialium Monasteria; quæ adhuc in competenti permanent reformatione. Tria vero mendicantium Monasteria, *Minorum, Prædicatorum & Servorum Mariæ* (*) permanent, ut fuerunt. Cardinalis autem, cum *Hallis* advenit, Dominus Magdeburgensis præfens tunc ibidem non fuit: Sed mihi commisit, ut cum omni Clero & populo sibi extra portam occurrerem processionaliter; & cum Consulatu disponerem, ut cum decenti apparatu in equis sibi obviant; quod etiam cum magna gloria, cum centum penè equis, perfecerunt. Ordinavi igitur processionem, ut scholares cum secularibus Presbyteris in superpelliciis cruces & vexilla sequerentur; & post eos tres Mendicantium Ordines, primò Fratres *Ordinis Servorum Mariæ*, deinde *Prædicatorum*, postremo *Fratres Minores*, singuli Ordines cum crucibus suis. Conventus Monasteriorum *Novi Operis & S. Mauritii* Ordinis *Canonicorum* regularium ultimi fuerunt; quos Doctor Paulus & ego, *Almutis* nostris variis circumamicti, in fine sequebamur: & post nos Consulatus & omnis populus virorum & mulierum pedibus incedebant. Cumque foras oppidum *Hallense* inclitum ad Eum, ubi in mulo sedebat, pervenissemus: singuli Clerici & Ordines, suum cantum præcinentes, ei devotè inclinabant, & ad civitatem cum tali melodia, usque in Ecclesiam *Beate Virginis* circa forum, eum perducebant. Cum ergo ipse in mulo suo eminens in processione me vidisset, & ego ad eum prospexissem, satis profundè se mihi inclinavit; ut ex hoc adverterem ejus ad me ex relatu cognitionem & amorem. De mulo igitur suo ante cæmeterium descendens, per me & Doctorem Paulum deductus est in Ecclesiam *Beate Mariæ*; ubi ante summum altare ad genua se posuit, & cantu finito, *advenisti desiderabilis* &c. & *sint Lumbi* &c. Ego collectam subjunxi. Quæ finita, ipse in sede sibi parata, & nos omnes, pariter concessimus. Tunc juxta nostram dispositionem Prior *Novi Operis F. Hermannus Reuen*, stans super sedem stalli unius in choro, brevem fecit sermonem de ejus jucundo adventu, & de spe reformationis Monasteriorum non reformatorum; Et, quomodo *Allemani ter civitatem Romanam ab inimicis suis liberaverunt* & ita Dominus Apostolicus jam tertia vice misit Cardinales, ad eorum promotionem & unionem cum sede Apostolicâ conservandam. Recedentem de Ecclesia, ego & Doctor Paulus Præpositus collateraliter diduximus usque ad finem cæmeterii: ubi totum forum plenum stetit equis, ipsum præstolantibus. Tunc ad me se vertens, rogavit, ut eum in hospitio suo visitarem, quia specialia mecum haberet conferre; & libenter concessi. Deinde ascendens super mulum suum, cum omnibus equitibus illis perrexit in hospitium, à Consulatu sibi præparatum; ad quod ego & Doctor Paulus accessimus, singuli capsam cum speciebus confectis, & stopam vini pretiosi, ei propinantes: Consulatus vero vas magnum cerevisiæ *Nuenburgensis* ei in curru delatum propinavit. Cumque in commodo suo omnes pariter consisteremus, accepit me in partem ante fenestras, manum ponens super collum nostrum; & rogans de Monasterio *Montis Sereni* exempto, quam observantiam regularem observaret? cui juxta sentire meum tunc ei respondi. Interim Doctor Paulus indignatus, quod dimisso consulatu & seipso tam diu mecum solus loqueretur, dixit Domino Cardinali, quod Consulatus eum expectaret, putantes, eum cognatum meum carnalem fore, propter singularem amicitiam mihi ostensam. Tunc ad Proconsules, Consules & nos omnes se convertit, omnibus de bonâ propina sibi data amicabiliter regratiando. Qui indulgentias in certis Christi & *Beate Mariæ* festis sibi concedi suppliciter exorabant; quibus respondit, quod nemini speciales dare vellet indulgentias, nisi Synodo provinciali *Magdeburgi*, in præsentia omnium provincia illius Prælectorum, primitus observatâ. Novem enim, ut æstimo, Ecclesiis, intus & prope *Hallas*, dedit centum dies indulgentiarum, singulis festis Romanis dare consuetis, ad nostram instantiam sigillo suo magno firmatas, perpetuis temporibus duraturas; dicens in publica sessione, tam solemniter *Hallis* cum tanta gloria se fuisse susceptum, præ cæteris locis susceptionis suæ, & gloriose pertractatum. Archi-Episcopus *Magdeburgensis Fridericus* in civitate *Magdeburgensi* in curia sua magna, hospitio eum suscepit; ubi etiam me in cœna retinuit. Ipse Dominus Cardinalis in una parte mensæ sedit; Episcopus, qui cum eo venerat, in parte mensæ altera; & ego in medio inter illos: quibus Dominus *Magdeburgensis* lautè & delicatè cibum & potum procuravit, & ipsi *more Romano* comederunt; aves videlicet silvestres & vina delibuta. Cumque ipsi vel ego cibum capere debuerunt, minister cum magnis cultellis & latis nobis ferviens, aliquando D. Cardinali, aliquando mihi, aliquando Episcopo appofuit, aut jecur de pullo silvestri, aut pectus, aut stomachum, aut aliquid de intestinis; & ita etiam de aliis ferculis. Similiter quando quis nostrum bibere voluit, ipse minister vitrum, cum vino ante nos

stans,

(*) hi sunt qui in Italia *Serviti* appellantur.

flans, nobis porrexit, & post potum reposuit. Ita cum magnâ solennitate ibi comedi: sed cœnâ facta ivi ad hospitem meum, Doctorem in Medicinis *Thomam*, dicens: quod magis famelicus recessi de mensâ Domini Cardinalis quam ibidem adveneram; quoniam non Saxonico sed Romano more tunc cœnavi. Supervenit ad nos Abbas *Joannes de Bursfelda* cœnâ nostrâ facta, cui dixit Cardinalis: quando carnes comedo, tunc istum Patrem invito; quando vero lactinia, tunc vos & vestri Ordinis Patres, ex regula à carnibus abstinentes. Archi-Episcopus Magdeburgensis *subtili* more Romano in præsentia D. Cardinalis etiam in prandio fuit indutus, sicut ipse Dominus Cardinalis: & misit Domino *Halberstadiensi* Episcopo etiam Roquetum Romanum sive subtile, ut illo induto D. Cardinali occurreret in debitâ suâ Religione, more Romano. Episcopus Halberstadiensis simile Roquetum sive subtile misit Domino *Magno*, Hildesienfi Episcopo, quatenus similiter faceret. Dominus autem *Magnus* Hildesienfis Episcopus, à capite usque ad pedes omnibus armamentis suis fortissime armatus, cum terræ suæ vasallis majoribus, & cum multis viris, à capite usque ad pedes armatis, deducebant eum de castro *Steinbrugge* usque ad portam penè civitatis Hildesienfis; ita, ut D. Cardinalis diceret: quis est ille Dominus, à capite usque ad pedes splendidè armatus, qui cum tanta comitiva nobis venit obviam? responderunt: ipse est Episcopus Hildesienfis. Unde plurimum mirabatur. Cumque ad S. Catharinam circa portam civitatis Hildesienfis venissent, Episcopus *Magnus* illam intravit Ecclesiam, & armis exutis, induit longa vestimenta usque ad pedes & superpelliceum desuper; & ita in sua religione induxit Dominum Cardinalem in Ecclesiam majorem Hildesiensem Cathedralē. Quibus clerus omnis & populus, cum magnis laudum & canticorum melodiis, jubilando & præcinendo occurrit; & ita sollemnissime ibidem tunc eum susceperunt, non minime congratulantes, quod ad eos divertere dignatus fuerit. Qui Monasterium Hildesii ad *Sanctum Michaelem* hoc modo reformavit. Abbatem enim D. *Henricum Woltop* illiteratum, provisione competentis sibi, propter sedis Apostolicæ confirmationem, assignatâ, à dignitate Abbatiæ removit; & D. *Johannem Eiken*, in Bursfelda conventualem, virum bonum & bene doctum, in illa confirmavit: cui in regimine successit vir Venerabilis D. *Henricus Berikou*, in Bursfelda etiam professus, multum habens Zelum pro regulari disciplina, & pro diversis Ordinis, sui & aliorum, Monasteriis reformandis & in sancta reformatione conservandis; nec sibi nec fratribus suis sibi necessariis in hoc parcendo, sed propter amorem Dei & Fratrum salutem, eos aliis Monasteriis reformandis in plena dilectione concedendo.

CAPITULUM XLV.

De optimo Zelo Joannis Archi-Episcopi.

Johannes Archi-Episcopus Magdeburgensis, Germaniæ Primas, Comes Palatinus Rheni & Dux *Bavariæ*, vir bonus & doctus, laudabilis vitæ & sanctæ conversationis, primò electus & confirmatus fuit in Episcopum *Monasteriensem*; cujus Diœcesin & totam patriam illam, post longas concertationes duorum ibi electorum Episcoporum, ipse ibidem assumtus in Episcopum, pacificavit in brevi tempore, ultra omnem spem inhabitantium & circumvicinorum; quorum pacem ego desperabam in diebus meis futuram: Tam desperatum multis videbatur negotium; quia proceres terræ illius & convicini Principes, mutuis cædibus & rapinis se vastabant longo tempore, tanquam inimici capitales. Hos omnes prudentia ingeniosa & virtuosâ omnes in unum concordavit, & industria sua bonam & optimam inter eos pacem fecit, usque in præsentem diem perdurantem. Fama bona virtutum ejus ubique percrebescens, commovit Canonicos Ecclesiæ Magdeburgensis, ut post mortem Domini *Friderici* Magdeburgensis Archi-Episcopi ipsum in Archi-Episcopum Magdeburgensem & Germaniæ primatem eligerent. Qui habitâ à sede Apostolica confirmatione, tandem, licet difficulter, consensit, & Episcopatu Monasteriensi relicto, venit in *Magdeburg*, ibique cum gloria & honore magno in cathedram Archi-Episcopatus sublimatus est. Reverendissimus Pater iste *Joannes* Germaniæ primas, ferventissimum habens Zelum pro animarum sibi subjectarum salute, innatamque prudentiam & scripturarum scientiam, optimo modo sanctam reformationem Monasteriorum, à viâ regularis vitæ aberrantium, in viam veritatis reducendi. Monasteria igitur suæ Diœcesis, quæ prædecessor suus ad perfectam perducere non potuit reformationem, tam exempta quam non exempta, ipse cum Dei adjutorio & bonorum hominum consilio, in statum bonum regularis vitæ perduxit, & perducta in esse conservavit; scilicet, tria mendicantium Monasteria in Magdeburgensi civitate, & Hallis ad S. Mauritium Canonicorum regularium: qui quamvis in communi vivere dicebantur, multum tamen à reformatis Monasteriis sui Ordinis in habitu, cantu, statutis & ceremonialibus differre & discrepare videbantur. Hos ad plenam observantiam, sicut in Novo Opere prope Hallas Ordinis nostri longo jam tempore fratres optimè & strictissimè observabant, cum consilio

Confu-

Consulatûs Hallensis & Oldermannorum suæ parochiæ compellebat. Tres enim fratres de Monasteriis nostris in *Wutenborch*, *Richenberg* & *Sulta* ipsis in cunctis agendis præposuit, unum in Priorem, alium in Procuratorem, tertium in Vestiarium ipsis præficiens; Præposito eorum *Doctore Paulo* solo nomine præsentente, & extra Monasterium, ne alios impediret, commemorante. Quos ad rogatum Domini Archi-Episcopi, Ego cum Patribus *de Richenberch* & *Hammersleben* interim sæpius visitavi, ut ita in sancta reformatione eos conservarem. Reverendissimus igitur D. *Joannes* Archi-Episcopus, una cum Præpositis & conventibus utriusque Monasterii, ad Novum Opus extra, & ad S. Mauritium intra Hallas Ordinis nostri, miserunt me in Sulta Priorem jam altera vice, cum certis eorum literis bene sigillatis, Archi-Episcopi & conventuum eorum sigillis dependentibus, quatenus ipsis unionem & incorporationem Venerabilis Capituli nostri generalis de Windesem, per quinquaginta ab eis distans milliaria, impetrarem. Archi-Episcopus prima vice quatuor florenos Rhenenses mihi pro viatico dedit. Præpositi ambo pro vice secunda similiter mihi de viatico providerunt. Sed & commissiones, literatoriè mihi factas, tam ab Archi-Episcopo quam à Præpositis & conventibus præfatis in literis patentibus, Venerabili nostro generali capitulo & ejus definitoribus in Windesem præsentavi, & vivæ vocis oraculo intentionem & desiderium D. Archi-Episcopi, Præpositorum & conventuum ipsorum peroravi: per me adjiciens rationes, quod id denegare, contra sentire centum bonorum virorum, Spiritum Dei Sanctum habentium, merito non deberent: damna quoque non parva capitulo generali, si non incorporarentur, exinde, ut timebatur, allegans subsecutura. Cumque negotium mihi commissum fideliter satis & instanter apud definitores capituli & alios Patres præsentis executus fuisset, ut etiam in literis responsum suarum ipsi testabantur: deliberationem maturiorem susceperunt. Qui negotium istud ab utraque parte ponderantes & maturè perpentes; multò melius fore judicabant certis de causis multum prægnantibus, ut provinciale Capitulum Præpositorum Canonicorum Regularium in Monasterio Novi Operis prope Hallas, juxta mandatum Domini Cardinalis *Nicolai de Cusâ*, & sedis Apostolicæ confirmationem, singulis annis servaretur; quam ut Præpositorum Nominibus depositis, ipsis capitulariter unirentur; tum propter plurimas Ecclesias, singulis eorum Monasteriis incorporatas, per Canonicos Regulares regi consuetas, tum propter Prælaturarum suarum dignitates, quas propter capituli eorum unionem amittere oporteret; tum propter quàm plurima alia, in statutis eorum expressa, quæ eos deponere & immutare contra morem patriæ necessario cogentur; sicut *nec organa retinere, nec hyrceta portare, nec in mantellis incedere seu equitare, nec publicè predicare, nec almutia varia deferre*, quibus omnes ibidem Præpositi & Prælati in festis majoribus, in divinis & extra, frequentius solemnizare consueverunt; & plura his similia. Ideoque consultius judicabant provinciale ibidem capitulum observari, ne forte, si ipsis unirentur, Monasteria quædam Capituli de Windesem eos imitari tandem cogentur, & ita à sancta simplicitate & humilitate, *octoginta annis jam servata*, recedere traherentur seu etiam compellerentur. Instabant ergo apud me, ut bonus essem mediator, & Dominum Magdeburgensem Archi-Episcopum informarem, quatenus eorum sequeretur consilium, & capitulum provinciale in Novo Opere instauraret. Nos in Saxonia Patres capituli de Windesem consilio & auxilio eis succurrere deberemus, & si desiderarent, Capitulum illud provinciale cum eis celebrare, eorumque Monasteria, si ita capitulo illi placeret, etiam visitare seu eorum convitatores ibidem ordinari, donec perfectum ibidem provinciale capitulum annuatim confirmaretur. Et hoc eorum responsum in literâ causâ, Capituli sigillo firmata, Domino Magdeburgensi per me transmiserunt. Ad relationem ergo & informationem nostram, tam Dominus Archi-Episcopus quam Præpositi & conventus Monasteriorum Novi Operis & Sancti Maurii Hallis, de hujusmodi responso bene fuerunt contenti, à Spiritu Sancto hunc putantes exisse sermonem, qui in cordibus tantorum Patrium creditur habitare.

CAPITULUM XLVI.

De Capituli Provincialis Novi Operis reinstitutione, auctoritate Apostolica & Archi-Episcopali, & Consilio Capituli Generalis de Windesem, anno Domini 1471. & 72. celebrati.

Cum igitur in *Festo Exultationis* aut in *Dominica sequente* ante centum annos Capitulum eorum provinciale eodem die celebrari consueverat; ita etiam à D. Cardinali institutum fuit moderno tempore celebrari. Ego per Dominum Magdeburgensem & per Præpositus vocatus, Capitulo provinciali eorum præsidens interfui, & illud per omnem modum & formam, sicut in Windesem servatur, in *Dominica Misericordias Domini*, ibidem observavi. Dominica enim die post Exultationem Sanctæ Crucis in Monasterio Novi Operis post cœnam, per duplicem campanæ Capituli sonitum capitulariter congregati de diversis Monasteriis:

D d d d d 2

steriis:

steriis: Ego cum Præpositis & aliis præfidens, dixi: si quis breves aut literas, Provinciali Capitulo præsentandas, & in communi audientia recitandas haberet, posset jam præsentare. Ego autem schedulas ante conscripsi de fratribus, in Novo Opere & alibi in Capitulo eorum mortuis. Illas tunc præsentaverunt. Tunc subjunxi: jam non restant alia facienda: possumus jam ire. In crastino mane, de Sancto Spiritu devotè cantata missa, per duplicem campanæ capitularis fonitum domum Capituli ibidem intravimus: ubi Frater *Hermannus Renen*, ad B. Virginem Plebanus, in Novo Opere Frater professus, sermonem fecit pro temporis & negotii congruentiâ. Quo finito, ego in eodem capitulo provinciali præfidens, dixi: hic nullus jam interesse debet, nisi membrum fuerit ejusdem provincialis Capituli, & eidem Capitulo subiectus. Quapropter vos, Domine *Erasme*, Præposite Novi Operis, dicatis jam in publico, si vos & Conventus vester subiecti esse vultis provinciali Capitulo Novi Operis? Et respondit, sicut à me fuerat informatus: Ego me ipsum & conventum meum, de consensu omnium nostrum, subicio & submitto provinciali Capitulo Novi Operis. Cui respondi: & nos obedientiam & subiectionem vestram & conventus vestri, provinciali Capitulo huic jam factam, assumimus. Deinde dixi D. *Doctori Paulo*, Præposito ad S. Mauritium: vultis vos & conventum vestrum provinciali huic Capitulo subicere? respondit, stans in pedibus sicut alius fecerat Præpositus: non sum deliberatus, quod me & Conventum meum huic provinciali Capitulo velim subicere. Tunc dixi: Dominus Cardinalis super me, in Novo Opere tunc Præpositum, & super vos ad S. Mauritium Hallistunc, sicut & hodie, Præpositum, istud fundavit provinciale capitulum, & omnem auctoritatem, ad hoc nobis necessariam, in bulla sigillatâ nobis concessit. Si vos retrorsum à reformatione & obedientiâ hujus Capituli vultis recedere, tunc ad statim de Capitulo cum fratribus vestris exeatis; quia membrum hujus Capituli tunc non estis, nec cum vestris tunc estis reformatus. Tunc surrexit, dicens: Ego me subicio Capitulo provinciali Novi Operis, salvis privilegiis nostris. Cui respondi: Ego vobis tollere nolo privilegia, si quæ habetis. Similiter dixit Plebanus ad S. Mauritium, Senior domus suæ, & alius Frater, quem secum de domo sua assumferat. Tunc ego dixi omnibus: qui obedientiam seu subiectionem promittit huic provinciali Capitulo Novi Operis, non promittit obedientiam Monasterio seu Conventui Novi Operis, nec illi se subiecit, sed provinciali Capitulo; hoc est, *definitoribus hujus Capituli ad hoc electis*, qui de diversis hujus Capituli Monasteriis eligi consueverunt ab illis, qui de eodem Capitulo ad hoc eliguntur seu nominantur, & singulis annis, cum plura Capitulum hujusmodi habuerit Monasteria incorporata, immutantur; ita, ut, *quidquid illi definitores observandum determinaverint, hoc omnes persona, illi Capitulo subiecta, omnino observare teneantur*. Et hujusmodi Definitoribus eligi possunt tam de Prælatiis quam de fratribus in eo congregatis. Constat ergo, quod Monasterio & Conventui Novi Operis se non subiciunt, sed provinciali Capitulo, hoc est, Definitoribus ibidem electis seu elegendis. Tunc *animaquiore* facti sunt omnes hæc audientes. Processimus autem in omnibus in Capitulo provinciali peragendis; in brevibus præsentandis pro defunctis exorandis, in precibus, pro ingressu Capituli ante sermonem faciendis, & similibus, prout in statutis nostris continetur. Post hæc ego surrexi, unum nominans electorem definitorum: post me Præpositus Novi Operis similiter fecit: deinde Doctor Paulus, & Prior Monasterii Novi Operis. Electis igitur definitoribus & in publicum pronuntiat, ego certa puncta, ibidem tunc ordinanda, conscripseram, quæ uni dedi, in communi omnium audientia proponenda. Quibus propositis, inde ad prandium recessimus. Hæc autem subiecta in Capitulo provinciali tunc per Definitoribus fuerunt ordinata & conclusa: Capitulum illud provinciale communi concordia & assensu omnium definitorum assumpsit per omnia statuta Capituli Generalis de Windesem, demptis his, quæ sequuntur; in quibus auctoritate Apostolica non tenentur ipsis esse conformes. *Pralati dicunt provincialis Capituli nomen retinebunt Præpositi, campanas magnas & organa in divinis retinebunt officiis, byrretis uti possunt omnes, tam Pralati quam Fratres; publice possunt in Ecclesiis coram populi multitudine predicare; equitantes uti poterunt mantellis, pedestres cappis utantur & caputiis, & non mantellis, nisi de speciali Prælatorum suorum licentiâ petita & obtenta. Item, quando provinciale in Novo Opere servabitur Capitulum, tunc ad minus unus Patrum Saxonie Capituli de Windesem adesse debet, & per Præpositum Novi Operis ad hoc vocari; qui etiam in visitatores eorum Monasteriorum poterunt ibidem ordinari: & quoties Capitulum privatum in Novo Opere debet celebrari; tunc & jam ad minus unus Patrum Capituli de Windesem per Præpositum Novi Operis advocabitur, & quando aliquod Ordinis nostri Monasterium eidem Capitulo infra annum (*) oportet incorporari, & in causis similibus: qui auctoritate Apostolica plenam provincialis Capituli habet potestatem, agendi & faciendi, quæ utilia sunt, pro omnium Monasteriorum, sibi unitorem, utilitate seu necessitate. Præpositus ergo Novi Operis cum suo conventu, & Præpositus ad S. Mauritium Hallis cum suo conventu & omnium illorum pleno assensu vocali; & Præpositus in *Eteriborch* in Thuringia per litteram, suo sigillo nobis missam; Capitulo provinciali isti se subjecerunt: & ipsum statuunt*

&

(*) intra illud tempus, quo Capitulum non celebratur.

& faciunt Capitulum, unâ cum aliquo Patrum de Saxonia Capitulo Windesemensis, donec per gratiam Dei alia Monasteria ejusdem Ordinis sibi uniantur. Ista enim tria Monasteria habent per omnia cantum, habitum, ceremonialia & statuta nostra, prout supra declaratur, & in omnibus sibi sunt conformia. Quoniam autem Præpositus & Conventus ad S. Mauritium Hallis ad hoc difficiles se exhibuerunt, Dominus Magdeburgensis Archi-Episcopus Præpositum sua privavit potestate, ita, quod solo nomine sit jam Præpositus, nihil fratribus suis habens mandare, & de negotiis Monasterii sui nihil se intromittere, nisi pro consilio dando aliquando requisitus. Conventus vero Fratrem *Woltrammum*, in Novo Opere professum, suscepit in Priorem, qui in temporalibus & spiritualibus totum regimen habet Monasterii; Fratrem *Bertoldum* de Richenberg in Suppriorem, & Fratrem *Tilemannum* in Sultâ professum in procuratorem: & per istos tres Fratres Capituli de Windesem per omnia nobis jam sunt conformes, qui regimen habent totius Monasterii illius. Dominus Cardinalis viginti Monasteria Ordinis nostri utriusque sexus huic provinciali Capitulo ordinavit incorporanda, per Saxoniam, Misniam & Thuringiam, quæ Capitulo de Windesem in his partibus nondum sint incorporata, nec plenè reformata, sed per ipsum Capitulum reformanda. Capitulo isto provinciali, ut præmissum est, ita terminato, Ego cum Præposito Novi Operis perrexi ad Thuringiam; ubi visitavimus Monasterium Ordinis nostri in *Etersborch*, bonam ibi inveniētes pacem & reformationem per omnia, sicut in Novo Opere Hallis, in cantu, habitu & in omnibus. Perreximus ulterius in *Erfordiam*, ubi ad rogatum Priorissæ & conventus visitavimus Monasterium, una cum Abbate ibidem ad S. Petrum Ordinis Sancti Benedicti, Domino *Gunthero*, & D. *Henrico Lodowici* Ordinis Eremitarum Sancti Augustini; Monasterium videlicet Ordinis nostri, ad *Novum Opus sive ad Sanctam Crucem* nuncupatum. In reditu inde, cum Prioribus de Richenberg & Hamersleben, nobis Hallis occurrentibus, visitavimus Monasterium *Novi Operis*, laudabilem satis & bene reformatam inveniētes congregationem. Dominus etiam *Magdeburgensis* & præfati Patres satis laudaverunt & approbaverunt ea, quæ in provinciali Capitulo actitata & constituta fuerunt; & coëgerunt totum conventum ad Sanctum Mauritium Hallis, ut bona voluntate, vivæ vocis oraculo, singuli obedientiam promitterent & subjectionem Venerabili Capitulo provinciali Novi Operis; quibus visitatis, ad propria redierunt. Dominus etiam *Magdeburgensis* satis habuit me commendatum, increpans eos, qui sine omni culpa mea cooperati fuerunt ad hoc, ut de Novo Opere recederem; & ad mensam suam me suscepit, ex uno vase secum comedentem, & omnem humanitatem, quam potuit, mihi exhibens.

CAPITULUM XLVII.

Guntherus Magdeburgensis Archi-Episcopus vocavit me, in Sultâ Præpositum, & *Henricum Kremer* in Richenberg Priorem, pro reformatione Monasteriorum Ordinis nostri suæ Diocesis ad *Novum Opus* & ad S. Mauritium. Cumque in mensâ cum ipso comederemus, dixit nobis: mirum est, quod de terra *Rhuterorum*, de Diocesi Hildesimensi, reformatores Monasteriorum nostrorum inquirere & petere debemus. Respondi: quamvis ibidem in castris multi sunt Rhuteri & hominum depopulatores: tamen ibidem boni sunt homines; etiam religiosi bene reformati. Attamen in Hildeshem ante adventum meum ibidem, nullum fuit Monasterium reformatum, præter *Carthusienses*, qui extra civitatem habent Monasterium, & *Marienrode* Ordinis Cisterciensis, distans inde ad quartale milliare. Igitur duos fratres, *Ioannem Bodeker* de Sultâ & *Henricum Fischer* de Richenberg ibi pro reformatione Fratrum in Novo Opere & ad S. Mauritium reliquimus; quibus literam scripsi de Magdeburg, quomodo se ibi habere deberent. Contigit autem, Fratrem Monasterii illius, *Dominum Hermannum* Priorem, Baccularium Juris Canonici, Lubicensē, illam à Fratribus nostris extorquere & callide acquirere: quam ad Universitatem detulit aut misit Lubicensē (*), eorum desuper requirens consilium. Literam enim, quam scripsi, Dominus Magdeburgensis sigillavit. Tres igitur Universitatis illius Doctores Juris Canonici quendam tractatum, in magnis foliis & magno spatio scriptum, contra literam illam composuerunt, singuli sigillis suis affirmantes & manu sua subscribentes, quod Dominus Magdeburgensis talem literam non debuit nec potuit de jure sigillare, neque in effectum producere. Cum igitur post in brevi venissem cum Priore de Richenberg *Henrico Kremer* in Magdeburg, à Domino Magistro *Henrico Taken* hospitio susceptus, eidem dixi Magistro *Henrico*, sacræ paginæ egregio Doctori: non potuistis defendere literam illam, quam scripsi, & Dominus Magdeburgensis sigillavit? Ego omnia scripta mea egregiè consuevi defendere. Erro quandoque in verbis, falsum improvisè & indeliberatè loquendo: sed in scriptis meis non erro. Qui respondit: puto me magistraliter literam illam defendisse, & tractatum Doctorum illorum trium, tanquam falsum, reprobasse. Deinde ducens nos in suam capellam, tractatum illam coram nobis produxit & legit. Quo lecto, legit etiam nobis glossam, quam in spatio illo lato contra textum scripsit: in qua cer-

D d d d d 3

tis

(*) leg. Lubicensē seu forte Lipzensem,

tis rationibus textum illum reprobavit; & scripsit in fine tractatus: Et ego Magister Henricus Take, sacrae Theologiae Professor & Doctor, sub sigillo meo hic impresso & manu mea propria protestor, quod haec, in tractatu isto scripta, falsa sunt: & quae in margine hoc superscripta sunt, vera sunt; & quod Dominus Magdeburgensis bene potuit & debuit huiusmodi literam sigillo suo corroborare. *Dominus Guntherus Archi-Episcopus* scripsit etiam toti universitati Lubicensi, (Libicensi) qui Archi-Episcopus eorum fuerat jam per annos 40, plurimum conquerens de maxima injuria sibi facta, quod literam, quam ad conventum Novi Operis misit sigillatam, pro pleniori eorum reformatione stabilienda, tres illi Doctores ausu temerario reprobare attentaverint; nesciens, quomodo talem sibi illatam injuriam possent emendare. Universitas autem Libicensis, hoc audiens, notabilem eis injunxit poenitentiam, & ipse D. Magdeburgensis suum obtinuit intentum, & litera nostra mansit in vigore. Domino igitur *Gunthero* senio fesso, & viam universae carnis ingresso, *Dominus Fridericus de Bichelinge* ejus fuit in Archi-Episcopatu successor; qui multo majori Zelo reformationi inclinatus, cujuscunque Ordinis Reformatores multum dilexit. Sed & meam personam multo tempore singulari dilexit affectu, ita, ut terrae suae majores, cum ad eum accederent, stare dimitteret, & me gratiosissime susciperet; in curru etiam aliquando secum suo sphaerico solus sederem per multa miliaria, multis vallati Equestribus: & pedester sibi occurrens, multo stipato milite, de Equo descendens, mihi soli loqueretur, caeteris in equis eum praestolantibus. Ego ipsum magnificavi coram Clero Hallensi, & populo, & locis convicinis; & ipse me similiter. Ex hoc tota patria illa Clerus & populus ad magnam venit concordiam & cordium unitatem. *Dominus Borchardus Halberstadiensis Episcopus* simili charitate me dilexit; secum pransus fui, in castro secum pernoctavi; equis nostris pabulum & avenam in hospitium nostrum destinavit; de equo in occursum nostrum & *Doctoris Thomae* descendit, & nos de curru nostro in recessu meo de patria sua charitative amplexatus, de recessu meo valde doluit. *Fridericus* Archi-Episcopus Magdeburgensis quando comedere voluit, aut stetit aut sedit ad mensam; & Capellanus suus legit *Benedicite & Gratas*: sed ipse dedit benedictionem. In principio mensae semper habuit lectionem teutonicalem. In ultimo prandio, quando secum in castro suo *Calvis* comedi, in mensa secum cum quodam Comite sedi, & secum ex eadem scutella comedi: caeteri omnes ad aliam mensam sederunt. Cumque gratias stantes omnes legeremus, ipse, majorem portans coronam quam ego nudo capite, ad *Gloria Patri*, semper inclinavit. Cui, finitis gratiis, dixi: gratiosissime Domine, ad *Gloria Patri* &c. in gratiis inclinastis, & habemus nos in statutis, quod in domibus saecularium infra *Benedicite & Gratas* non inclinamus. Respondit *Dominus Bernardus* ejus Cancellarius, vir bene literatus: Bone Pater, est domus ista saecularis? *Dominus* Magdeburgensis, qui est vir maxime spiritualis, quia Archi-Episcopus, hic moratur. Cui respondi: unde scire possum, quod ipse sit vir spiritualis. Hic in parietibus & in fenestris nulla est imago Christi, nec Sanctorum ejus, sed scuta duntaxat saecularia. Respondit Cancellarius: templum Dei, quod *Salomon* aedificavit, erat intus totum deauratum; & tamen templum Dei fuit: & ideo per (*) ejus praesentiam potest cognosci domus spiritualis. Cui respondi, magis tamen Archi-Episcopo quam sibi: in templo *Salomonis* per circuitum in parietibus deauratis Cherubim multi erant sepulti; idcirco domus Dei cognoscebatur. Hic autem nullam video imaginem Christi, B. Virginis aut aliorum Sanctorum. Tunc tacuit, nesciens, quid responderet: & dicebant hoc audientes, quod *Dominus* Magdeburgensis de caetero non dimitteret, quin in aulis & domibus solennioribus suis pictas aut sculptas Christi, aut Sanctorum suorum imagines semper haberet, ut non in domo saeculari sed spirituali habitare cognosceretur.

CAPITULUM XLVIII.

Dux Burgundiae *Philippus* cum ultra *Iselam* obsedisset *Daventriam*, cum Duce *Clivensi* & *Antonio* filio suo naturali, cum exercitu suo quatuordecim millium virorum armatorum de *Bickardia*, *Burgundia*, *Flandria*, *Hollandia*, *Brabantia* & *Zelandia*; volens filium suum *David* naturalem inducere ibidem pro Episcopo: ego tunc in *Depenvenne* moram trahens cum Monialibus anno Domini 1456, cum portae oppidi *Daventriensis* essent clausae propter eum & suum exercitum; assumpto fratre Monasterii in *Windesem Gerhardo*, & saeculari Laico, cappam nostram deferente, per *Iselam* navigavi in alteram fluminis istius ripam, loqui volens Episcopo *David* pro certo negotio. Et occurrerant mihi viri in brevibus tunicis de Ducis exercitu; quibus dixi: ubi est *David Episcopus*? responderunt: Domine, non debitis dicere *David Episcopus*, sed, ubi est Dominus meus *Trajectensis*? quibus dixi: & ubi est Dominus *Trajectensis*? responderunt: ultra illum aggerem hic in propinquo. Pertransiens ergo aggerem illum, inveni plurima tentoria rotunda, superius in modum turris spissa, linteamine bene per ceram delinito contacta. Quidam eorum tentoria habuerunt, in modum domus ob longa. Tunc accessi

(*) scilicet Archiepiscopi.

cessi ad Capellanum Episcopi, dicens: quod libenter loqui vellem Domino Trajectensi. Ipse mihi promisit, quod id vellet sibi indicare, sed non fecit. Diu foras expectavi, & nemo me vocavit. Supervenit vir, ut videbatur, satis Magnus militaris; cui dixi: nescio, quomodo id se habet. Libenter loqui vellem Domino Trajectensi, & ad eum venire non possum. Venerabilis Pater, inquit, ite in tentorium meum hic proximum; ego disponam, quod ad eum venietis. Postquam ibi intravimus, statim Episcopus David de tentorio suo clamavit, dicens: Patres, veniatis huc ad me. Cumque in tentorium suum intrassemus, osculatus sui manum ejus; & ipse deposito Caputio stans interrogavit, quid desiderarem? Ego dixi: ultra Iselam Monasterium est Monialium Ordinis nostri, *Depenvenne* nuncupatum, in quo plus quam centum sexaginta Moniales & sorores pariter commorantur, quæ per exercitum Ducis Burgundiae magnum damnum sustinuerunt in bonis suis. Precamur ergo, quatenus apud Dominum Ducem Burgundiae Patrem vestrum pro eis intercedere dignemini, ut centum saltem Leones eis in recompensam dare dignetur, sicut dedit Monasterio Monialium Ordinis nostri in *Redinchem* pro damno ipsis in via illato. Qui respondit: quale damnum sustinuisse potuerunt, quæ ultra Iselam habitant, ubi de exercitu nostro nulli potuerunt pervenire? Tunc dixi: Moniales istæ plurima bona & villanos habent in *Veluâ*, in quibus exercitus ejus diffusus est: ideo non parva damna eis intulerunt. Respondit: scribatis Domino Patri meo Duci vel mihi literam, petitionem vestram continentem; ego scribam ad Patrem meum id ipsum vobiscum, ut aliquid acquiratis. Ego missam audire volo; jam presbyter celebraturus in tentorio meo se induit; quia Consules oppidorum de *Daventriâ*, de *Campis* & de *Swollis* statim ad me venient, de concordia & pace pariter tractaturi. Idcirco festino, quod tunc sum paratus. Exiens ergo de tentorio suo, dixi ad militarem praefatum, qui habuit tentorium sicut Episcopus: Dominus Trajectensis respondit mihi, ut literam sibi aut Domino Duci patri suo scriberem; ipse mecum scribere vellet. Jam papyrus, pennam & incaustum non habeo: scribere ergo nunc possum. Sed ire volo ad *Ducem Clivensem*, cum quo specialia conferre habeo, qui cum exercitu suo ad dimidium milliarie in castro sibi apto moram nunc trahit, & in vesperum redire huc volo ad scribendum. Qui respondit: etiam mihi ita videtur, ut faciatis. Recessi ergo inde, & pertransivi exercitum Ducis Burgundiae. Ibi in tentoriis omnia erant venalia, sicut in foro civitatis; carnes, pisces, panes, & cætera, quæ mandi possunt. Ibi plures Domicelli mihi obviaverunt, quærentes, unde venire? dixi, de *Daventria*. Et dixerunt: Quare portas civitatis nunc tenent clausas? Respondi: Ne populus in civitate conductus exeuntes, exercitum Ducis invadant. Et dixerunt: Quot fratres stallorum (sic enim nominabantur conducti) habent in civitate? Respondi: Octo millia, ut audivi. Qui dixerunt: Non aperient prius civitatem, antequam nos hinc discesserimus. Postquam eos pertransivi, veni ad castrum, ubi *Dux Clivenfis* cum suo comitatu requievit, & principalem castrum intravi, dicens ad ancillam pedissequam, ibi solam inferius inventam: Ubi est Dominus castrum? Respondit: Vobiscum ibo in aliam domum, & ducam vos ad eum. Cui dixi: Libenter comederemus, nostrum sunt tres; quia erat in profesto Sancti Matthæi, hora quasi undecima. Respondit: Disponam primo vobis prandium, & postmodum procurabo vobis Dominum nostrum. Et fecit sic. Habuimus salmonem & alios pisces; vinum & cerevisiam in mensa, & saturati sumus. Postea ad Cellerarium Ducis vocati, adhuc plus de vino nobis propinaverunt. Interim Domicellus castrum ad nos venit, cui dixi: Libenter loqui vellem Domino Duci Clivenfi. Qui respondit: Interim, quod hic fuit, tantum agere non habuit, sicut hodie; quia in villa meâ hic proximâ aliquos *Pickardos* interfecerunt. Jam villam meam volunt destruere, & vix obtinere potero, ut non destruat. Ego negotium vestrum apud Ducem promovebo. Quod mihi in castro bene fecerunt, ideo factum fuit, quia Dominus castrum Sororem conversam habuit in *Depenvenne*. Cumque inde vellem recedere, & ad Episcopum redire, cognovi, quod *Dux Burgundiae* cum exercitu suo paravit se ad recedendum de loco, & ad sua revertendum. Tunc dixi ad fratrem meum: Nos libenter haberemus ab eo centum leones in auro, hoc est, centum quinquaginta florenos *Rhenenses*. Si jam ad Episcopum David reverti voluerimus, *Picardi* recedentes cappas à nobis tollent, & qui multa nos impetraturos sperabamus, nihil impetrantes, etiam nostra perdemus. Melius est ergo, ut non per *Gelriam*, sed per *Diœcesin* ab alia parte *Iselæ* in *Depenvenne* redeamus. Et fecimus ita. Vidimus pene centum magnas naves, *Rhenenses* dictas, contra cursum fluminis in occursum nobis ascendentibus, & ad patriam suam revertentes: quia *Daventrienses* consentire noluerunt, ut per viam compendii versus *Campis* in mare descenderent, sed per viam, qua venerant, redirent. Sic & Ducem Burgundiae cum exercitu suo redire compulerunt per viam, qua venerat, non per *Hatteni*, quæ fuisset sibi multum compendiosa. Si ad aliquot dies prius ad David Episcopum venissem, non dubitabant, quin bene remuneratus à Duce Burgundiae *Philippo* recessissem. Ego enim cum in castra sua venissem, personaliter ei loqui voluissem, si miles ille, in cujus castro seu fortalitio residebat, praefens fuisset *Dominus Everhardus* mihi notus, qui me ad eum perduxisset: sed trans *Iselam* ad *Daventriam* pro pace facienda jam tunc transierat. Idcirco ad exercitum Ducis Clivenfis tunc processi.

CAPITULUM XLIX.

Habitavit ad unum milliare de *Hildesem* in villa mulier quædam legitima, ad quam venit spiritus in lecto vigilantem, dicens: Vade citò ad Præpositum Monasterii in Sulta, & peccata tua ipsi confitearis, quoniam multa & gravia super te habes delicta, cum quibus revertentis salvari non poteris. His auditis, mulier in Sultam ire trepidavit, altera adhuc expectans nocte. Spiritus ergo ille altera nocte ad eam reversus, dixit: Quare in Sultam ad confessionem non ivisti, ut dixi tibi? aut adhuc ibidem vadas, aut male habebis. Et ita disparuit. Venit ergo mulier illa die sequenti ad Sultam, requirens Præpositum, cui & dixit: Bone Domine, precor, ut meam velitis audire confessionem; quia non sum ausa in domum meam redire, nisi prius fuero vobis confessa. Acquievi tandem ejus audire confessionem; qua audita, dixi: Non possum vos absolvere, quia casus Episcopales non habeo super vos. Si vultis absolvi, tunc cras ad me revertimini: interim casus mihi procurabo Episcopales, quos Vicarius Episcopi Hildensemensis libenter & gratis mihi dare consuevit, ut populus, sibi in animam suam commissus, à peccatorum suorum gravaminibus posset exonerari, & in via Dei debite informari. Recedit ergo mulier, & ego, quod promisi, impetravi. Nocte insculta iterum venit ad eam spiritus, dicens: Tu adhuc non es absoluta: redeas ergo ad eum quantocius, ut absolutionis beneficium consequaris. Mane igitur ad me reversa, absolvi se petiit, dicens: Non audeo domum redire propter spiritus illius comminationem, nisi prius ab omnibus peccatis tam grandibus fuero absoluta. Tunc ego pœnitentia salutari sibi prius injuncta, ab omnibus criminibus & peccatis suis eam absolvi; & ipsa tunc domum reversa, ab hujusmodi spiritus vexatione omnino fuit liberata.

CAPITULUM L.

Conjux aut filia cujusdam militis in jubilæo venit ad me *Hallis* pro confessione; cumque confitendo mecum sederet, animadverti aliquid de collo suo in bursa ligatum dependere. Et interrogavi, quid hoc esset? Respondit: Habeo in ea literam, in pergamento scriptam. Qui illam ubique portat, non potest ferro lædi, nec aqua submergi, nec ab hostibus capi, & plures confirmiles habet virtutes. Cui respondi: Possum videre, & illam scripturam legere? Respondit: Bene, & dissolvit bursam illam de collo suo, & literam scriptam de ea extraxit, & eam mihi tradidit ad legendum. Cumque eam aperuissem, inveni in ea, quod *Leo* Papa dedit omnibus eam portantibus hanc gratiam, ut ferro lædi non possent, nec igne comburi, nec aquis submergi, nec aliquo fortunato casu invadi, nec ab inimicis comprehendi, & multa similia. Deinde litera continebat *Christus vincit, Christus regnat*, & nomina Apostolorum, trium Regum nomina, *Balbasar, Melchior, Jasher*, & characteres, & multas cruces inter nomina præfata, & literas plures alphabeti, & iterum nomina Sanctorum & characteres, & conjurationes plures intermixtas, & similia, quæ jam non recordor. Quibus lectis, dixi: Bona Domina, miror, quod hanc literam tam diu in collo vestro detulistis, & Diabolus non fregit vobis collum; quia sunt contra Deum & fidem Catholicam, & omnino non sunt vera in schedula ista vobis promissa, nec *Leo* Papa donavit ista hanc schedulam deferenti. Consulo, quod literam istam, cum omnibus in ea contentis, quantocius comburatis, & nullam in ea habeatis confidentiam; quia falsa sunt, & deceptione plena omnia hæc contenta & promissa. Tunc ait: Pater venerabilis, si ista est, ut dicitis, tunc rogo, ut vos hanc literam recipiatis, & eam comburatis; timens, diabolum in literæ illius combustionem se in aliquo mirabili ostensurum. Quod & feci, & ita ab illa phantasia & schedulæ delatione fuit liberata.

CAPITULUM LI.

Matrona quædam in eodem jubilæi anno venit ad me, ut eam in confessione expedirem. Expleta confessione, dixi ei: Audivi, quod mulier quædam est hæc in vicino, quæ per incantationes & dæmonum invocationes, homines & animalia, præcipue equos, defectum in membris habentes, curare consuevit. Non cognoscitis illam? Respondit: Ego sum. Cui dixi: Hoc grande est peccatum, & talis deberet comburi. Quæ male de me fuit contenta, dicens, quod Archi-Episcopus Magdeburgensis *Guntherus* libenter eam suscepit, & plures caballos sibi debilitatos curavit. Sed & vir ejus, cum id mulieri prohibuerunt, durè hoc de me suscepit, meque interficere aliquando cogitavit. Interrogavi autem, per quem modum tales mulierculæ animalia infirma solent curare? Et responsum est mihi, quod habent speculum magnum, in quo dæmon est conjuratus; & cum rogantur, ut hominibus vel pecoribus debeant subvenire, & à membrorum debilitate seu læsione curare, tunc in pratium aliquod se ponunt, speculum illud in manibus tenentes; & quærunt à Diabolo, quomodo membrum illud infirmum debeant curare? Tunc vident in speculo, quomodo

modo dæmon gramen aliquod accipit de terra, aut herbam aliquam, cum qua linit membrum læsum & dolorosum, & statim curatur. Mulier ergo hujusmodi herbam seu gramen considerans, accipit eam secum, & membrum equi vel alterius animalis cum ea perlinit dolorosum, & continuo sanatur. Utrum vero herba illa talem habeat virtutem, ut membrum læsum possit sanare, an Dæmones per suas astutias hujusmodi membra infirma curare consueverint, ut mulieres in fide sua seu perfidia remaneant, ignoro. Hæc tamen scio, quod mulier ista plures Archi-Episcopi *Guntheri* caballos sæpe curavit. Unde & ipsam libenter audivit, & ejus curationem in equis suis gratanter accepit. Si à Dæmonibus equorum suorum curationem scivisset processisse, nunquam eam ad se admisisset; ita rigidus fuit in persecutionem maleficorum & incantatorum, quos usque ad mortem persecutus fuit, & eos combussit.

CAPITULUM LII.

Ambulans semel per viam, occurrit ad me vir quidam, arans in via, dicens, mulierem suam Dæmone obsessam; instantissime petens, ut domum ejus intrarem, non longè à via nostra positam, & eam à Dæmonio liberarem. Acquievi tandem propter ejus importunitatem secum pergere in domum suam. Et cum de statu suo ipsam mulierem examinarem, inveni, quod multas habuit phantassias; quia parùm dormivit, & parùm comedit, & quod cerebri debilitas inde ei proveniret, & nullatenus Dæmone esset obsessa. Dixique viro suo, quod disponderet, ut melius manducaret & biberet. Præsertim, quando ire vellet dormitum, postquam omnia opera sua explevisset, tunc biberet *eine warme Jauten*, hoc est, unum vel dimidium quartale cerevisiæ calidæ, sicut posset sufferre, sine pane omnino; modicum tamen butyri posset imponere, in quantitate nucis avellanæ; quo ebibito, statim poneret se ad lectum ad dormiendum. Tunc enim optimè dormiret, & citò capitis sui sanitatem reciperet. Cum autem ita cum ea stare colloquendo, vidi de collo ejus bursam parvam in filo dependere plumbeam. Interrogavi eam, quid hoc esset? Respondit: In isto plumbo complicato inest litera quædam, in qua continetur, quod, qui eam in collo portaret, à multis malis & infirmitatibus deberet liberari. Aperiens ergo plumbum & literam in eo scriptam, inveni omnia mendosa & falsa, quæ in ea erant scripta. Dixi ergo ei: Quis vobis literam illam scripsit? Respondit: Dedi Custodi villæ illius, nominans eum, quinque solidos, qui mihi eam scripsit & plumbo inclusit; sicut & multis aliis similiter fecit, dicens, ad valdè multa eam utilem & necessariam. Cui dixi: Bona mulier, comburetis literam illam, quia mala, pessima & mendosa in ea sunt scripta. Cumque Domino Magdeburgensi ista narrassem in via, dixit; Si custodem istum possem invenire, igni eum adjudicarem ad comburendum; quia non propter sanitatem, sed propter quæstum, id invenit figmentum.

CAPITULUM LIII.

Frater quidam in Richenberg professus, *Jacobus Zelandia*, per Priorem suum *Henricum Kremer* in principio reformationis Sultensis mihi, ibidem tunc Præposito, concessus, Priori meo, Fratri *Joanni Bodeker* confiteri consuetus, per dimidiam pene horam aliquando suam protraxit confessionem; quia sibi sapientior videbatur, quam confessor suus, ad ejus in bono informationem multa replicando; quem Prior suus certis de causis postmodum revocavit. Cumque ad tempus stetit in *Richenberg* in proprio suo Monasterio, institit apud Priorem suum, quatenus pro ipso intercederet, ad nos ut redire posset in Sultam. Frequenter ergo mihi inde scribentes tam Prior quam Frater, tandem respondi: Si Frater *Jacobus* nemini in Sulza confiteri esset contentus quam mihi, tunc vellem eum recipere. Qui in hoc valde libenter consensit; ut posset ad nos redire. Cumque bis vel ter mihi in Sulza fuisset confessus, dixit mihi, ut eum informarem, quomodo confiteri deberet. Cui dixi: Non confiteamini mihi, nisi fuerit peccatum. Respondit: Libenter. Quando autem post venit ad me confiteri, & narraret aliqua non confitenda, dixi: Estne hoc peccatum? Ait: Est culpa mea. Sic pluries fecit, & semper sic ei respondi; exempli gratia, si diceret: Ego cum aliis Fratribus fimum de curia ponere debui ad currum, ubi illi & illi fratres præsentés erant, & habui bonam tridentem. Tunc unus fratrum tridentem nostram accepit, & reddidit mihi aliam tridentem gravem & ad laborandum minus aptam: tunc ex hoc factus fui impatiens. Hoc ultimum solum fuit peccatum, quod fuit impatiens: quod autem fimum ad currum posuit, non fuit peccatum; & quod illi & illi fratres aderant, etiam non fuit peccatum; & quod bonam tridentem habuit, & alter malam, etiam non fuit peccatum; sed quod ipse ex hoc impatiens fuit, quia bonam ab eo tulit, & sibi malam & inconvenientem reddidit, & inde doluit. Tali modo aliqui confessiones suas prolongant, quas breviter expedire possent. In brevi ergo tempore reduxi Fratrem istum ad breviter confitendum, sicut ceteri, sex vel octo puncta proferendo; & ipse & ego fuimus ambo in hoc contenti.

Eeeee

CAPI-

CAPITULUM LIV.

Præfatorum (*) librorum conclusio, & contra oblatrantes, siqui fuerint, responso.

EGO Frater *Joannes Euse* sic intravi Monasterium in principio, ut mortuus essem mundo & omnibus, quæ in mundo sunt, & non viverem in corde alicujus creaturæ, sed in solo Deo vivo & vero. Tempore tamen Novitiatus mei plurimas perpeſſus fui tentationes, ut in secundo hujus voluminis declaratur capitulo. Professione facta videre cœpi & gustare, quam suavis sit Dominus, & tunc intra, verum composui religionis fundamentum. Et ab hoc sanctæ religionis fundamento, licet in magno hominum tumultu, apud totius terræ Principes, apud magnos Prælatos & Abbates fuerim conversatus & Doctores, nunquam recessi, nec in conviviis, nec in collationibus; sed semper de Domino Deo, de virtutibus, de divinis scripturis & bonis similibus intermiscui verba, in hoc ipsum deservientia, ut materiam haberemus de bono conversandi & tractandi. *Et tam simplex fui juvenis*, quod conversus unus in Windesem, videlicet *Nicolaus*, hospitarius noster dixit patri meo tempore professionis meæ: Filius vester *Joannes* bonus erit religiosus; sed nunquam, propter ejus simplicitatem, foras emittetur. Ego licet in sententiis scholasticis satis doctus fuerim, astutias tamen & fallacias hujus mundi non fui expertus: quia probos habui parentes, qui me ita educaverunt, quod solum scholas & ecclesias suo tempore visitavi, de lasciviis hujus mundi nihil sciens. *Et in decimo octavo anno ætatis meæ* intravi Monasterium; & non perrexeram de oppido nostro, nisi ad tria vix milliaria, ante religionis meæ ingressum. Jam, quia Domino Deo ita placuit, & per Patres meos sic mecum ordinavit in religione, per ambulavi terras diversas, pro Monasteriorum & personarum reformatione, ac regularis disciplinæ conservatione. Nunc enim anno (a) Domini M CCCC LXXIII. ambulavi in religione plusquam per *sex millia quingenta & viginti milliaria*, ad diversa Monasteria reformanda, ad *centum viginti* pene civitates & oppida, præter villas interjacentes, & ad plus quam viginti castra. Cuncta (b) hæc præmissa de Monasteriorum, locorum & personarum reformationibus, in unum hic per nos collecta, sufficientem puto successoribus & posteris nostris materiam ad similia peragenda subministrare, si tamen Spiritum Dei Sanctum ad id perficiendum habuerint, & gratiam Dei bonam in hoc ipsum recipere promeruerint. Ut autem librum præsentem debito fine concludamus, & quod omnia & singula hic descripta ritè & legitime, justè & rationabiliter sunt introducta, demonstremus; oblatrantium canum, plurima bona, quæ ipsi consequi non valent, insequentium, objurgationibus postpositis; placuit ad memoriam revocare magna, mirabilia & notabilia dicta, scripta & facta Sanctorum Patrum præcedentium; de quibus ad perpetuam rei memoriam multa his similia, pro laude Dei & causa exempli boni, in libris divinis & in eorundem Patrum scriptis in mundo derelictis, tam de seipsis quam de aliis viris sanctis invenimus descripta. In Actibus enim Apostolorum legimus: *Cum Paulus & Barnabas Antiochiam redissent, & Ecclesiam convocassent: retulerunt, quanta cum illis fecisset Deus, & quod gentibus ostium fidei aperuissent.* Et infra: *Paulus & Barnabas, deducti ab Ecclesia, pertransibant Samariam, narrantes conversationem gentium.* Unde magnum cunctis fratribus gaudium faciebant. Et iterum infra: *Cum venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis & à senioribus, narrantes, quanta fecisset Deus per eos signa & prodigia in gentibus.* Item Actuum Cap. XXI. *Cum venissemus Hierosolymam, scribit Lucas, libenter exceperunt nos fratres. Sequenti die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum Apostolum, omnesque collecti sunt seniores; quos cum salutasset, narrabat per singula, quæ fecisset Deus in gentibus per Ministerium ipsius. At illi, cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque: Vides frater, quot millia sunt in (c) Judæa, qui crediderunt? & omnes amulatores legis sunt.* Apostoli ergo & Discipuli Christi in primitiva Ecclesia, quia boni erant, tanta audientes bona, in Ecclesia Dei facta; ad Pauli narrationem mentibus in Deum elevatis, ipsum magnificaverunt Deum, non, ut mali, in contumeliam exarserunt. Qui enim bona laudat, bonus est; qui autem bona vituperat; non jam bonus, sed malus esse ipso facto comprobatur. Beatus etiam *Augustinus* in suis Confessionibus multa mala & bona sua, communium (d) hominum ingenium excedentia, narrat de seipso; unde tamen ipse primùm scribendo, & postmodum relegendo, sicut & alii id ipsum faciendo, in Dei amorem vehementer fuit accensus. Sic & venerabilis *Beda* in *gestis Anglorum* multa bona & mala scribit de multis: Allegatur tamen aliquando pro bonorum autoritate (e) & sanctitate, quia ipse bonus & sanctus fuit; ut patet in *Martyrologio de S. Oswaldo Rege.* Ut ergo ultima libri hujus cum primis & mediis concordent, *miseri cordias Domini in æternum cantabo,*

(*) Hæc Conclusio ex MSto Kiloniensi emendata & suppleta est.

(a) antecedentia hujus capituli, ut & hæc ipsa, desumpta sunt ex MSto Kiloniensi. (b) Hic incipit capitulum 54. in MSto Sultensi. (c) in Judæis MS. Sultensi. (d) multorum hominum MS. Kilon.

(e) laude & sanctitate. MSto Kilon.

cantabo, qui me à puero in virum, & in hanc perduxit ætatem, (f) multas mihi valde procurans occasiones plurima promerendi, faciendi & patiendi; & in omnibus mihi præstans virtutem & fortitudinem, & animum virilem cuncta adversa supportandi; in me ipso & in conscientia multa pace perfruendi, & in ipso Domino Deo meo spem bonam, cordis apertionem, cognitionem & amorem, donec onere carnis deposito, in gaudium Domini mei, in æternum (g) cum ipso de ipso victurus, promerear introduci. Quod (h) nobis concedat Conditor & Redemptor noster, & omnium bonorum indubitatus Remunerator, ut, sicut omnia nostra priora bona nobis de clementissima bonitate sua, non ex meritis nostris prorogavit, ita & posteriores glorias eadem clementissima sua bonitate dignetur condonare. (i)

Nil Deus in nobis, præter sua dona, coronat; ut sit Deus omnia in omnibus, in celo & in terra & in omni creatura. Amen.

Quomodo (***) per bonam Patrum meorum imprecationem consecutus sum gratiam hanc desiderii Sanctæ reformationis; qui per exhortationes & iussiones mihi sæpe id agendum commiserunt.

Ad Zelum Dei, pro personarum & Monasteriorum reformatione acquirendum, hoc modo existimo me primum pervenisse. Venerabiles enim *Patres mei in Windesem* specialiter & ex nomine id mihi injunxerunt, commiserunt, & prosperum ad hoc mihi successum imprecari sunt: & ego, tanquam verus obedientiæ filius, cum Dominus Deus meus mihi ad hoc materiam subministraret, non segniter auditor sermonum Dei, ipso me interius instigante, & exterius per Principes & Prælatos cooperante, sermonemque operibus confirmante; animum ad hoc arripui, ita, ut ubicunque ostium mihi vidi apertum, ad id attendendum virum indui, totisque nisibus, cordis & corporis, ad id faciendum semper & ubique laboravi; variis fatigationibus, impugnationibus, contradictionibus, impossibilitatibus apparentibus, cæterisque non obstantibus quibuscunque: quando tamen ego mentalibus oculis inspexi à remotis, sanctum hujusmodi reformationis negotium, ad vota mea posse prosperari. Venerabilis igitur Pater noster *Joannes Vos*, Prior in Windesem, qui me investivit, & ad professionem suscepit, dixit in præsentia Conventus sui, & omnium Patrum & Fratrum congregationum de *Daventria*, *Zwollis* & *Monte S. Hieronymi in Velus*, quod mihi commisisset & Fratri *Hermanno Xantis*, colligere, consilium dare & cooperari ad reformationem omnium utriusque sexus personarum, Deo ferventium & ei deservire cupientium; & eos, sicut nos ipsos, habere promotos, suscipere, bene pertractare, defendere in adversis, & in prosperis ipsis congaudere; ita, ut cum omnibus Deum timentibus unum cor & unam animam habere deberemus. Si non fecerimus, & opere ista non fecerimus, redundaret in caput nostrum coram Deo & hominibus. Prior etiam noster in Windesem *Wilhelmus Vornken* mihi, ad Saxoniam perrecturo, & benedictionem flexis genibus ab eo petenti, dixit, signans me signo Sanctæ Crucis: *Soror nostraes, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Et Prior noster in Windesem Pater *Diricus Granie* coram omnibus Patribus Capituli nostri generalis mihi dixit & commisit, ut omnem ad hoc facerem diligentiam, ut plurima reformarem Monasteria, sicut jam per longa feceram tempora. Et plura alia his similia à Patribus & Majoribus meis receperam reformationum adhortamenta. His igitur autoritatibus communitus, tanquam à Deo id mihi commissum esset, diligentiam frequenter adhibui extremam, ita ut in mortis periculo propter sanctam reformationem sæpe fuerim, ut in præsentis volumine legentibus ad oculum clare patet. Quamobrem Domino Deo infinitas gratiarum actiones, qui per instinctum Spiritus Sancti parentum meorum lacrymas me contemnere, & ad vexillum Sanctæ Crucis in Windesem convolare fecit, ubi tunc in regulari observantia, in primo ejus fervore, omnes Fratres Deo devotissime servierunt. Et sicut ego post ibi professus, ac statuta Ordinis cuncta perlegens: non inveni aliquem articulum seu minimum punctum, quem ad unguem strictissime non servabant. *Misericordias ergo Domini in æternum cantabo*, qui ad talium devotorum Patrum confortium me vocare dignatus est; ubi ego successu temporis, ad ejus honorem & pro salute plurimorum, non modicum fructum, ipso mihi fideliter auxiliante, operatus sum: quia impossibile sæpius mihi videbatur, aliquid me posse proficere, propter perversos & sanctæ reformationis inimicos; de quibus tamen semper gratiâ Divina victoriam obtinui. (†)

Anno Domini MCCCCLXXV, & anno nativitatis meæ LXXVI, in profesto Sancti Laurentii Martyris hæc scripta complevi; qui eodem die computavi, me in religione

Eeeee 2

pro

(f) septuaginta quinque annorum MS. Kilon. (g) cum ipso & omnibus ejus MS. Kilon. (h) quod mihi in omnibus MS. Kilon. (i) qui vivit &c. MS. Kilon.

(**) quæ hic sequuntur usque ad ea, quæ in fine occurrunt, non habentur in MS. Sultensi.

(†) Hisce MSC. Kiloniense subjungit: *Explicit Historia Buscana.* Quæ hic vero sequuntur, sunt verba, in quibus definit MSC. Sultense.

pro reformatione Monasteriorum & personarum ambulasse, aliquando per pedes, quandoque equitando, & magis communiter per vecturam curruum aut carrucarum, per sex millia miliaria, & per octingenta miliaria, pro salute animarum, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, suæ benedictæ Genitricis Virginis Mariæ, & totius cœlestis exercitus, ut in æterna sua recipiant tabernacula. Amen.

LIBER IV.

Quomodo Dominus Cardinalis de Cusa in publica Sessione Magdeburgense commisit Præpositis, Johanni in Novo Opere & Paulo ad S. Mauritium, Monasteriorum Ordinis Canonorum Regularium visitationem & reformationem per provinciam Magdeburgensem & Moguntinam.

CAPITULUM I.

Reverendissimus Dominus Cardinalis *Nicolaus de Cusa*, Apostolicus de Latere Legatus, cum ad oppidum *Hallense* pervenisset, ab omni Clero & populo devotissime fuit susceptus. cujus notitiam tunc primum ipse contraxit. Dein in civitatem Diœcesis Metropolitanam *Magdeburgensem* descendens, omnes Suffraganeos Episcopos *Magdeburgensis* Provinciæ ad Synodum, per eum celebrandam, convocavit, cum omnibus suis majoribus Prælatibus & in dignitate constitutis; videlicet *Magdeburgensem Archiepiscopum, Mersburgensem, Nuenburgensem, Misinensem, Brandeburgensem, & Habelburgensem Episcopos*. Omnibus in Ecclesia *Magdeburgensi* pariter congregatis, Dominus Cardinalis, Archiepiscopus & Episcopi, mitris suis insulati, in circuitu sedebant Sanctuarii, singuli in sedibus suis: & retro eos Domini Abbates, Præpositi, Priores, Guardiani, Decani, cunctique Prælati alicujus dignitatis Ecclesiæ illius Cathedralis in stallis chori sui se collocaverant; reliqui omnes spirituales, Religiosi & seculares Presbyteri, in navi chori inter stallos Cantorum pariter sederunt. Tunc Dominus Cardinalis, in gradibus Sanctuarii sedens, exorsus est, dicens: Reverendissimi, Venerandi & Venerabiles Patres; Sanctissimus in Christo Pater Dominus noster *Nicolaus Papa V.* ad *Almaniam* totam, & ad istam me misit provinciam, pro Cleri & Religiosorum omnium reformatione, & eorum ab erroribus inventis ad verum statum Christianæ Religionis plenaria reductione. Primo ergo omnium Ordinem reformare volumus *Canonorum Regularium Almi Patris Augustini*; ad quem reformandum assumere volumus Patrem, à juventute sua in regulari observantia bene institutum, *Dominum Ioannem*, Præpositum *Novi Operis*, personam nostram designans. Quo audito, pro ejus reverentia surrexi, & super pedes steti. Tunc adjecit: & in socium adjungimus ei *Doctorem Paulum*, Præpositum ad *S. Mauritium Hallis* sui Ordinis. Commisit autem nobis visitationem & reformationem viginti Monasteriorum nondum tunc reformatorum per *Saxoniam, Thuringiam & Misniam* Ordinis nostri utriusque sexus, formam visitationis & reformationis eorum in Bulla, sigillo suo firmata, nobis describens; Unum Provinciale Capitulum Canonorum Regularium in *Saxonia* in Monasterio *Novi Operis* prope *Hallas* *Magdeburgensis* Diœcesis singulis annis in Exaltatione *S. Crucis* mandans celebrari; Statuta Canonica seu constitutiones Capituli Generalis de *Windesem*, quæ incipiunt: *Quoniam ex præscripto regule &c.* per omnia in eodem Capitulo volens observari. Tunc, si in eisdem statutis forent aliqua, moribus patriæ non congruentia, illa Capitulum illud provinciale de consilio Domini *Magdeburgensis*, autoritate Apostolica, posset immutare. Dedit etiam nobis plenam autoritatem omnes & singulos, visitationis & interdicti, à jure vel ab homine generaliter promulgatis, absolvendi, & ab omni irregularitatis, inhabilitatis & infamiæ macula rehabilitandi & dispensandi. Dedit etiam alia multa nobis privilegia, quæ in libris, nobis desuper datis, sunt expressa, hujusmodi sub tenore.

CAPITULUM II.

BULLA CONCESSIONIS ejusdem, de verbo ad verbum.

N*icolaus*, miseratione divina tituli *S. Petri ad Vincula* Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis gratia per *Alemaniam* Legatus, Venerabilibus, in Christo nobis dilectis Patribus ac religiosis personis, Abbatibus, Præpositis, Prioribus ac Priorissis

Priorissis Ordinis S. Augustini Canoniorum Regularium, per provinciam Magdeburgensem & Moguntinam, Saxoniam & Thuringiam ubilibet constitutis, Salutem in Domino. Divina pietate Ecclesiam sanctam misericorditer respiciente actum esse, quis poterit dubitare, quod in hoc tempore Sanctissimus Dominus noster, Dominus *Nicolaus Papa V*, Pastor vigilantissimus eidem Ecclesie prefectus extitit; cujus diligentissima cura ad hoc indefinenter attendit, ut oves sibi creditas in salutis viam dirigere possit, & in Dei charitate unumquemque pro suo debito ardere procuret. Idcirco sua Sanctitas ad Sacerrimam vestram religionem oculos attollens, nobis districtè præcepit atque singulariter dedit in mandatis, ut per singula commissæ nobis legationis loca eam sollicitudinem, quantum ex alto conceditur, adhibeamus, quod omnis, siqua exorta videtur, deformitas, à vestra religione devia, Apostolicâ visitatione amoveatur, Sacraque Religio in sanctis observantiis reviviscat. Cumque nos, per multis etiam aliis occupati negotiis, ad singula vestra loca personaliter accedere non valeamus: per alios nostros Commissarios id ipsum explere compellimur, quod nostra in persona facere nequimus. Hinc Venerandos in Christo Patres, *Johannem Novi Operis, & Paulum S. Mauritii* intra muros oppidi Hallensis Monasteriorum Præpositos; de quorum fidei integritate & optimo Zelo ad Dei cultum & religionis observantiam, plurimum annuente Domino speramus; Apostolica autoritate vestri Ordinis visitatores deputamus, eosque ad vos & singula vestra Monasteria utriusque sexus, ad visitationis officium plenariè exercendum, cum omni facultate ad hoc necessaria, transmittimus. Quibus præcipuè dedimus in mandatis, ut ipsi solum Deum præ oculis habentes, omni sinistra affectione postposita, dispositiones, statum & conditionem omnium & singulorum virorum, tam exemptorum quam non exemptorum, & personarum, & in ipsis & in ipsorum quolibet degentium, primùm à capite incipiendo, dein ad alias personas descendendo usque ad ultimam, sollicitè & diligenter inquireant, & inquisita debite conscribant vel conscribi faciant; omniaque & singula, quæ à regula & statutis Capituli de Windesem, quæ incipiunt: *Quoniam ex præscripto regula &c.* per *Martinum Papam V.* approbatis, devia esse compererint, emendare procurent: Ubi vero in visitatione hujusmodi graves excessus & incorrigibiles personas eos reperire contingeret, quod tunc, invocato ad hoc auxilio brachii secularis, ad extirpationem criminum & deformitatum omni diligentia adhibita procedant. Volumus etiam, quod omni diligentia hujusmodi visitatores invigilent, ut tria substantialia omnis Religionis, scilicet, *paupertas, castitas & obedientia* exactissimè observentur, & uniformitas habitus ac morum in vestro ordine ubique observetur; ita, quod nemo Canoniorum Regularium Ordinis vestri utriusque sexus professus, nisi forte redditus (*) foret, quod ad sacros ordines promoveri non posset, sine *Roqueto Romano cum manicis* deinceps incedere præsumat, omnibus dispensationibus in contrarium concessis vel statutis quibuscunque non obstantibus; quæ omnia tenore præsentium irrita fore decernimus. Si qua vero alia in statutis per narratis forent expressa, quæ propter evidentem causam merito forent immutanda, illa dispositioni & ordinationi Patrum ac Definitorum Ordinis vestri, in Capitulo provinciali in Novo Opere partium Saxonie in *Exaltatione S. Crucis* singulis annis congregatorum, reservamus. Quod quidem Capitulum Provinciale juxta tenorem statutorum præmissorum singulis annis, in tempore præfato, ab omnibus Monasteriis vestris prænominatis, sub pœnis in *Concilio Magdeburgensi* de Religiosis reformandis, præcipimus & mandamus diligenter observari. Unde & volumus, quod prædicti nostri Commissarii & Visitatores nonnullas vestras ordinationes & statuta, quæ ad Dei honorem animarumque salutem vestrarum, pro reformationis introductione observari mandavimus, vobis omnibus & singulis insinuent & publicent: & ubi vos per observantiam regularem gratiâ Dei capaces invenerint, plenariæ indulgentiæ cum injuncta facili pœnitentia participes esse faciant: cum potestate vos omnes & singulos à quibuscunque excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiis, censuris & pœnis, ab homine vel à jure generaliter promulgatis, sine præjudicio juris cujuscunque absolvendi; nec non interdictum, occasione præmissorum ab Ecclesia per statuta Provincialia vel synodalia, aut alio quovis modo in Monasteria & Ecclesias vestras latum, relaxandi, vosque ab omni irregularitatis, inhabilitatis & infamiae macula, si qua sitis ligati, divina celebrando vel eis se ingerendo, aut ordines suscipiendo, vel quam alias qualitercunque, contraxistis vel incurristis, dispensandi vel rehabilitandi: Vobis etiam, si in Monasteria per Simoniacam pravitatem ingressum fortassis habuistis, ut remanere possitis; data quoque & accepta, Monasteriis, quibus data reperiuntur, ad usus communis utilitatis ut remanere possint, autoritate Apostolica dispensandi: aut, si opus fuerit, Abbatibus, Prioribus vel Priorissis & aliis præfidentibus hujusmodi visitandis, si alias hoc eorum merita exegerint in foro conscientiæ, de novo providendi, fructusque male perceptos misericorditer remittendi & desuper quitandi. Volumus etiam, quod dicti nostri, imò veriùs sedis Apostolicæ Visitatores & Nuncii, & eorum quilibet, gaudere valeat omni salvo conductu, libertate, privilegiis, à sede Apostolica & etiam à Regia Majestate nobis quo-

Eeeee 3

modo

(*) s. creditus.

modolibet concessit, ita & taliter, quod dicti visitatores & eorum quilibet, in hujusmodi visitationis officio ad quemcunque locum declinantes, à nullo omnino hominum, quacunque etiam præfulgeat dignitate, autoritate vel potestate, invadi spoliari, detineri, incarcerari vel arrestari valeat ac possit, etiam ratione quorumcunque debitorum; vel quavis alia occasione ipsis in hujusmodi visitationis officio constitutis. Cumque ipsi propter dictarum Provinciarum latitudinem, Monasteriorumque in eis multitudinem, ac ipsorum etiam Visitorum legitimam, vel ex parte rei familiaris vel alias, occupationem, ad hujusmodi explendum visitationis officium singulis annis occurrere non possint; ne ipsos visitatores & visitandos nimium gravari, vel ipsorum Monasteriorum visitationes differri vel penitus impediri contingat: in proximo Capitulo Provinciali, loco & tempore prænarratis celebrando, *Convitatores*, juxta tenorem statutorum præfatorum, ordinari volumus. Insuper & ipsis visitoribus cunctis limites & terminos deputavimus & deputamus præfentes, videlicet *diocesisin Magdeburgensem, Mersburgensem, Misnensem, Nuenburgensem, Brandenburgensem, Havelbergensem, Halberstadiensem, Hildesensem, Verdensensem, Saxoniam ac Thuringiam*: & præcipue *Monasterium Regularium in Erfordia Moguntinensis Diocesis, & Montis S. Georgii prope Goslariam Hildesensis diocesis, prætaxatis visitoribus, Johanni & Paulo Præpositis, præsentium sub tenore committimus. Vobis omnibus & singulis Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Priorissis, singulisque Personis Monasteriorum citatarum Diocesium & locorum prædictorum, exemptis & non exemptis Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium utriusque sexus, autoritate Apostolica in virtute Sanctæ obedientiæ ac sub pœnis Excommunicationis, quam in singulares personas, & interdicti, quod in loca & Monasteria vestra ferimus in his scriptis; districtè percipiendo mandamus, quatenus prænominatos visitatores, à nobis deputatos, ut Apostolicos visitatores & Nuncios, cum omni reverentia & obedientia, quibus Apostolicæ sedi asstringimini, suscipiatis, & ad ipsorum visitationis officium in omnibus exequendum liberè admittatis; omnium illorum Monasteriorum vestrorum ac personarum quarumcunque, à capite usque ad ultimum, dispositionem & conditionem plenius manifestando; omniaque & singula, quæ visitatores ipsi secundum Regulam & statuta prætaxata fieri & observari mandaverint vel ordinaverint, reverenter acceptetis, & diligenter, ut tenemini, observare studeatis. Et, si fecus feceritis, quod absit, tunc sæpe dictis visitoribus per præfentes committimus & etiam districtè præcipimus, ut vos & quemlibet vestrum, in præmissis inobedientem, cujuscunque conditionis vel status fuerit, post trium dierum canonicam monitionem, ultra pœnam Ordinis præmissam, in excommunicationis, ac Monasteria inobedientium, in interdicti Ecclesiastici pœnas per nos, ut præfertur, latis, incidisse declarent. Absolutionem vero omnium & singulorum, qui præfatas nostras sententias incurrerint, nobis & sedi Apostolicæ tantummodo reservamus. Insuper volumus, quod semper deinceps de triennio in triennium à Capitulo hujusmodi Provinciali, loco & tempore sæpe dictis celebrando, duo ex Patribus vel Fratibus notabiliores, ac in Regula & statutis experti, ad Capitulum & Monasterium in Windesem se transferentes, dum ipsum generale Capitulum celebrari contingit, mitti debeant, quos volumus per ipsos Priores & definitores debere admitti, eum in finem, ut in Ordine vestro Regularis observantiæ uniformitas & bona concordia teneatur & foveatur. Datum *Magdeburgi* nostro sub sigillo die 28. mensis Julii, anno à nativitate Domini 1451, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Domini nostri, Domini *Nicolai*, divina providentia Papæ V. anno quinto.*

CAPITULUM III.

De executione mandati præfati; quomodo Commissarii ejus Principes terrarum pro consensu requisierunt & assistentia, in quorum ditionibus Monasteria hujusmodi sunt situata.

Synodo Provinciali Magdeburgensi finita, & commissione Domini Cardinalis super Monasteriorum Ordinis nostri visitatione & reformatione in Bulla, sigillo suo magno dependente nobis firmata; ego *Johannes* Novi Operis extra, & *Paulus* ad S. Mauritium intra muros oppidi Hallensis Monasteriorum Canonicorum Regularium Præpositi, ipsam commissionem ea, qua decuit reverentia suscipientes, ac debite eam executioni mandare cupientes; Principes terrarum, in quorum districtu & potestate dicta Monasteria, per nos visitanda & reformanda, fuerunt constituta, primùm adire deliberavimus, eorum consensum & fidelem assistentiam super præmissis requisituri. Quidam ergo Principes, Monasteriorum illorum Domini, literas nobis dederunt sigillatas, sub certis tenoribus infra scriptis pro plenissimo eorum assensu, in quibus suis mandarunt subditis, ut nobis incunctis, nobis commissis, obedirent. Alii vero nobiscum Episcopi & Prælati aut in propria persona ad Monasteria suæ diocesis visitanda concurrerunt; sicut *Episcopus Mersburgensis*; aut suos Commissarios nobis adjunxerunt; sicut Dominus *Adolphus de Nassau*, Provisor tunc in Erfor-

Erfordia, nunc Archiepiscopus Moguntinensis, qui Doctorem unum & tres sacerdotes, viros probatos, ad visitandum Monasterium Ordinis nostri in Erfordia nos associavit.

CAPITULUM IV.

Literæ Domini Episcopi Halberstadiensis, Doctori Paulo & mihi datæ, sequuntur, & sunt tales:

Borchardus, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Halberstadiensis, universis & singulis Præpositis, Prioribus, Priorissis, conventibus & personis Canonorum Regularium S. Augustini nostræ Diœcesis, salutem in Domino, & Sanctæ Religionis incrementum. Patres Venerabiles Ordinis Vestri, *Johannem & Paulum*, in & extra Oppidi Hallensium muros Monasteriorum, Novi Operis & S. Mauritii Præpositos, unâ cum literis Reverendissimi in Christo Patris ac Domini *Nicolai*, S. S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Apostolicæ sedis per Alemanniam Legati, in castro nostro *Gröningen* benevolè suscepimus, mandata visitationis & reformationis Monasteriorum Vestrorum & Præpositorum in se continentibus; quibus etiam super dicta visitatione & reformatione Monasteriorum Vestrorum, ad opus tam salubre & sanctum perficiendum, pium præbuimus assensum, volentes hujusmodi literas dicti Domini Cardinalis, veriùs Apostolicas, effectui debite mancipari. Quare vobis omnibus in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus dictos Dominos *Johannem & Paulum* visitatores ac reformatores, uti nuntios Apostolicos, cum ad loca vestra declinaverint, reverenter & charitativè, juxta tenorem mandati eis traditi, recipiatis, mandatumque Apostolicum effectualiter adimplere satagatis; in præmissis complacentiam facientes nobis singularem, pœnas formidabiles, in mandato contentas evasuri; ordinario nihilominus jure nostro nobis semper salvo. Datum in castro nostro prædicto *Gröningen* anno Domini 1451. die Martis, 26. d. Octobris, nostro Sigillo præsentibus impresso.

CAPITULUM V.

Mandatum Domini Landgravii Thuringiæ ad omnia Monasteria Canonorum Regularium suæ ditionis, ut Johannem & Paulum Hallenses Præpositos in suos recipiant visitatores & reformatores.

Wilhelmus Dei gratia Dux Saxoniz, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misnienfis, universis & singulis Abbatibus, Præpositis, Prioibus, Priorissis & Conventibus Monasteriorum Ordinis Canonorum Regularium in Principatu, domino & districtu nostro consistentibus, salutem nostrumque favorem. Venerabiles, devoti & dilecti, noveritis, cum ex singulari desiderio ad hoc inclinemur, ut ordo vester, omniumque in nostro Principatu Ordines, juxta antiquam suam institutionem, regularisque observantiæ normam debite reformentur, prout in quibusdam nostri districtus Monasteriis nostro favore inchoata reformatio esse dignoscitur: hinc est, quod Venerabiles Patres nostri, devoti, dilecti Domini, *Johannes & Paulus*, Novi Operis & S. Mauritii, in & extra Hallas Monasteriorum Ordinis vestri Præpositi, piè nos informantes, quomodo ipsi à Sanctissimo in Christo Patre Domino Apostolico, & ejus loco, à Reverendissimo fautore nostro, singulariter nobis dilecto, Domino *Nicolao de Cusa*, Presbytero Cardinali tituli S. Petri ad Vincula, per Alemanniam Legato, ad ipsa vestra Monasteria, autoritate Apostolica visitanda & reformanda, onerati sint & astricti; humiliter & instanter nos supplicarunt, quatenus nostram eis fidelem assistentiam ad præmissa præbeamus. Quapropter devotorum nostrorum *Johannis & Pauli* Hallensium Præpositorum sanctis informationibus & justis eorum supplicationibus piè inclinati, ad honorem omnipotentis Dei & animarum plurimarum salutem, assensum favorabilem, assistentiam & bonam nostram voluntatem in præmissis exhibentes, ipsis duobus Præpositis ad tam sanctam & laudabilem reformationem merito perficiendam, juxta omnem nostram possibilitatem fideliter nos cooperaturos promissimus, & promittimus per præsentem. Idcirco ab omnibus & singulis vobis diligenter feriosèque desideramus, ut hujusmodi Bullis & mandatis Apostolicis juxta omnem earum tenorem, prout tenemini, prompto animo libenter obediatis & satisfaciatis, propter animarum vestrarum salutem perpetuam, dictos devotos Patres benignè suscipiendo & gratiosè pertractando, eorumque decretis & consiliis libenter obtemperando, prout in præmissis plene de vobis confidimus. Deditur etiam dictis Patribus visitoribus per omnem Juris nostri districtum & ditionem securum saluum conductum, ab omnibus Advocatis, Judicibus, Civitatibus & subjectis nostris firmissimè observandum & pro eis respondendum: quod ab omnibus

mnibus vobis gratanter accipimus & habere volumus. Datum *Erfordia*, nostro sub sigillo præsentibus impresso, Dominica post *Ægidii* anno Domini 1451.

CAPITULUM VI.

Mandatum insinuationis visitationis, ad Monasteria Ordinis Canonorum Regularium AD S. JOHANNEM prope Halberstadt, AD S. MAURITIUM prope Nuenburg, AD S. THOMAM in Lipsia, AD S. AUGUSTINUM in Erfordia, AD MONTEM SERENUM S. PETRI ad duo milliaria de Hallis, & ad cætera loca ejusdem Ordinis similia.

NOs, *Johannes & Paulus*, Præpositi Novi Operis & S. Mauritii in & prope Hallas Ordinis Canonorum Regularium Magdeburgensis diœcesis, visitatores & reformatores auctoritate Apostolica per provinciam Magdeburgensem & Moguntinensem, nonnullasque alias terras Monasteriorum, tam marium quam fœminarum Ordinis nostri prædicti, per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum, Dominum *Nicolaum*, divina miseratione tituli S. Petri ad Vincula Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, per Alemanniæ partes Legatum, specialiter deputati, honorabilibus ac religiosis Viris, Dominis Præpositis, Prioribus, Canonicis & Fratibus, Priorissis & Sanctimonialibus, Monasteriorum *S. Petri in Monte Sereno*, ad *S. Thomam* in Lipsia, ad *S. Augustinum* in Erfordia, ad *S. Mauritium* in Nuenburg, ad *S. Julianum* in Eitersburg, ad *S. Johannem* prope Halberstadt, ad *Beatam Virginem* in Heidersleben, ad *S. Georgium* prope Goslariam, ad *B. Virginem* in Aldenburg, ad *S. Pancratium* in Hamersleben, ad *S. Laurentium* in Schöningen, Ordinis Canonorum Regularium:

Priorissis & Sanctimonialibus ad *S. Crucem* in Erfordia, in *Brenen* diœcesis Magdeburgensis, in *Monte B. Mariæ* prope Helmstedt, in *Stederburg*, in *Heiningen*, in *Dorstadt*, in *Wallinckhausen*, in *Wennisen*, in *Weerder* Ordinis nostri Regularissis, cunctisque Monasteriis & Personis Ordinis nostri, in mandato Reverendissimi Domini *Nicolai*, Cardinalis & Legati præfati comprehensis Provinciarum prædictarum, salutem in Domino, & in observantia crescere regulari. Noveritis, quod, cum nuper dictus Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Cardinalis & Legatus iter per civitatem Magdeburgensem faceret, & ibidem Capitulum Provinciale celebraret: auctoritate Apostolica sibi commissâ humeros nostros visitationibus & reformationibus Monasteriorum Provinciarum prædictarum dicti Ordinis nostri duxerit onerandos, sub debito obedientiæ nobis præcipiendo effectualiter explere ea omnia, quæ in suis literis, quoad visitationis officium hujusmodi, nobis præsentatis, realiter & sanctè decreverat; quarum continentias exhibemus suis tempore & locis. Perstringimur itaque censura, ut præfertur, dicti Domini Cardinalis & Legati, ad visitationem & reformationem injunctas, propius accedere. Quare Vobis, Dominis Præpositis Prioribus, Priorissis, cæterisque fratribus & Monialibus dictorum Monasteriorum districtè præcipiendo mandamus, ut proxima tertia feria post Dominicam secundam prope horam meridiei in Vestro Monasterio, Capitularibus Vestris Fratribus & Monialibus, singulisque interesse debentibus Capitulo, convocatis, in loco Capitulari omnes in unum conveniatis; ubi & nos die & hora prædictis personaliter venire proponimus, visitationis Reformationisque Ministerium Deo adjuvante legitime profecuturi; pro certo scientes, quod cum omni mansuetudine Vos & quemlibet Vestrum audiemus, sic in dicto Visitacionis & Reformationis officio & negotio acturi, quod in vera charitate nil aliud nos querere quam animarum Vestrarum lucrum, & dictorum Vestrorum Monasteriorum salutem, sentietis. Datum *Erfordia* anno Domini 1451. die Jovis, vigesima tertia Septembris, Præpositurarum nostrarum sigillis inferius suppressis.

CAPITULUM VII.

Mandatum Domini Cardinalis ad Abbatem S. Petri in Erfordia, nomine Christianum, & Johannem Busch, Præpositum Monasterii Novi Operis prope Hallas, pro Monasterio Canonorum Regularium reformando in Erfordia.

N*icolaus*, miseratione divina tituli S. Petri ad Vincula S. S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis per Alemanniam Legatus, Venerabilibus in Christo nobis dilectis, *Christiano*, Abbati Monasterii S. Petri in Erfordia, & *Johanni* Præposito Regularis Canonice Novi Operis prope Hallas, Moguntinensis & Magdeburgensis Diœcesium, Salutem in Domino. Quia Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus

Nicolaus

Nicolaus Papa V. de reformandis Regularibus partium Alemanniæ præcipuè sollicitos nos esse voluit & intentos, Circumspectionibus vestris, de quarum sinceritate & industria, præcipuoque religionis Zelo gerimus in Domino fiduciam specialem, autoritate Apostolica, nobis in hujusmodi parte concessa, tenore præsentium, committimus vices nostras; in virtute S. obedientiæ districtius injungentes, quatenus Ecclesiam regularem Canonicorum Regularium ad S. Augustinum in Erfordia diœcelis Moguntinensis quantocius accedentes, illam autoritate præfata in capite & in membris diligenter visitetis, ac illos, ubi à Regula B. Augustini ac statutis Ordinis sui deviare inveneritis; crimina quoque & excessus, dignè corrigatis & emendetis; ipsosque, Præpositum & Canonicos, ad regularis vitæ observantiam & disciplinam effectualiter amplectendam & fideliter continuandam, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Mandamus insuper vobis, & damus potestatem, illos ex præfatis, Præposito & Canonicis, qui se reformationi hujusmodi submittere pertinaciter recuserint, aut alias incorrigibiles extiterint juxta Regulam S. Augustini & statuta Ordinis, à præfata Ecclesia sive Monasterio perpetuò expellendi, aliosque loco eorum, ad observantiam hujusmodi voluntariam, jam professos sive denuo professuros, suscipiendi & loco eorum reponendi: submittentem vero se hujusmodi reformationi, à labe Simonie aliisque criminibus & excessibus, Apostolicæ sedi reservatis, nec non ab omnibus excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiis ac censuris, à Jure vel ab homine, generaliter prolatis vel specialiter latis, sine alicujus juris præjudicio, & digna satisfactione eorum prævia, in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ fuerint injungenda. Omnia etiam alia & singula finiendi, statuendi, ordinandi ac disponendi, quæ in præmissis ac circa ea necessaria fuerint & opportuna, plenam & liberam Apostolica autoritate concedimus facultatem. Datum Erfordiæ s. die Junii, anno à Nativitate Domini 1451.

CAPITULUM VIII.

Instrumentum susceptionis, visitationis & reformationis IN LIPSIA in Misnia, in præsentia Episcopi & Doctorum Universitatis ibidem.

IN nomine Domini amen. Anno à nativitate ejusdem 1451, die Martis, 12. mensis Octobris, Indictione decima tertia, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini *Nicolai*, divina providentia Papæ V. anno quinto, in *Stuba* infirmariæ S. Thomæ Canonicorum Regularium S. Augustini oppidi Lipsiensis, diœcesis Merspurgenfis, in præsentia mei, Notarii Publici, testiumque infra scriptorum, ad hoc specialiter deputatorum; personaliter constituti Venerabiles ac devoti Patres ac Domini, *Iohannes* Novi Operis extra, & *Paulus* S. Mauritii intra muros oppidi Hallensis Monasteriorum Præpositi; *Borchardo*, dicti Monasterii S. Thomæ Præposito, Priore, & reliquis Dominis Canonicis Regularibus omnibus & singulis ibidem præsentibus; nec non & Reverendo in Christo Patre ac Domino, Domino *Iohanne*, Episcopo Ecclesiæ Merspurgenfis, dicti loci ordinario, in officio hujusmodi visitationis autoritate sua ordinaria cum dictis visitatoribus Apostolicis concurrente, capitulariter congregatis: eis conjunctim per Reverendissimum in Christo Patrem Dominum *Nicolaum*, miseratione divina tituli S. Petri ad vincula Cardinalem, per Alemanniæ partes Legatum, officio visitationis ac reformationis injuncto & commissio satisfacere volentes; literâ & commissione dicti Domini Cardinalis palam & publicè, omnibus supra dictis præsentibus, prius, referebant, lecta & prælecta; dictos Præpositum & Fratres requisierunt, an eos tanquam Apostolicos visitatores ac reformatores, juxta tenorem commissionis eis factæ, suscipere & admittere velent. Qui, matura deliberatione præhabita, per oraculum dicti Domini *Borchardi* Præpositi responderunt, quod parati essent eos reverenter suscipere, omniaque & singula, per dictum Dominum Cardinalem mandata, & in eorum commissione expressa, pro omni possibilitate realiter adimplere: qui etiam reverenter tunc temporis ipsos receperunt. Demum in continenti per alterum Visitorum & Reformatorem Apostolicorum quædam schedula fuit dictis, Præposito & Fratribus reformandis, alta voce & intelligibili lecta; quam quidem schedulam & omnia in ea contenta firmiter servare, facere & adimplere stipulationibus manuum, à dicto Domino *Borchardo* Præposito incipiendo, successivè usque ad juniorem Fratrem inclusivè, realiter cum effectu promiserunt, & eorum quilibet promisit; cujus schedulæ tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis:

Ego Frater N. promitto præsentibus in manus Reverendi in Christo Patris Domini mei, Domini *Iohannis* Merspurgenfis Episcopi, nec non Dominorum, *Iohannis & Pauli*, Novi Operis & S. Mauritii in & extra Hallas Præpositorum, autoritate Apostolica Visitorum & Reformatorem per Reverendissimum in Christo Patrem Dominum *Nicolaum*, Cardinalem tituli S. Petri ad Vincula, per provincias Moguntinensem & Magdeburgensem Ordinis Canonicorum

Fffff

corum

corum Regularium utriusque sexus Monasteriorum deputatorum; quod velim observantiam regularem & sanctam reformationem, juxta mandatum Domini Cardinalis mihi propositam, abhinc successivè in omni forma realiter & cum effectu suscipere & firmiter tenere; & roquetum Romanum five subtile in die Natalis Domini induere, ac deinceps semper deferre sub pœnis, in mandato dicti Domini Reverendissimi Patris contentis. Acta sunt hæc anno, mensè, die, indiçione, Pontificatu & loco, quibus supra, horâ quasi tertiarum de mane, præsentibus Venerabilibus discretisque viris, Domino *Andrea Bodisyer* (*) Decano, in Decretis Licentiatò; *Theodorico Lembergi*, Vicario Ecclesiæ Mersburgensis; *Petro Schuesen*, Rectore Scholarium in Lipsia, Doctore Mersburgensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis, requisitis pariter & rogatis. Et ego *Johannes Leonis*, publicus Papali autoritate Notarius, qui præmissis omnibus, dum, sicut præmittitur, fierent, una cum nominatis testibus interfui, ideo præsens publicum instrumentum confeci, publicavi, & in hanc publicam formam redegei, idque signo & nomine meo solitis signavi, in fidem & testimonium eorundem requisitus.

CAPITULUM IX.

Instrumentum susceptionis Reformationis ad S. Johannem prope Halberstadt.

IN nomine Dei amen. A Nativitate ejusdem anno 1451, indiçione 14, die Dominica ultima mensis Octobris hora tertiarum, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Domini *Nicolai* Papæ V. anno quinto, in mei, Notarii publici, testiumque infra scriptorum præsentia, Venerabilis Dominus *Nicolaus* Præpositus, *Henningus* Prior, cæterique Canonici Regulares Monasterii S. Johannis extra muros Halberstadii residentes, in refectorio hiemali pariter congregati, volentes se monitis & exhortationibus, per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum *Borchardum* Halberstadiensem Episcopum, super reformatione regulari vitæ ipsis charitativè factis, humiliter & concorditer conformare, animis eorum, ut apparuit, deliberatis; Regularis vitæ reformationem deinceps juxta tenorem cujusdam schedulæ infra scriptæ in se suscipere & tenere, sponte & liberè per ordinem promiserunt; cujus quidem schedulæ tenor fuit & est talis: Ego Frater N. promitto præsentibus ad manus Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini *Borchardi* Halberstadiensis Episcopi, quod velim observantiam Regularem & sanctam reformationem, juxta mandatum Domini Cardinalis mihi propositam, abhinc successivè in omni forma realiter & cum effectu suscipere & firmiter tenere, ac roquetum Romanum in die Epiphaniæ Domini induere & deinceps semper deferre, sub pœnis in mandatis dicti Domini Cardinalis contentis; nisi in proximo *Moguntino Provinciali concilio*, in quo idem Dominus Cardinalis & Legatus verisimiliter præsidebit, per ipsum & per dictum provinciale Concilium aliter fuerit ordinatum. Acta sunt hæc indiçione, die, mensè, hora, loco & Pontificatu, quibus supra: præsentibus ibidem discretis viris *Alberto Stynt* Rectore Scholarium apud dictum Monasterium S. Johannis, & *Tilemano Divite*, Clerico Halberstadiensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis & requisitis. Et ego *Johannes Sprössel de Ulzen* Clericus, Publicus autoritate Episcopali Notarius, qui præmissis omnibus & singulis, dum, sicut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænotatis testibus interfui, ideo præsens publicum instrumentum, per alium conscriptum confeci, publicavi, & in hanc formam publicam redegei; quam signo & nomine meo solitis signavi, in fidem & testimonium eorundem requisitus.

CAPITULUM X.

Mandatum Cardinalis, ut Monasteria infra annum se reforment, sub pœna amissionis privilegiorum, & perditionis Ecclesiarum incorporatarum, & inhabilitatis ad eligendum in Prælatos.

N*icolaus* miseratione divina Tituli S. Petri ad Vincula S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter & Cardinalis, Apostolicæ sedis per Alemanniam Legatus, Reverendissimo ac Reverendis in Christo Patribus ac Dominis, *Friderico* Archi Episcopo, ac universis & singulis Episcopis Provinciæ Magdeburgensis, salutem in Domino sempiternam. Quoniam Sanctissimus Dominus noster, Dominus *Nicolaus*, divina providentia Papa V. curam habens, ut universalis Ecclesia sibi commissa in suis membris, per orbem diffusis, salubriter gubernetur: Nos ad hanc Magdeburgensem, quemadmodum ad nonnullas alias Alamannicæ nationis provincias, pro communi animarum salute procuranda transmisit, plurima ad id opportunas nobis tribuens facultates. Nos considerantes, ad honorem Dei, animarum ipsarum salutem, ac populi Christiani gratiam & consolationem tendere, si omni studio & diligentia procuraverimus,

(*) f. Bodiker.

mus, ut personæ religioſæ, quamcunque Regulam, per ſedem Apoſtolicam approbatam, tacite vel expreſſè profeſſæ, ſecundum regulam hujusmodi profeſſionis ſuæ vivant, & Deo altiſſimo vota ſua reddant; conſiderantes etiam, quomodo ob hanc cauſam eiſdem Religioſis perſonis, ut in obſervantia Regulari omnipotenti Deo eo liberius & quietius ſervire poſſint & debeant, ab Apoſtolica ſede plurima privilegia, & indulta multa conceſſa ſint; pluresque Eccleſiæ cum fructibus, redditibus & proventibus illis unitæ & incorporatæ exiſtant; quarum quidem Religioſarum perſonarum nonnullæ, tantis ingratis beneficiis, ſalutem ſuam miſerabiliter negligentes, dictarum Religionum ſuarum regulas & ſtatuta obſervare non curant, quin imò temerariè contradicunt, in grave animarum ſuarum periculum & ſcandalum Religionum: quapropter niſi illarum mores pravos & diſſolutam vitam abjecerint, ac ad cor redierint, opera piorum Patrum, in quorum locum ſucceſſerunt, devotè adimplendo, privilegia ac indulta atque Eccleſias prædictas juſtè merentur amittere; quorum, ſi in pertinacia, ſive incorrigibiles perſeverare præſuſerint, nequaquam poterunt eſſe dignæ. Hinc eſt, quod nos autoritate Apoſtolica, qua in hac parte fungimur, de veſtrorum, Patrum & Dominorum, Archi-Epiſcopi & Epiſcoporum prædictorum conſilio & aſſenſu, omnibus & ſingulis perſonis Religioſis Monafteriorum quorumcunque, tam virorum quam mulierum, per civitatem, diœceſin & provinciam Magdeburgenſem ubique conſtitutis, exemptis & non exemptis, ſub pœna amiſſionis & revocationis omnium & ſingulorum privilegiorum, indultorum & unionum Eccleſiarum, eis & eorum Monafteriis quacunque etiam Apoſtolica autoritate conceſſarum, diſtinctè præcipiendo mandamus, quatenus infra unum annum à die datarum præſentium computando, regularem vitam juxta regulam & ſtatuta Ordinis, quæ, ut præmittitur, profeſſæ ſunt, effectualiter obſervare incipiant, & ſic incepta fideliter continuare ſtudeant, ut tenentur. Eadem quoque autoritate declaramus, decernimus & ordinamus, omnes & ſingulas perſonas Religioſas prædictas, per præfatas, civitatem, diœceſin & Provinciam, ubilibet conſtitutas, quæ infra prædictum annum regularis vitæ obſervantiam animo continuandi effectualiter non inceperint, poſt lapſum ejusdem anni ad quamcunque dignitatem fore inhabiles & ineligiblees; quodque poſt lapſum duorum annorum, à dato præſentium numerando, nulla talium perſonarum religioſarum, niſi prius ſaltem per annum integrum, immediatè præcedentem, regularem tenuerit ob ſervantiam, ad quamcunque dignitatem eligibilis exiſtat. Mandantes inſuper Vobis, Reverendiſſimo ac Reverendis Patribus, Domino Archi-Epiſcopo, Epiſcopis præfatis, ac omnibus aliis & ſingulis, ad quos de jure, conſuetudine vel privilegio electionum, & perſonarum ac Monafteriorum præfatorum confirmatio pertinet, ne contra declarationem, decretum ac ordinationem noſtram hujusmodi veniendo, ullam electionem de perſona, ut præfertur, inhabili pro tempore factam, quovis modo confirmetis ſive confirmare attentetis ſive præſumatis. Quod ſi ſecus feceritis aut fecerint, confirmationes eaſdem ſimili autoritate Apoſtolica, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, decernimus irritas & inanes, nulliusque exiſtere roboris vel momenri. Et, ſi forſitan infra primum annum à dato præſentium computando, caſus vacationis alicujus dignitatis occurrerit, ad quam perſona eligitur, quæ in obſervantia regulari ſui Ordinis antea non ſtetiſſet per annum, aut vitam regularem hujusmodi nondum incepiſſet ſervare: circa illam confirmator agere poterit, prout de juris communis diſpoſitione fuit faciendum. Ut etiam hæc noſtra ſancta ordinatio & charitativa admonitio ad omnium, quorum intereſt, intererit vel in futurum intereſſe poſſit, publicam deducatur notitiam; Vobis, Reverendiſſimo Patri Archi-Epiſcopo, ac etiam Epiſcopis præfatis firmiter præcipimus & mandamus, quatenus has noſtras literas & in eis contenta, per Veſtras civitates, diœceſes & Provinciam, & ubicunque opus eſſe judicaveritis, infra unius menſis ſpatium à dato præſentium inſinuare ac publicare curetis, & ea, quantum ad vos ſpectat, obſervetis, & ab aliis omnibus, quorum intereſt, faciatis inviolabiliter obſervari. Datum Magdeburgi ſub noſtro ſigillo die Veneris 25. menſis Junii, Anno Domini 1451, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Nicolai, divina providentia Papæ V. anno quinto.

Præfatio, (*) toti operi Buſchiano in Manuſcripto Sultenſi præmiſſa.

Præfationes novis ſcribendis libris utiliter ſolent anteponi, ut diligentes lectores & auditores materiam ipſius libri ſaltem in generali audiant & agnoſcant; & quid Auctorem ad edendum ipſum permovit, & ad quem finem ejus tendat effectus, pariter recognoſcant; quatenus rei audita veritate & ejus intellecta utilitate, ſermonisque illius attracti ſuavitate, aures porrigant avidiores, ad auſcultandum ea, quæ tam ſalubria, & poſteris noſtris digna imitatione cunctis futuris noſcuntur eſſe temporibus. Cibus enim nutrit ratione dulcoris, & lac, ſi fugatur, melius nutrit: ita mel Scripturæ divinæ, ſi diligenter auſcultando fugatur, mentes hominum devotorum melius recreat interius & impinguat. Unde & favo comparatur, quia per ſermonis ſimplicitatem foris apparet arida; ſed ejus dulce-

F f f f f

(*) Hanc præfationem, quia ſeriùs ad noſtras manus pervenit, hic loci ſubneſtere placuit.

dulcedine prægustata, divini mellis intus invenitur plenissima. Cum igitur labor non parvus in brevi moderno tempore à pluribus magnis Patribus, sicut & à nobis, pro multorum reformatione Monasteriorum sexus utriusque Ordinum diversorum factus sit per *Saxoniã, Misniam, Thuringiam, Marchiam & Westphaliã*, ac in aliis Alemanniæ regionibus, quæ in regulari observantia pene omnia usque in præsens perseverant: idcirco de Venerabilium Patrum, Dominorum, *Henrici ad S. Michaelẽ, & Lippoldi ad S. Godehardum in Hildesheim Ordinis Sancti Benedicti Abbatum*, qui hujusmodi reformationibus non parvam operam impenderunt; & præcipuè Venerabilis Patris, Domini *Theodorici*, in *Windesheim Ordinis Canonorum Regularium Prioris Generalis*, Fratrumque multorum consilio & commissione seu mandato, placuit litteris commendare & ad posteros nostros, causâ boni exempli imitationisve gratiã, ea derivare, quæ Patres præfati, & nos ipsi cum aliis certis Patribus ac Fratribus personaliter ad id peregrimus; quantas ad veritates frequenter sustinuumus, & quam gloriose finaliter, dextera Domini nobis obstetricante, triumphavimus: quatenus successores & posteri nostri, hujusmodi exemplis nostris roborati, nullis pravorum comminationibus, nullis rebellium Monachorum & Monialium perverfitatibus, nec ipsius reformationis in principio difficultatibus unquam deterreantur; sed in Domino Deo suo confidentes, fideliter & constanter ipsam Sanctam Monasteriorum & Monachorum perverforum reformationem incipiant & perficiant, ad summi Dei gloriam & honorem, plurimarumque animarum perpetuam salutem. Valde enim commendabile est, multorum invigilare salutem: Nihil enim ad salutem utilius, nec bonis moribus æque pertinenter accommodum, quam prudentiæ, sapientiæ & fidei fluvios in plurima subjecta, gratuitã liberalitate, transferre. Hæc est institutio mentium optimarum, suum spernere secretum & proximorum utilitati postponere; uti ipse Summi Patris Filius, ut multis prodesset, de sinu Patris ad publicum nostrum est egressus. Quid enim felicitius, quid honore dignius, aut Deo similis, quam juvare, & quam plurimos in bono statu conservare? Quod si quis potest & non facit, præclarum humanitatis officium abjecisse, & rem hominis, & nomen, & naturam, amisisse judicabitur. Nihil habet fortuna hominis majus, quam ut possit; nec natura melius, quam ut velit subvenire. Supra regnare, merito reor esse juvare. Quæ enim natura melior, quam eorum, qui se natos ad homines juvandos & consolandos arbitrantur? Magna prærogativa, quos in integrum beatitudo restituit, imitari. Sicut vitalis spiritus effectu naturalissimo radios extendimus, ubertate sæcundos, Aquilone & Meridie; sic oportet versus Orientem & Occidentem spontaneæ generationis examine prolificare thecis Monasteriorum, neglecta vetustate tabidis, participatione reformationis non indignis. Hæc operis nostri militia non degener, sed ingenua. Cuncta jam præmissa pro laude eorum, qui lucro animarum in agro Dominico sedulo laborant, digna duximus annexenda, quatenus vividis bonorum exemplis oculata fide conspiciant, quomodo dicta & facta Patrum præcedentium eos oportet imitari: & quanta apud omnipotentem præmia similia facientibus perpetuo sint reposita, qui in id ipsum fideles se semper exhibere curaverunt. Unde *omnium vertex Philosophorum Aristoteles* in sua Theorica non solum operarios, sed & informatores & Scriptores in bono laudat, dicens: *non solum his est regratiandum, qui BENE dixerunt, sed etiam, qui ALIQUID dixerunt vel scripserunt.* Sapientissimi artis suæ professores sunt, *juxta Valerium, à quibus propria verecundè & aliena studia callidè æstimantur.* Quo facto moderationem suam magis commendant quam minuunt; auctoritate *Platonis*, qui ad *Euclidem* ire jussit Geometram, scientiæ illius cedens.

Librum igitur præsentem, de diversorum utriusque sexus Monasteriorum Ordinum diversorum reformationibus intitulatum, in tres libros particulares, cum singulorum librorum titulis & capitulis, propter legentium congruentiam bene distinctis, dividere & attitulare curavimus. *Primus liber* modum & formam describit, quomodo per certos Patres, cum Principum & majorum suorum consilio & auxilio, plurima virorum Monasteria sint reformata, & quæ dictis Reformatoribus prospera & adversa evenerunt. *Secundus liber* modum & formam ponit reformationis Monasteriorum Monialium, bonaque & mala, quæ Reformatoribus inde acciderunt; & de Monialibus Apostatis, ad observantiam regularem reductis. *Tertius liber* continet de quibusdam rebus notabilibus, quæ in præfatis factæ fuerunt reformationibus, & de male prædicantibus sed revocatis, de fratribus tentatis, de terrarum Principibus, & de quibusdam aliis ibidem annexis. *Quartus* in fine additus est *liber*, de Commissione Domini Cardinalis ad reformandum Monasteria, & de executione ejus, per Patres *Joannem & Paulum* Hallis Præpositos facta.

Capitula libri Primi, de Monasteriis Virorum, ad Reformationem perductorum.

Capitulum 1. De initio vitæ & conversationis *Fratriis Jobannis* ante Religionem, & de susceptione ejus in *Windesem* ad probam.

2. De

2. De susceptione ejus ad habitum, & tentationibus, quas in novitiatu sustinuit; ac demum de ejus spiritualibus exercitiis.
3. De prima fundatione Monasterii *B. Mariae in Rodingen* diocesis Coloniensis in Ordinem Canonorum Regularium, & de adversitatibus ibidem occurrentibus.
4. De reformatione Monasterii *S. Martini in Ludinkircha* in Frisia.
5. De Monasterio *Beatae Mariae in Sion*, quomodo fundatum sit & reformatum.
6. De Monasterio *S. Bartholomaei in Sulta*, quomodo primò fuit reformatum.
7. Quomodo fratres propria resignaverunt, & ad reformationem in Choro & in Refectorio se disposuerunt; & de fugitivis.
8. Quomodo fratres habitum & cantum reformatum assumerunt, & ego Praepositus factus fui, & plures Fratres investivi.
9. De antiquis Fratribus, quomodo postmodum Reformationi se opposuerunt.
10. Quomodo Monasterium *generali Capitulo de Windesem* fuit incorporatum, & de Banno in Hildesem fulminato, quomodo Sultenses in eo se habuerunt.
11. De Fratribus reformationi se opponentibus, & quomodo ad majorem Praeposituram fui vocatus; & de Prioribus, mihi in officio in Sulta succedentibus.
12. De reformatione (a) Monasterii *Novi Operis* prope Hallas in principio.
13. De tribus ejus solennibus processibus, & quomodo ordinatus ibi fui in Praepositum, permanens Prior in Sulta.
14. Quomodo Praepositus factus, Archidiaconatum renovavi, & synodum servavi.
15. Quomodo synodum cum laicis in quatuor sedibus servavi, & Archidiaconatum circumivi.
16. De quibusdam notabilibus, quae Hallis tunc feci.
17. Quomodo coegi Presbyteros & Altaristas Dominicis & Festis, ut interessent processioni per circuitum; & in vesperis utrisque praesentes essent in magnis Festis; & de usuris Judaeorum.
18. Quomodo Presbyteri, suspectas mulieres habentes, correcti sunt; & de pacto, quod cum Deo feci, quando Monasteria in Sulta & Novi Operis reformare debueram.
19. Quomodo Praeposituram resignavi, & quae postea feci & dixi.
20. De institutione *Capituli Provincialis Novi Operis*.
21. De visitatione (b) & reformatione Monasterii *ad S. Mauritium*.
22. De reformatione & visitatione Monasterii *in Monte Sereno*.
23. De visitatione Monasterii *S. Thomae in Lipsia*.
24. De Monasterio *S. Johannis* prope Halberstadt.
25. De reformatione Monasterii *S. Justini in Etersborg* in Thuringia prope *Wimariam*.
26. De visitatione & reformatione Monasterii *S. Augustini in Erfordia*.
27. De quodam Erfordia in Doctorem promotum.
28. De visitatione Monasterii *S. Mauriti* prope *Nuenborg*, & de quinque Monasteriis, contra nos ad Curiam appellantis.
29. De reformatione Monasterii *B. Mariae in Wittenborg*.
30. De Monasterio *in Richenberg*.
31. De Monasterio *S. Pancratii in Hamersleve*.
32. De reformatione Monasterii *S. Maynulphe in Bodike*, & de multis Monasteriis & personis, per ipsum reformatis.
33. De reformatione Monasterii *S. Dionysii in Molebeke*.
34. De reformatione Monasterii *in Dalem*.
35. De Monasterio *in Volkerinchusen*.
36. De Monasterio *in Segeberge*.
37. De Monasterio *S. Spiritus in Soltwedele*.

De Ordine Praemonstratensi.

38. De prima visitatione & reformatione Monasterii *B. Mariae in civitate Magdeburgensi* Ordinis Praemonstratensis.
39. De duobus Dominis, *Conrado de Ullzen* & *Joannes Rees* praedicatoro bono, ibidem misis ad reformandum.
40. De Praeposito (c) in Sulta, Praeposituram illam assumere recusante, & quomodo Magister *Everhardus*, in Theologia Baccalaureus, Praeposituram illam assumpsit.
41. De reformatione Monasterii *Gratia Dei*.
42. De Monasterio *ad S. Wibertum*.

F f f f f f 3

De

(a) in MSC. Sultensi Cap. hoc est XI, ibidem scilicet in praecedentibus, ubi agitur de Monasterio in Sulta, duobus Capitulis in unum contractis. (b) Hoc Cap. in MSC. est XIX, ob eandem rationem, quae in praecedenti nota indicata fuit. (c) In MSC. Sultensi hic iterum duo capita in unum contracta.

De Ordine S. Benedicti.

34. De reformatione Monasterii in *Clusa*.
44. De reformatione Monasterii in *Bursfelda*, & de Capituli Provincialis sine annalis institutione.
45. De mala morte (d) Monachorum, reformationem impedire laborantium, & de confirmatione capituli eorum annalis.
46. De reformatione Monasterii *S. Michaelis in Hildesheim*, per Dominum Cardinalem *Nicolaum de Cusa* facta.
47. De Domino *Iobanne Eilke* viro reformato, ibidem in Abbatem confirmato, & post mortem ejus, de Domino *Henrico Bertkou*, viro bene reformato, ejus successore.
48. De Monasterio *ad S. Godehardum*, quomodo Abbas ejus diu reformationi restitit, & post mortem ejus alter non reformatus ibi electus fuit & confirmatus, & de visitatione ejus per *D. Ernestum* Hildesheimensem Episcopum & alios Prælatos.
49. Quomodo Dominus *Iohannes* in Sulda Prior per Episcopum missus fuit eos visitare, & ad observantiam regularem eos inducere, qui invenit eos regulam non servare.
50. Quomodo Abbas promisit servare Regulam & duos Fratres pro informatione recipere, & unum in Priorem creare; & de unius Fratris perversitate.
51. De morte istius Abbatis, & electione Domini *Lippoldi de Stemmen* in Abbatem, & de ejus bono regimine & debita reformatione.
52. De Monasterio *S. Georgii prope Nuenborg*.
53. De reformatione *S. Michaelis in Luneburg*, & de magnis adversitatibus, reformationi ibi occurrentibus.
54. De initio congregationis Presbyterorum & Clericorum *Hildesi in Brulone* in horto luminum.
55. Quomodo Dominus *Bernardus* Domino *Reinero* non reverso, Dominum *Iohannem Loef* pro socio recepit, qui multis annis confessor factus fuit Sororum in *Eldase*. (e)
56. De *Fratribus voluntariè pauperibus*, quomodo habitum singularem eis inconsumtum per Patres de Sulda de mandato Episcopi susceperunt.

Capitula libri secundi, de Monasteriis Monialium, ad reformationem perductarum.

1. Quomodo Moniales in *Weniczzen* reformationi fortissime primo se opposuerunt.
2. Quomodo post consensum earum in Reformationem una contradixit, quæ sensum perdidit; & quomodo quidam focii nos inde recedentes, hastâ & arcu extento invaserunt.
3. De reformatione Monialium in *Mariensee* Ordinis Cisterciensis, & earum in principio fortissima resistentia, & in fine bona earum observantia.
4. De reformatione Monialium in *Barfingenbusen* & habitu earum.
5. De reformatione Monialium in *Werder*.
6. De reformatione Monialium *ad S. Georgium* Hallis Ordinis Cisterciensis per Patres Ordinis & per nos, & quomodo paupertatem suam allegaverunt.
7. Quomodo per prudentem Patrum provisionem reformationem gratanter susceperunt.
8. Quomodo (f) ad confessionem primò venerunt, & de morte Abbatis de *Tynna*.
9. De reformatione Monialium in *Hildesem* Ordinis *B. Mariae Magdalens de Penitentia*, quomodo eam per Patres de Sulda inceperunt.
10. Quomodo in regulari observantia per eos in choro, refectorio & Capitulo sunt instructæ.
11. Quomodo vestimenta & pepla secularia de consilio eorum deponentes, religioni suæ apta assumerunt. De Priorissis, quæ in reformatione eas usque hodie conservaverunt.
12. De duabus aliis Priorissis, quomodo dictum Monasterium in reformatione conservaverunt, & de statu temporalium ejus.
13. Quomodo Moniales in *Derneborg* reformationem per nos inceperunt.
14. Quomodo Moniales istæ ad se reformandum difficiles, quæ comedere debebant, emittebant; & quomodo reformationem suam adhuc evadere laborarint.
15. Quomodo Moniales in reformatione permanere nolentes, in curibus de Monasterio suo sunt evectæ, & Moniales Ordinis Cisterciensis ibidem introductæ.
16. De reformatione Monialium in *Efsberde* Ordinis S. Benedicti.
17. Quomodo Moniales in *Heiningen* habitum & statuta Monialium nostrarum per Patres de Sulda

(d) Hoc Cap. in MSC. Sultensi separatim Cap. non facit. (e) duo præcedentia capita in unum contrahuntur in MSC. Sultensi. (f) duo posteriora capitula unum tantum constituunt in MSC. Sultensi.

- Sulta assumserunt. Quomodo Præpositus in Dorstadt Dominus Staius decimam in villa Dorstadt, ad Heiningen pertinentem, sibi voluit appropriare; & quomodo Moniales in Heiningen citavit ad judicem in Hildesem, qui sententiam dedit contra eas; sed per viam appellationis in Curia sententiam pro se obtinuerunt.
18. De reformatione Monialium in *Stederborg*, quæ habitum, cantum & statuta Monialium nostrarum susceperunt.
 19. De reformatione Monialium in *Franckenberg* Ordinis B. Mariæ Magdalenz de pœnitentia in Goslaria.
 20. De reformatione Monialium *Erfordie ad Novum Opus*.
 21. Quomodo traduxi ad eas tres Moniales de diœcesi Hildesemenfi pro earum informatione. (g)
 22. De reformatione Monialium *Erfordie ad S. Cyriacum* Ordinis S. Benedicti.
 23. De reformatione Monialium *Erfordie ad Albas Dominas* Ordinis B. Mariæ Magdalenz de pœnitentia.
 24. De reformatione Monialium *Erfordie ad S. Martinum* Ordinis Cisterciensis.
 25. De reformatione Monialium in *Monte B. Mariæ* prope Helmstede, quæ habitum, cantum & statuta nostra susceperunt; quibus tres Moniales adduxi de *Brunopia*, quæ tribus annis ibidem permanferunt.
 26. Epistola *Iohannis Prioris in Sulta* ad tres Moniales, sibi concessas. Epistola Priorissæ & Procuratricis in Helmstädt ad easdem. Epistola *Iohannæ Pennensack* & scholarium, ad *Teclam*. Epistola Monialium, concessarum *Iohanni Buschio*, ad Priorissam & ceteras Sorores in *Monte B. Mariæ*. Epistola *Teclæ ad Iohannam Pennensack* & condiscipulas.
 27. De reformatione Monialium in *Fonte B. Mariæ*.
 28. De reformatione Monialium in *Winhusen* Ordinis Cisterciensis, ad quam nulla in principio dedit consensum. Unde Abbatissam & omnes officiales absolvimus ab officiis, & quomodo eveximus Abbatissam.
 29. Quomodo quinque Moniales in curribus eveximus, & omnes tunc ad reformationem se dederunt, & Abbatissam reformatam elegerunt.
 30. De reformatione Monialium *ad Albas Dominas* Ordinis B. Mariæ Magdalenz de pœnitentia in civitate *Magdeburgensi*, quibus duas concessimus Moniales pro reformatione, quarum unam elegerunt in Priorissam.
 31. De reformatione Monialium in *Wallinckhusen*.
 32. De reformatione Monialium in *Visbecke*.
 33. De visitatione Monialium in *Dorstadt*.
 34. De fundatione & reformatione Monasterii Monialium in *Stendel*, & primo, quomodo per Moniales in Dorstadt fuerunt reformatæ.
 35. Quomodo Monasterium in *Stendel* ad perfectam reformationem pervenit per Moniales *Montis B. Mariæ* prope Helmstede.
 36. De prima fundatione Monialium in *Beverwick*.
 37. De tribus inclusis in & prope *Hildesheim*.
 38. De Moniali Ordinis Cisterciensis, quæ septem annis incontinenter apostataverat, ad reformationem per nos reducta.
 39. De Moniali, quæ ad 40. milliaria à Monasterio apostataverat, per nos ad reformationem reducta.
 40. De sorore devota, à propria congregatione abducta, quam ad aliam bonam congregationem de *Regula S. Augustini* ob rogatum Patrum de *Northorn* induxi.

Capitula libri tertii, de quibusdam notabilibus, in Reformationibus istis factis, de male prædicantibus sed revocatis, de Fratribus tentatis, de Principibus, & aliis quibusdam annexis.

1. **R**ememoratio beneficiorum Dei, cuidam Priori concessorum, cum digna gratiarum actione, & introductione congrua subsequenti.
2. De Priore, qui petiit à Deo, ut nullus in Monasterio suo in pestilentia, ibidem grassante, moreretur, nisi unus, quod & impetravit.
3. De Priore, qui Priori feblicitanti imperavit per obedientiam, ut febres non admitteret: qui surrexit sanus.
4. De Moniali fidem habente, quod per benedictionem Prioris liberaretur à febribus, quod & factum est.
5. De Priore Ordinis S. Benedicti ægotante, cui Abbas suus dixit, ut benedictionem ab eodem Priore peteret; cui dixit Prior: creditis, per benedictionem nostram sanari? respondit: non; & non benedixit eum.

6. De

(g) ex uno Sultensi hic duo capitula facta.

6. De Priorissa in Hildesheim, quæ Priori in Sulda negavit concedere Sorores pro reformatione Monialium Ordinis sui in Erfordia; quæ juxta verbum Prioris in brevi post obiit.
7. De Abbate ad S. Michaelem Hildesii, quod cum eo ire voluit ad impetrandum sorores pro reformatione; qui etiam juxta verbum Prioris, post dies obitus Priorissæ, diem clausit extremum: & de Abbate *de Cynna*, qui consentire noluit in reformationem Monialium sui Ordinis Cisterciensis, ad verbum ejus mortui.
8. De Domino *Gerardo* Episcopo Hildesiiensi, propter Reformationem Monasterii salvato.
9. De Præposito in summo Hildesiiensi, qui propter Monasteriorum Reformationem utriusque sexus, ostensus est Priori cuidam, quod sit salvandus.
10. De Priorissa Hildesii ad Sorores, quæ ad petitionem Prioris in Sulda per annum jacuit in loco infirmariæ, & in fine anni pervenit ad cœlestia.
11. De Suppriorissa Hildesii *ad Sorores*, quæ post mortem apparens cuidam Sorori ibidem, dixit, se salvatam ad Prioris promissionem.
12. De Monialibus in *Lubeke* Ordinis Cisterciensis, quæ non putabant, se esse proprietarias, quia bona sua peculiaria, pecuniam & similia in communi ponebant cista, singulæ in suis scriniis, ad quam Abbatissa clavem habebat; quod reprobavi.
13. De congregatione Sororum in *Lubeke*, in domo *Zogebergs* dicta, quas ego cum Priore de *Richenberge* visitavi pluries, secundum regulam S. Augustini nunc viventes; quasque contra adversarios defendi.
14. De Domina *Sophia de Swichel*, olim in *Heiningen* Priorissa, infirma, quam visitans dixi, quatenus per annum infirma remaneret; ut hic purgaretur & non in futuro.

De Male prædicantibus.

15. De Guardiano Ordinis Minorum, qui prædicavit in *Hanover*, omnes Beginas simul habitantes in statu esse æternæ damnationis: cui Præpositus in Sulda contradixit in tantum, ut ipsum oporteret id publicè revocare.
16. De Doctore Sacræ Theologiæ Ordinis Carmelitarum, qui quatuor articulos falsos in *Hanover* prædicavit; quos ad consultationem Prioris in Sulda, qui eos audivit, oportebat eum revocare.
17. De Lectore Ordinis Prædicatorum, qui in *Zutphania* publicè prædicavit, Laicos habere non debere libros Teutonicos; quod audiens contradixi, & eum coëgi ad publicè in ambo- ne revocandum.
18. De Lectore Ordinis Minorum, qui *Hallis* prædicavit, usuram non esse, siquis alteri teneatur centum dare florenos, & haberet agrum, quinque florenos annuatim valentem, tuncque illos quinque florenos creditor tolleret, donec summa capitalis sibi in toto perfolveretur, quod reprobavi.
19. De Lectore Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui prædicavit *Hallis*, Caipham esse salvatum; quem ad modestè revocandum coëgi.
20. De bono Prædicatore, qui *Hallis* prædicavit, decem præcepta oportere servari, & de modo, quomodo id probavit.
21. Quomodo Dominus Cardinalis *Magdeburgi* in publica sessione persuasit omnibus indulgentias promereri.
22. De reformatione Monasterii Ordinis S. Benedicti *per suspendium*.
23. De reformatione Monasterii *per ignem*.
24. De reformatione Monasterii *per catevas & flagella*.

De Tentatis Fratribus.

25. De laico in *Windssem*, ad exeundum è Monasterio graviter tentato; qui ad consilium nostrum permanens, visus est post mortem in choro Monasterii.
26. De laico in *Bodingen*, qui omnino exire voluit Monasterium; sed ad exhortationem nostram permansit cunctis diebus vitæ suæ, bonus & prudens conversus.
27. De Clerico *Bartholdo Semeyer* in Sulda, ad exeundum Monasterium parato, sed per nos ad manendum bonis verbis inducto.
28. De eodem factò Novitio, ante finem anni omnino exire volente, sed per nos multis rationibus, promissis & orationibus tandem ad manendum informato.
29. De fratre *Tyele* adhuc laico, exire disponente, sed per nos ab illa tentatione liberato.
30. De eodem factò converso, multò gravius ad recedendum tentato, sed per nos rationibus & obsecrationibus tandem ad manendum informato.
31. De tentatione Patris *Arnoldi Huls* in Clericatu suo in *Northern*, sed per Priorem suum liberato.
32. De tentationibus quorundam *Carthusiensium*.

33. De Matrona, quæ quatuordecim annis ter in hebdomade, dixit, se noctibus raptam in cælum & Deum vidisse, & quæ pro ejus feci liberatione.
34. De puella, quæ dixit, spiritum hominis defuncti sibi frequenter apparere, & secreta de statu animarum revelare, & quæ ad hoc feci.
35. De spiritu, qui in domo parentum meorum multis noctibus fecit eis inquietudines; sed per matrem meam jam fugatus.
36. De spiritu, qui sacerdotes & Clericos, cum Monialibus habitantes, per somnum turbavit, sed per Patrem *Iohannem Kempis* modo expulsus.
37. De matre mea, cujus Patri Magister *Gerardus Magnus* prædixit, illam infirmam tunc non esse morituram, sed filium genituram.
38. De omni proprietate cavenda, exemplo Fratris cujusdam in *Windesem*.
39. Quod nullus de Consulatu *Daventriensi* infra viginii annos ad cælum pervenerit tempore *Magistri Gerardi* propter decimam, quam à Canonicis ibidem injustè per vim abstulerant.

De terræ Principibus.

40. De Domino *Henrico* Duce, quomodo rogavit, ut Moniales visitarem; cui dixi, quod Moniales libenter ad cælum dirigeret, sed ipse ire vellet in infernum; & de Domina *Helena* Ducissa.
41. De Domino *Friderico* Marchione *Brandenburgensi*, quomodo me invitavit, & quid ei remandavi.
42. De Domino *Adolpho* Duce *Holfatiæ* & Consulatu *Lubecensi*, qui virum spectabilem contra salvum conductum incarceraverat, cognatum unius Fratris nostri in *Sulta*, & quæ cum eis egerim.
43. Quomodo Consulatus *Lubecensis* per nos citatus fuerit ad comparandum coram libera sede in *Westphalia*; & quod nobis responderè voluerunt coram Duce *Saxonie* super pontem in *Lauwenburg*: ubi eos impetivimus pro mille marcis, & viro argenteo, & memoria perpetua, pro ejus anima fundanda.
44. De susceptione Domini *Nicolai de Cusa* in *Thuringia* & *Saxonia*, *Hallis* & *Magdeburgi*, & quæ nobis commisit reformanda.
45. De optimo Zelo Reverendissimi Patris Domini *Iohannis* Archiepiscopi *Magdeburgensis* pro Ecclesiæ & Monasteriorum sibi subjectorum reformatione, qui & Monasteria Ordinis nostri *Hallis* capitulo generali in *Windesem* incorporari voluisset, si Patribus illud placuisset.
46. Quod Capitulum Provinciale *Canonicorum Regularium*, ad *Novum Opus* *Hallis* de consilio Patrum Capituli Generalis de *Windesem*, *LXXI.* anno solenniter fuit celebratum, & ordinationes in eodem Capitulo constitutæ.
47. De diligentia, quam Dominus *Guntherus* *Magdeburgensis* Archiepiscopus fecit in reformationibus Monasteriorum *Hallis* Ordinis nostri, & quam districtè corripuit Doctores quosdam, & de Domino *Friderico*, ejus in Archiepiscopatu successore.
48. De Duce *Burgundie* *Philippo*, quomodo *David*, filium suum naturalem, introduxit in *Diocesin Trajectensem* pro Episcopo confirmato, ultra *Iselam* contra *Daventriam* se ponens cum exercitu suo *XIV.* millium armatorum, in quorum exercitum ego intravi, centum Leones mihi dari deposcens pro Monialium Monasterio.

De Confessione.

49. De muliere, quam spiritus quidam, nocte apparens, coegit ad confitendum, & ad absolutionem nec dum acceptam exoptulendam.
50. De Domina confitente, quæ literam in collo portavit suspensam; quam ad consilium confessoris deponens, rogavit comburi.
51. De muliere, quæ cum Dæmonum invocatione multa pecora curare consuevit.
52. De muliere, quæ putabatur obsessa, & in collo portabat scripturam plumbo inclusam, & non erat obsessa.
53. De quodam Fratre Sacerdote in *Richenberg*, in confessione sua multum intricato, per Priorem de *Sulta* ad modum bonum reducto.
54. Conclusio librorum & responsio contra oblatrantes.

Capitula libri quarti de Reformationibus & Visitationibus Monasteriorum diversorum.

1. Quomodo Dominus Cardinalis *Nicolaus de Cusa* in publica sessione in synodo *Magdeburg-*

Gggggg

1. burgenſi commiſit *Iohanni* in Novo Opere & *Paulo* ad S. Mauritium, Monafteriorum Ordinis Canoniorum Regularium Præpoſitis, viſitationem & reformationem Monafteriorum ſui Ordinis per Provinciam Magdeburgenſem & Moguntinam.
2. Bulla commiſſionis ejuſdem in forma.
3. De executione mandati præfati: quomodo Commiſſarii Cardinalis, pro conſenſu & adſiſtencia ad præmiſſa Principes terrarum, in quorum ditione Monafteria huiusmodi fuerant ſituata, requiſierunt.
4. Litera Domini *Borchardi*, Halberſtadienſis Epifcopi, *Johanni* & *Paulo* pro conſenſu data.
5. Litera Landgravii *Wilbelmi*, Ducis Saxonix, ejus continens mandatum ad omnia ſuæ ditionis Monafteria noſtri Ordinis, ut *Iohannem* & *Paulum* in Viſitatores & Reformatores ſuos recipiant juxta tenorem mandati Domini Cardinalis.
6. Mandatum Viſitatorum *Iohannis* & *Pauli* ad ſingula Monafteria per eos viſitanda & reformanda, in debitâ formâ.
7. Mandatum Commiſſionis, à Domino Cardinali Patribus, *Abbati ad S. Petrum* Erfordix Ordinis S. Benedicti, & *Iohanni* in Novo Opere Hallis Præpoſito factum, ſuper viſitatione & reformatione Monafterii Sancti Auguſtini in Erfordia Ordinis Canoniorum Regularium.
8. Inſtrumentum viſitationis, in *Lipſia* in præſentia Epifcopi & Doctorum Univerſitatis ejuſdem, per *Johannem* & *Paulum* factum.
9. Inſtrumentum receptionis reformationis ad S. *Iohannem* prope *Halberſtadt* Ordinis Canoniorum Regularium.
10. Mandatum Cardinalis de Cuſa, ut omnia Monafteria *Provinciae Magdeburgenſis* infra annum ſe reforment, ſub pœna perditionis omnium Privilegiorum ſuorum.

Appendix

AD JOHANNEM BUSCHIUM.

Catalogus Præpoſitorum Conventus Canoniorum Regularium in Sultra prope Hildeſiam.

ANtequam Ordo Canoniorum introduceretur, Præpoſiti ſecularis Eccleſiæ S. Bartholomæi memorantur duo:

Albertus, qui præfuit annis novem, obiit anno Domini 1035.

Theodoricus, mortuus anno 1040.

Ut autem literæ foundationis, anno ---- data, teſtantur, primus Regularis Præpoſitus fuit *Tenckerus*.

2. *Henricus*.

3. *Heidenricus*.

4. *Hildo*. Circa annum 1200 reſignavit.

5. *Berwardus*, vel ut alii, *Bernardus* reſignavit.

6. *Bertramus* reſignavit.

7. *Theodoricus* Elzenſis reſignavit.

8. *Jacobus* ex conventuali electus reſignavit, factusque eſt Prior in Riddagshauſen.

9. *Wernerus*.

10. *Hermannus*.

11. *Theodoricus* II.

12. *Udalricus*.

13. *Hermannus* II.

14. *Hermannus* III.

15. *Theodoricus* III.

16. *Bartholdus* vixit circa annum 1305; reſignavit, factus Rector in Lühnde.

17. *Henricus* II. vixit anno 1315.

18. *Bernardus* vixit anno 1328.

19. *Henricus* III. obiit 1372. vel 1373.

20. *Theodoricus* IV. obiit anno 1373.

21. *Ludolphus* nobilis de Stempne, anno 1373. electus, præfuit laudabiliter & utiliter annis

50. Obiit anno 1423.

22. *Johannes Lampride* reſignavit anno 1429.

23. *Johannes* II. cognomine *Krone* reſignavit.

24. *Johannes III.* Driburgensis, resignavit anno 1440. factus Pastor Ecclesie Archidiaconalis in Lühnde.
25. *Johannes IV.* conditus *Buschius*, in Windefem professor, primus Canonice hujus reformatus Præpositus electus anno 1440. in Festo Purificationis B. Mariæ semper Virginis; Vir religiosissimus, & disciplina Regularis Zelosissimus, plurimorum Monasteriorum diversorum Ordinum ex commissione Pontificia Reformator & visitator, qui per 6800. milliaria (ut ipse libro 3. reformat. in fine testatur) pro animarum salute ambulavit. Resignavit post 8. regiminis annos, postulatus in Prælatum ad Novum Opus Hallis Saxonie; ubi, postquam cum simili laude atque animarum multarum lucro per annos septem præfuisset, resignavit similiter, per unum alterumve annum reversus in Windefem. Scripsit librum de *Viris Illustribus* Windefemenfibus. Demum rursus hic in Sulta in Præpositum electus, iterum annis circiter 20. præfuit; donec obsenium iterum anno 1479. resignavit, tandemque cum opinione Sanctitatis diem clausit extremum, hic in Sulta sepultus.
26. *Arnoldus von Echte* Gandersheimensis, ex Procuratore Reichenbergensi (postquam prædictus *Buschius* prima vice resignavit) in Præpositum Sultanum est electus anno 1448. Præfuit annis 2 $\frac{1}{2}$, vir devotissimus & disciplina Regularis Zelosissimus.
27. *Bartholdus Zigemeyer* Neostadio-Hildesienfis, ex conventuali anno 1459. factus Præpositus Virginum in *Heiningen*; cujus Conventus labefactatam disciplinam ex commissione Pontificia & speciali jussu Cardinalis *de Cusa*, per Alemanniam Legati, & ad supplicam Dominæ *Albeidis de Borsfeld* tunc Priorissæ, anno 1451. renovavit, eumque ab ima pauperie ad summam opulentiam promovit; cujus fructibus postera hodie dum gaudent. Ita ex Buschio scribit *Johannes Lindebornius* in historia sua vel noticia Episcopatus Daventriensis cap. 7. §. 1. n. 15. Obiit pie anno 1462. in choro Heiningensi sepultus.
28. *Johannes Buschius*, de quo supra.
29. *Johannes VI.* Bobbo conditus, ex Relinghausen Westfalus, ex conventuali & Procuratore electus est anno 1479. quæ prædictus *Buschius* secunda vice Præposituram resignavit. Excellens fuit scriptor, Sanctorumque Patrum vitas in pergameno elegantissime descripsit. Præfuit annis 5. morte subitanea in visitatione Reichenbergensi sublatus anno 1484. 2. Octobr. eidemque successit.
30. *Tilemannus von Löwenau* ex inferiore Hasfia oriundus, ex conventuali electus, præfuit annis duobus, resignata Præpositura anno 1486.
31. *Conradus Cöster* Monasteriensis, ex Conventuali & Supprie electus anno 1486. Præfuit annis 9. quibus multa exstrui curavit in Sulta ædificia; libros diversos & bona alia utiliter comparavit: mortuus anno 1495. post die Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.
32. *Johannes VII.* conditus *Kupferschmid* vel *Kupferschläger* Westfalus ex *Diirsten*, electus anno 1495. Ædificia, librariam reditusque notabiliter auxit, donec in Canoniam Hamerslebenfisi in visitatione in puteum lapsus, ibidem mortuus & sepultus est. De anno obitus non certo constat, aliis annum 1502. aliis alium assignantibus.
33. *Johannes VIII.* de *Oneten* conditus, ex Rectore & Plebano Archidiaconalis Ecclesie nostræ in Lühnde in Præpositum electus.
34. *Hennigus Meyer*, Coventualis in Sulta, Pastor in Lühnde, ac demum, ex Præposito in *Münchelar*, Præpositus Sultanus factus est. Post 7. vel 8. annos resignavit, acceptando rursus Plebanatum in Lühnde.
35. *Johannes IX.* *Bunge* Conventualis electus obiit anno 1517.
36. *Johannes X.* cognomento *Boërius* ex Alen Diœcesis Monasteriensis, ex conventuali electus, præfuit exiguo tempore.
37. *Henricus IV.* cognomento *Münchelar* ex Alen itidem diœcesis Monasteriensis oriundus, ex conventuali etiam in Præpositum electus; præfuit utiliter quidem, sed maximis in adversitatibus. Nam ipse sub regimine, nempe anno 1546. civitas Hildesienfis, missis ad eundem Præpositum aliquibus ex Senatoribus suis, mandavit, ut Monasterium suum ipse curaret demoliri. Quod cum recusaret, cives ipsi summo mane ex urbe gregatim erumpentes, 30. Julii Monasterium una cum templo, satis amplo & ornato, omnibusque ædificiis ex fundamento totaliter destruxerunt. Quam vim Præpositus *Henricus*, quia impedire non valebat, juste tactus mœrore & dolore; brevi post consumtus & vitæ abbreviatus est: posteaque per tempus aliquod non per Præpositum sed per Procuratores duos, nempe *Johannem Bær* & *Ludolphum Ulrichs* Hildesiensem, Sulta desolato illo in statu fuit administrata.
38. *Johannes XI.* *Brinckmann*, calamitosum conventus sui reperiens statum, nec officio diu nec vita fungi potuit, subitanea morte in civitate Hildesienfi sublatus post 14. regiminis dies: post quem per Procuratorem *Hartungum Loges* Monasterium Sultanum administratum fuit usque ad annum 1565. quo

39. *Victor Ebenbach* Magdeburgensis, in Conventu Hamerslebiano professus, Episcopo Hildesienfi collaborante, rursus in Præpositum electus & constitutus est: qui ædificia aliqua reparare, novum etiam templum construere incepit. Sed is brevi post ad antiquam suam domum recedens, Præposituram Sultanam dimisit.
40. *Johannes XII. Sunff* cognominis, electus anno 1584.
41. *Ludolphus Pauli*, professus in Sulda, electus anno 1611. Rexit annis circiter 8. vel 9. magnamque interea passus contradictionem ob re ædificationem domus decimalis *Farmbsen*.
42. *Nicolaus Moltban*, ex Procuratore Sultano, sat fedulo & accurato, in Præpositum electus, mortuus est anno 1624.
43. *Henricus Morsbach*, professus in *Clnsa Eberhardi*, rexit infeliciter, & Conventum multis gravavit debitis. Obiit anno 1630. vel 1631. Ab hoc anno 1631. usque 1641. nullus verus & stabilis fuit Præpositus ob belli tempora; nisi quod annis paucis fuerit.
44. *Johannes XIII. condictus Mimberg*, professus in Böderken, qui brevi post resignavit. Anno 1632. in quadagesima Sulda rursus, una cum Ecclesia & aliis ædificiis, à civibus Hildesienfibus aliisque extraneis militibus est devastata & solo adæquata.
45. *Johannes XIV. Sollinger* Bodingensis, ab ordine in Præpositum constitutus, obiit anno 1656.
46. *Christianus Hasert*, Novesienfis professione & origine, ex Procuratore Sultano in Præpositum, post prædecessoris obitum electus & confirmatus, per 2 $\frac{1}{2}$ annos rexit laudabiliter, multis exsoluit debitis & ædificiis exstructis. Sed à conventu suo pristino in Priorem electus, ac errore postmodum interveniente, ab inceptis laudabiliter impeditus fuit. Obiit *Novesii*, ut emeritus Prior.
47. *Johannes XV. condictus Klumpenbauer* Novesienfis, cujus institutionem tanquam conditionatam & erroneam cum Præposito *Christiano* antedicto, conventus post aliquot menses incepta lite oppugnavit, donec anno 1662. 3. Februarii ipsi vitam, & litem mors abruptit & abscidit.
48. *Johannes XVI. Adriani* condictus, Belga Lovanii professus, ab ordine in Prædecessoris locum subrogatus, obiit anno 1667.
49. *Remboldus Ingmann* Novesienfis & professione & nativitate, ex Rectore *Rhenobercano* in Præpositum hujus loci electus, præfuit annis 9. Obiit anno 1676. in Festo S. Luca.
50. *Theodorus Kox* Novesienfis. Hic in Sulda professus, ex Pastore Ecclesiæ *Borsumensis* in Præpositum electus, præfuit & profuit annis 8. debitis nonnullis laudabiliter solutis & regulari disciplina promta; vir doctus, prudens & discretus, obiit pleuritide anno 1684. 23. Septemb. Cujus defuncti in locum, canonicè eodem anno, 22. Octobris electus, successit, qui locum ejusdem viventis in administratione Parochiæ *Borsumensis* per annos quatuor tenuerat.
51. *Josephus Euleri*, ex *Ochterfumb* prope Hildesiam oriundus, hujus domus professus; ex Curato in *Borsum* in Præpositum Sultanum electus, præfuit annis 24. Plura extruxit in & extra Conventum ædificia, juraque domus defendit acerrimè. Jus Patronatus in *Arbergen*, alioquin Principi ac Episcopo Hildesienfi competens, permutavit cum jure Patronatus in *Gödring*, Sultanis nostris antea competente, per quam permutationem non exiguum domui procuravit emolumentum. Obiit 8. Martii 1708.
52. *Johannes Casparus Zeppenfeld*, ex *Steinbrück* castro Capituli Hildesienfis oriundus, hujus domus professus, 22. Martii 1708. eligitur in Præpositum, postquam antecederet annis duobus Procuratorem in Sulda, & primum Pastorem in *Arbergen*, post ejusdem Parochiæ incorporationem, in septimum annum egerat.



L.

DESIGNATIO MONASTERIORUM
ORDINIS S. BENEDICTI
CONGREGATIONIS BURSFELDENSIS
PER GERMANIAM, VIRORUM DUNTAXAT.



Res per universam Germaniam congregationes Ordinis S. Benedicti olim vignerunt, MELLICENSIS videlicet, CASTELLENSIS & BURSFELDENSIS; quarum duæ priores à multis retro annis dissolutæ atque extinctæ fuerunt, ita ut sola congregatio Bursfeldensis usque modo superfit. Cujus quidem congregationis Monasteria sunt 142. exceptis Monialium Monasteriis, prout